CHRISTOPHORI BESOLDI, ... JURIDICO-POLITICAE DISSERTATIONES, ...

Christoph Besold, Giovanni Battista Coccini

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
9 B
4

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

CHRISTOPHORI BESOLDI, JC. ET ANTECESSORIS Tubingenſis,

JURIDICO-POLITICAE Diſſertationes,

DE JURE RERUM, (2) FAMILiarum, (3) Collegiorum, (4) Academiarum (5) aliarumque Univerſitatum, (6) ac item Territoriorum.



ARGENTORATI,

Impenſis Heredum LAZARI ZETZNERI.

Anno M. DC. XXIV.

Digitized by Google

DISSERTATIONIS I. DE IURE ET DIVIſione Rerum.

CAP. I.

Summam & primam Diviſionem rerum proponit: ac de rebus communibus agit.

Elegantiſſimè Juſtus Lipſius, *centur. 2. ad Belgas, Epiſtol. 39.* ſcribit: Sicut lupini, per ſe amari, aquâ perfuſi dulceſcunt: ſic tetrica iſta Legum, à mixtione & temperie Hiſtoriarum, aliorumque Scriptorum, qui ex ſapientiæ & prudentiæ libris ſua hauſerunt, mitigantur. Idem hoc obſervare conſtitui, in Diſſertatione hâc, quæ merè Juridica videtur, & ab alijs diſcuſſa jam abundè eſt. Spicilegia ergò tantùm legam, & ex variâ eruditione, ſcriptiſque aliorum, quæ obiter collegi, adjungam. In eâ firmiter hærens opinione: ſatius eſſe, ex varijs Prudentiæ Auctoribus, optima quæque congerere; quàm propriæ induſtriæ viribus excogitata, periculosè proferre. Waremundus ab Ehrenberg, *lib. 1 de fœderib. cap. 1. num. 186.*

II. Rei Verbum generale; *l. 1. ff. ſi cert. petat. l. 1. & 2. ff. de verbor. ſignificat.* ſeu, ut Philoſophi loquuntur, terminus transſcendẽs eſt: hoc eſt, cætera omnia excedens & ſuperans ſignificata. Ad univerſa etenim accommodatur, non ſolùm quæ tangi, viderique poſſunt; ſed etiam quæ oculo, intellectuque concipiuntur. Indeque Auſonius in Eidyll.

Imperium, litem, Venerem, cur una notat res?

Rei autem verbum, utcunque generale ſit, pro ſubjectâ tamen materiâ coanguſtatur, *l. ſi in rem. ff. de rei vindicat.* ut nempè eas potiſſimũ res tantummodò comprehendat, de quibus ſolent inter homines controverſiæ enaſci, *§. 1. & tot. tit. Inſtit. de rer. diviſ.* Sicque rerum, prout eas conſiderat JCtus, ſumma diviſio in duos Articulos, ſeu ut

Digitized by Google

nunc loquimur, in duas ſpecies deduci poteſt: quòd aliæ Divini, aliæ ſunt humani juris, *l.1. ff. de rer. diviſ.* Rerum quidem ſummam Diviſionem Vulteius, *Inſtit. de rer. diviſ. num. 5. & libr. 1. de feud cap 1. num. 1.* alijque, illam eſſe dicunt: quòd res aliæ corporales, aliæ incorporales exiſtant; corporales autem, vel mobiles, vel immobiles inveniantur: hancque primam eſſe ajunt; quòd ſubſtantiam rerum concernat; hæc noſtra dominium & poſſeſſionem: quæ ſubſtantiâ ſunt poſteriora. Sed rectè nihilominùs Gajus JCtus *in dict. l.1 ff. de rer. diviſ.* noſtram hanc diviſionem, ſummam vocat; id eſt, propriam juris diſciplinæ. Hilligerus, *ad Donell. lib. 4. cap. 1.* Quam autem proponit Vultejus, eam JCti à Phyſicis mutuantur: hanc noſtram partim peperit Jus Gentium, partim Civile. De rebus Divinis, utpotè dignioribus, agi quidem debuiſſet primo loco. Sed tamen de humanis priùs agere placet: utpotè quæ propriè pertinent ad JCtos, quarumque tractatio magis eſt frequens.

III. Rerum humanarum diviſiones, ſatis obſcurè in *l. 1. & 2. ff. h. tit.* tractantur; ibique (ut & alibi in noſtro Jure ſæpius fit) Diviſiones cum ſubdiviſionibus confunduntur: ac quoque haud raro ſpecies, generis vocabulo indigitantur. Id quod exindè factum fuiſſe puto; quòd Leges noſtræ ex multifarijs Auctoribus ſunt compilatæ; quibus etiam variæ dividendi rationes placuerunt: Nec quoque Tribonianus & Collegæ, Logicam docendi rationem obſervârunt, ac rerũ magis, quã verborum curam habuerunt. Sunt autẽ res humanæ; publicæ aliæ, aliæ privatæ, *dict. l.1. in princ. ff. h.* Publicæ, rurſus ſubdividuntur. Quædã enim ſunt publicæ omnium hominũ reſpectu; ſeu jure Gentium, *l. præſcriptio 45. ff. de uſucap.* quædam reſpectu aliquorum. Prioris generis, ſpecialiori ſignificatu, communes indigitantur: *l. 2. ff. h.* earumque uſus, jure naturali, ſeu gentium primævo; Faber, *in Rationalib. hic.* omnibus hominibus, tàm Civibus, quàm alijs pateſcit. Proprietas autem earum nullius eſt; ac indè propter naturalem uſum, veniunt in communionem, ex ſuique naturâ æqualem commoditatem & jus occupandi omnibus præbent Weſembecius, *in paratitl. hic ſub num. 3.* Et hæ item res, communes licèt cenſeantur quò ad dominium & uſum; populi nihilominùs ſunt, in cujus territorio exiſtunt, quò ad Imperium nudum. *l. 3. in princ. & §. 1. ff. ne quid in loc. public. vel itin.* Dn. Collega D. Harpprechtus, *ad §. 1. num. 9. &c. Inſtit. hic, & ego eâ de re mox infrà pluribus agam.*

IV. Videndum hîc eſt, quo intuitu *in l. 1. in princ. ff. hic.* dicatur; res hereditarias, antequàm aliquis heres exiſtat, nullius in bonis

eſſe:

Digitized by Google

eſſe:cũ tamen ea perſonam defuncti & Domini repræſentent, *l.* 31. § 1. *ff. de hered. inſtit. l.* 34. *ff. de adquir. rer. dom* Reſpondetur; Ante aditã hereditatem, verè nullius in bonis ſunt: *l.* 3 *ff de pecul.* & per aditionem tantùm acquiruntur: cùm Mors omnia jura ſolvat:ſed ex juris fictione eſt introductum, ut defunctum repræſentent; ne res hereditariæ cedant occupanti,& ut dominium defuncti,continuari quiret in heredem. *l.* 23. *ff. de adquir. poſſeſſ. l.* 80 *ff. de legat.* 2. qui ſequutâ aditione; videtur ex mortis tempore ſucceſſiſſe defuncto, *l. ſi ex re*, §. *illud* 1. *ff. de ſtipulat. ſervor.*

V. Nunc rerum communium proponam aliquot exempla. Et nempè res ita communes,ſunt Aër:quippè, nam ut Ovidius, 6. *Metamorphoſ.* canit: *Non Solem proprium Natura,nec Aera fecit* Eſtque Aër,in promiſcuo omniũ Animantiũ uſu; utpotè citra cujus aſſiduã repercuſſionem,neque bruta,neque homines vivere queunt. Et ita aër, ejuſque uſus , tanquàm res communis, perpetuò, in totum occupari nequit;ut Baldus dicit, *in l. Item lapilli, ff. h* Hæcque ratio eſt , cur liceat ubivis aucupari,& ædes tollere in ſublime. Hotomannus, *in* §. 1. *Inſtit. h.* Et hinc ſi quis alium aëre uti prohibuerit , actione tenetur Injuriarum, *l Iniuriarum* §. *final ff ne quid in loc publ.* Non poteſt itaq; quis nobis Aërem & Solem tollere,niſi in ſuo ædificando: nam Aër ſuprà domum noſtram,liber eſſe debet, uſque ad Cœlum, *l.* 1. §. *penult. ub: gloſſ. & l. final. ff. quod vi aut clàm.* Sed tamen nihilominùs hunc Aëris Communem uſum,Imperium moderatur. Sicque prohiberi poteſt is,qui in loco infecto ſtetit,ne ad nos migret,ibique ſalubri aëre fruatur. Sic & aër ſeu ventus , interdùm conceditur,homini alicui certo; cæteriſque molendina vento motã, Windmühlunẽ/erigere prohibetur:cujuſmodi conſuetudinem in Tranſiſulaniâ, viciniſque locis eſſe, Paulus Buſius teſtatur, *Diſputat. politic.* 11. *theſ.* 29.

VI. Res item communis, Aqua profluens eſt: & indè Ovidius, *dict libr.* 6. *Metamorphoſ.*

Quid prohibetis aquas? uſus communis aquarum eſt.

Aquam verò profluentem,aquam fluminis eſſe dicunt, quatenùs fluit,id eſt, uſum navigationis præbet: *argum* §. 1. Ubi Eguinarius Baro, *Inſtit hic* cùm in flumine publico quilibet navigare poſſit. Illa itaque aqua profluens eſt communis: poſſunt enim omnes ibi lavare , pecora aquare,& tàm homines ,quàm feræ , ſitim ſedare; piſcari item ibi licet,navigare,&c. At verò flumen ipſum, id eſt, totum corpus aquarum, à ripa ad ripam,publicum eſt,non commune. Vaconius à Vacuna, *lib... declarat.* 11. *num.* 14. Marcilius, *ad* §. *Et quidem, Inſtit. hic.* Ac

Digitized by Google

ideò aqua in flumine, non pro parte fluminis habetur: Eraſmus Ungepaur, *exercitat. Juſtin. 5. quæſt.* 1. Eſt namque idem flumẽ hodiè, quod fuit abhinc mille annis, *l. proponebatur, ff. de judic.* aſt aqua illa fluens, haut eadem numero manet, ſed ſingulis propè momentis, alia atque alia abeunti ſuccedit. Quemadmodum quoque Ariſtoteles, *lib. 2. Meteor.* dicit: Ignis, mare, flumen, ſpecie & quantitate ſemper idem; quò ad partes autem, non eadem eſſe, cùm ſemper fluant & permutentur. Dicitur quoque profluens ad differentiam ſtantis, aut in ſtagno, vel lacu incluſæ: quæ eſt ſingulorum, nec ibi licet ducere aquam, piſcari, &c. Hotomannus, *ad* §. 1. *Inſtit. hic.* vide Gæddæum, *in l. littus* 112. *num. 2. ff. de verbor. ſignificat.* Quamvis etiam publici ſint quidã lacus: *l. Rutilia, ff. de contrah. emption.* ut eſt Bodamicus, aliiq;. Et porrò prædicta evincunt, licitum eſſe cuilibet, ducere de flumine publico aquam; idque propriâ authoritate, ſine Principis conceſſu, niſi uſus navigationis publicus, aut alia aliorum jura deteriora indè redderentur. Cœpolla, *de ſervitut. ruſtic præd. cap. 4. num. 39.* Qui item *num.* 43. latè diſputat, & per diſtinctionem reſpondet; ſi duo velint aquam ducere ex flumine publico ad fundum ſuum, & ſe invicem impediãt, quis præferatur?

VII. Res item communis eſt Mare, & per hoc littora Maris; Weſenbecius, ad § *flumina, Inſtit. h. tit.* & item quæ in Mari, aut littore inveniuntur. Littora quidem, ſi proprietas ſpectetur, publica ſunt; *l. 4. l. 50. ff. de adquir. rer. domin. l. 24. §. 1. ff. de damn. infect. l. 3. ff. ne quid in loc. public* quia nempè pars territorij exiſtunt: uſus tamen eſt communis, Marcilius, *ad dict. § Et quidem, Inſtit. h.* Ac indè quanquàm littorum uſus communis ſit: tamen extruere aliquid volenti in littore, opus eſt decreto Prætoris, *d. l. 50. l. 2. §. meritò, ff. ne quid in loc. publ.* Quia non eſt propriiſſimè uſus littorum ille: eſt enim uſus ad tempus, ædificatio in perpetuum. Sic etiam licet in Mari ædificare, *l. in tantum 6. in princ. ubi Dd. ff. h* Ita Veneti prætendunt libertatem, quia non ædificaverunt in ſolo alicujus, ſed ipſo in Mari. Baldus, *in Rubric h tit.* Pacius, *in diſceptat. de domin. Adriat. mar. fol. 15.* Peregrinus, *de jur. fiſc libr. 8. num. 5.* Id autem, quod in Mari, vel littore ædificatum eſt, ſi collabatur; quaſi poſtliminij jure, redit locus in priſtinam cauſam, *dict. l. 6. ff. h.* Hoc mirum cui videri poſſit; cùm dominium ſemel quæſitũ, nõ niſi certis modis amittatur: *l. 17. §. 1. ff. de adquir. vel amitt. poſſeſſ.* Verùm id dicendum eſt de dominio juris civilis: at dominium gentium Juris, ſicut acquiritur per occupationem ſine ullo titulo, ita nec permanet acquiſitum, niſi quamdiu occupatio durat. Antonius

Digitized by Google

tonius Faber, *ad dict. l. 6. ff. h. t.* Sicut occupatio eſt titulus naturalis acquirendi; ita titulus eſt amittendi, ſi collabatur & relinquatur. Nec eſt, ut quis inſtet, etiam diruto ædificio, locum ſacrum remanere, *dict. l. 6. §. ſacra.* Ergò & hîc fieri id debere. Regero rationem diverſitatis, quæ eſt inter locum ſacrum & communem. In ſacro nil intervenit, quod priſtinam cauſam mutat; ſemperque ſupereſt cauſa religionis & pietatis, *argum. l. 32. §. 2. ff. de condict. indebit.* Diruto verò ædificio, in littore poſito, intervenit nova cauſa, quæ jus immutat: quia Mare rurſus occupat littus. Quia autem Mare, littuſque Marinum communia ſunt; ideò jure naturali gentiumque, omnibus vacant, *l. 51. ff. de contrah. empt.* Indeque jure gentium, naves adpellere ad quamlibet terram quimus: prout Virgilius canit, *lib. 1. Aeneid.*

Quod genus hoc hominum, quæve hunc tàm barbara morem
Permittit patria? hoſpitio prohibemur arena.

Nemo ergò ad littora maris accedere prohiberi debet: dummodò à villis, monumentis, & ædificijs ſeſe abſtineat, *l. nemo ff. h.* Indeque & Barbarus ille mos habetur, ac etiam in Caroli V. Criminalibus Sanctionibus improbatur; vigore cujus naufragium paſſi, bona vel libertatem amittunt. Peinliche Halßgerichts Ordnung / *Artic. penult.* Reichs Abſchied / *de Anno M. D. LIX. Authen. navigia, C. de furt.* Gail. *lib. 1. obſervat.* 18. Petrus Friderus Mindanus, *lib. 2. de mandat. cap. 57. num. 1.* Fuit ſanè uſus olim frequens, ut navigia, hominesque naufragium paſſi, ſervi redderentur ejus, ubi ad littus enatant, vel ejiciuntur: & vocaverunt Germani ein Grundruhr / Galli Germanico, ſeu Nortmãnico verbo *Varech*, quaſi Fahrrecht. ut dixi *politicor. libr. 1. cap. 4. num. 38.* Ac olim Jus id ab Arabibus quoq; uſurpatũ fuit. Arrianus, *in Periplo Maris Erythr.* Et cùm Imperatoris Caroli V. naves duas, ad littus ejectas, & ab Jordane Urſino captas, ab Hẽrico II. Galliæ Rege, Legat⁹ Cæſareus, Anno M. D. LVI. reſtitui ſibi poſtularet; Annas Momorãtius, Magiſter Equitũ reſpõdit: Ea, quæ ad littus fuiſſent ejecta, gẽtiũ omni jure, ad Principes, qui littoribus imperãt, pertinere, Bodin⁹, *lib. 1. de Republ. cap. 10. pag. mihi* 267. Ac pariter jus illud olim, ut in alijs Regnis; ita etiã in Germaniâ uſitatiſſimũ fuit: non modò in Mari & Oceano, ſed & in Rheno, ac Albi, uti cõtra Fridericum Comitem Stadenſem, olim diſputatum ab Archiepiſcopo Bremenſi legimus; eũ ſervili ventre fuiſſe natum, propter eà, quòd ipſius Mater, facto in Albi naufragio, cùm ventrem gereret, in Archiepiſcopi poteſtatem jure naufragii veniſſet. Spangenberg in der Querfurdtiſchen Chronick. Sed conſuetudinẽ eam barbaram, & antiquis inuſitatam, crudelitatẽ quoq; & ſcelus, idẽ Bodinus vocat; ab aliiſq; multis ea improbatur,

probatur, & pluribus oppugnatur. Dn. Latherus, *tract. de cenſu libr. 2. cap.* 11. Gothofredus Engelhardus, Amicus meus, *Diſſert. eleg Argentina. loco Diſputat. propoſ. de vectig. lib. theſ. 24. a prim.* Ac ſi res ad littus ejiciuntur, quarum Dominus ignoratur, vel non reſciri poteſt; tunc eæ ad Dominum loci, ut derelictum pertinent: vel earum aliqua pars, ut Theſauri in loco publico inventi. Ita refert & defendit conſuetudinem Petrus Gregorius Tholoſanus, *de Republic. libr. 9. cap. 1. num. 29.* quæ & in Nortmanniâ viget; ſcilicèt ut ſi intra ſex hebdomadas non veniant, qui ad littus delatas res vindicent; tùm eæ proprio jure ad Principem ſpectent. Guidon des Finances, *fol mihi 75.*

VIII. Aliquoties jam innui, res haſce communes, publicas, ſeu Reipublicæ (aut etiam Regis) eſſe, quoad Imperium. Nec impedit, rem unam eandemque ratione uſus & dominij communem; ratione Imperij atque Juriſdictionis Reipublicæ eſſe. Nam hoc idem, etiam de rebus privatis dici poteſt: quæ quoque ratione uſus ac dominij, pertinent ad privatos; ratione verò Jurisdictionis Principis ſunt; qui poteſt ex cauſâ prohibere, ne re meâ abutar, & ut eâ hoc vel illo modo utar. Idemque de publicis (quarum uſus ad ſingulos de populo ſpectat, ac de quibus capite ſequenti agam) judicium eſt; & nempè circa ea etiam Majeſtas diſponere poteſt: ut *dicto capite ſequenti* pluribus dicam. Et ita porrò Mare, quò ad proprietatem, in nullius eſt bonis; quò ad uſum commune omnium exiſtit; quò ad Juriſdictionem, cenſetur eſſe Principis Imperantis, latè Peregrinus, *lib. 8. de Iure fiſci, paſſim.* Sicque licèt uſus navigationum publicus, (aut potiùs communis) ſit: *§. Et quidem. Inſtit. hic. l. 2. §. ne quis 9. ff. ne quid in loc. public. l. unic. ff. ut in flumin. public. navig. liceat.* Eum tamen prohibere, & intervertere poteſt is, qui Regalias habet. Indè Bartolus, *in dict. l. unic. ff ut in flumin. publ. navig. lic.* Iſtud, inquit, interdictũ intelligendum eſſe; ut quis à Privato, quò minùs navigare liceat, prohiberi non poſſit: ſed ab ijs, qui habent Regalia Jura. Quia ſcilicet curſus Aquarum, & flumina pertinent ad eum, ad quem Regalia ſpectent, *tot. tit. quæ ſint Regal. in uſib. feudor.* Vide Valentinum Forſterũ, *de Iuriſdict. Rom. part. 2. fol. 495. & aliquot ſeqq.* hocque reſpectu flumina publica, in patrimonio eſſe ducuntur Reipublicæ, ſeu Majeſtatis. Inde quemadmodùm non obſtante, quòd in fundo alterius licet aucupari, venari; impediri tamen poteſt, quò minùs aliquis ingredi poſſit prædium alienum: *§. Fera, Inſtit hic.* Ita etiam Reipublicæ, uſum navigationis prohibere licet; Rauchbar, *lib. 1. quæſt. 23.* ſi ſcilicèt conſuetudo talis, vel neceſſitas exiſtat; nam & Regaliis uti Principes

Digitized by Google

ex æquitate, & Chriſtianâ charitate debent. Undè ſi uſum & navigationem impediant, Status in Imperio Romano, conveniri, & ex hodierno ſtylo, Mandata ſine clauſulâ, contra eos decerni queunt, Sixtinus, *de regalibus libr. 2. cap. 3. num* 42. Klock, *de vectigalibus, theſ.* 70. *litt. a & b.* Sic & mare, ac littora maris, ejus eſſe dicuntur, qui habet Juriſdictionem: *l. littora. ff. ne quid in loc. public.* ubi littora, in quæ populus Romanus Imperium habet, populi Romani eſſe creduntur. Weſenbecius, *ad §. flumina inſtit. hìc.* Bronchorſt, 1. *Antinom. quæſt.* 13. Quamvis aliàs littora (ut & ſuprà dixi) communia eſſe dicantur undè nemo ad littus maris accedere prohibetur, §. 1. *inſtit. l. 2. ff. hìc*, Jacobus Bornitius, *de Majeſtat. cap.* 7. Sic & Inſula, in mari nata, occupātis fit; nullius cùm eſſe credatur: §. *Inſula, Inſtit. h. l.* 7. §. *Inſula. ff. de adquir. rer. domin.* ſed tamen ſuperioritas & Juriſdictio Inſulæ, ſpectat ad eum, qui Imperium habet in mare; is nempè, qui in proximo continenti provinciam tenet, *argum. l. Inſula* 9. ubi Caſtréſis, *ff. de judic. l. qui ex vico* 30 *ff. ad municipal.* Cæpolla, *de ſervitut. ruſtic. præd. cap.* 26. *num.* 14. §. *Inſula*, ibique Dominus collega Harpprechtus, *Inſtit. hìc.* Quo intuitu res jure gentium communes; interdum, vel generis ſignificatione; aut ita in ſpecie, quòd in eas populi Imperium ſit, publicæ dicuntur. Paulus Buſius, *Diſputat. politic.* 11. *theſ.* 26. *ad fin.* Idque utile eſt ſcire, ad conciliationem in ſpeciem diſſidentium locorum. Sicque Littus publicum dicitur, *in l.* 112. *ff. de verbor. ſignific.* vel Imperii (aut, ut ſuprà dixi, proprietatis) reſpectu: vel quòd publicum uſurpatur quandoque pro communi. Ac ita quoque res communes, quoad Imperium, alicui in Feudum concedi queunt, Buſius *dict. Diſputat.* 11. *theſ.* 27. Ut verò res hæ cōmunes, inſtar bonorum cujusque privati concedantur, & ſubducantur omninò uſui communi; licèt magni interſit publicè, aut privatim aliquorum, meritò negatur. Nam quòd Princeps poteſt præjudicare privato; *l. 2. §. ſi quis à Principe, ff. ne quid in loc. public.* id pertinet ad præjudicia minora; *Dd. in l. univerſa* 4. *C. de precib. Imperat. offer.* non etiam ad majora, *l.* 3. *l.* 7. *C. dict. tit.* Buſius, *dict. loc. theſ.* 28. Sic rebus communibus vectigal imponi poteſt: Klock, *de vectigalib. theſ.* 70. in tantum, ut ſi quis maritimum habeat vectigal; illud intrà centeſimum milliare, à præternavigantibus exigere queat. Mare namque per centum milliaria, ad proximum territorium pertinere, diſceptat Gentilis, *libr.* 1. *Hiſpanic. Advocation. cap.* 8. ac etiam ultrà, ſi alteri provinciæ non adpropinquat. Indéque dicunt, quòd ſicut quis poteſt punire delinquentem in ſuo territorio, ita etiam delinquentem in mari, quod ſubjicitur illi Civitati: Cæpolla, *de ſervit. ruſtic.*

B *præd.*

præd. cap. 26. num. 12. &c. ac num. 26. &c. niſi tamen mare à nullo alio Principe, ſpecialiter fuerit occupatum. Pacius, *de domin. maris Venet. fol.* 41.

IX. Fiunt item res communes, publicæ interdùm, ita in ſpecie dictæ: hoc eſt, populo, vel Reipublicæ illarum dominium adquiritur, etiam quò ad proprietatem. Ita dicunt, mari non poſſe imponi ſervitutem à privato: *l. venditor in princ. ff. commun. prædior.* ſed tamen hoc à Principe fieri poſſe, dicit gloſſa *ibidem, per l. ſervitutes, §. ult. ff. de ſervitut.* Licèt quoque, ſi quis in mari piſcari, vel in mare retia immittere, aut educere prohibeatur; poſſit agere injuriarum: *l. injuria §. ſi quis me ff. de injur. l. 2. §. ſi quis in mari, ff. ne quid in loc. public.* & tamen etiam in mari, piſcatio prohiberi poteſt; ſi longiſſimo tempore alicui ſoli fuerit adquiſita. Georgius Mohr, *tract. de venat. part. 1. cap. 6.* latè Peregrinus, *de jur. fiſc. libr. 8. num. 34. &c.* Videtur quidem mare, reſque aliâs communes, præſcribi non poſſe; nec quoque tempore immemoriali; ut diſputat Cæpolla, *de ſervitut. ruſtic præd. cap. 26. num. 6.* quia contra infantes, & nondum genitos, præſcriptio procedere nequit: *per textum expreſſum, in l. præſcriptio 45. ff. de uſucap* & cùm non valenti agere, præſcriptio haud currat, *l. 1. in fin. C. de annal. præſcript.* Item quia contra jus Naturale præſcriptionis vim ceſſare, quis putare poſſit: *argum. l. jura ſanguinis, ff. de regul. jur.* Sed tamen poſſeſſio, vel quaſi, cujus memoria non extat, habet vim tituli, ſeu privilegij, aut juris conſtituti, omneque vitium excludit, *l. hoc jure, §. ductus, ff. de aqu. quotid. cap. 1. de præſcrip. in 6.* Ita & Hiſpani propriam ſibi aſcribunt navigationem ad Indiam utrãq;, voluntq; ab hac invẽtione acquiri propriũ uſum viæ: ſicut quæritur gemma, aut aliud quid ejuſmodi, in littore maris, aut ipſo in mari inventum: & quia ſic quæritur id, quod in nullius eſt bonis, ſic etiam quæretur id, quod commune omnibus exiſtit. Indeque aperta via in omnibus, nunc eſt occluſa reliquis cunctis, qui illâ per ſecula non ſunt uſi: etſi potuerint ſemper uti. Albericus Gentilis, *in lection. Virgilian. cap. 8. fol. 68.* Quamvis Hugo Grotius, *in tract. mare liberum inſcripto,* tecto tamen nomine, contradicat operosè. Sic pariter, maris Adriatici Dominos, Veneti ſe venditant; idque Dominium (Juriſdictionale ſcilicèt, & etiam ut puto proprietatis) contra Regem Hiſpaniarum, ob Regnum Neapolitanum, ſingulari Tractatu aſſeruit Julius Pacius à Beriga, & Peregrinus, *libr. 8. de jur. fiſc. per Diſcurs.* Extat etiam ejuſdem argumenti Epiſtola Franciſci de Ingenuis Germani, *adverſus Valenzolam & Motinum.* Neque novum eſt, ut aliquis populus claſſe potens, in mari Imperium exerceat: ut olim

Digitized by Google

olim Rhodij, teſte Strabone; *libr.* 14. eamque poteſtatem eis Romani non inviderunt, imò ab eis Legem, quæ Rhodia dicitur, ſumpſerunt, *l. deprecatio* 49. *ff. ad Leg. Rhod. de jactu.* Et in ſignum Dominij illius, Veneti quotannis, mare ſibi annulo deſponſant, et ajunt, Venetam Rempublicam eſſe Dominam Adriatici maris, per ejus occupationem. Idque fieri poſſe cenſent: cùm ſit nullius, & naturali ideóque ratione occupanti cedat, *l.* 3. *in princ. ff. h.* Eaque occupatio, temporis pariter immemorialis fulcro eſt ſubnixa; eique præſcriptio, non ut modus adquirendi dominij conſiderata, ſed ut exceptio robur addit. Effectus hujus dominij enarrantur quinque. Quòd (1) tenentur, illud mare tutum ſecurumque reddere à Piratis. (2) debēt ſubditos tueri. (3) poſſunt delinquentes in eo mari capere & punire; tanquàm in ſuo territorio ſeu diſtrictu qui delinquerūt. (4) poſſunt alios illâc navigare volētes prohibere, & quò minùs ibi navigēt, impedire. (5) poſſunt navigantibus vectigalia imponere, & contrà facientes punire. Diſſentit tamen Betſius, *de pact. famil. Illuſtr. cap. ult. fol.* 648. ubi ait, res communes præſcribi non poſſe, ac etiam Dn. Joachimus Clutenius, *in Syllog. theſ.* 12. *à prin.* Sed verò etiam maris Balthici Dominum ſe jactitat Daniæ Rex: Mercure François, *tom.* 3. *fol. mihi.* 141. cui tamen etiam multi accolæ contradicunt.

CAPUT II.

Aliam Rerum Diviſionem exhibet, ac de rebus publicis ita in ſpecie dictis tractat.

RES, quæ reſpectu non omnium hominum, ſed tantùm aliquorum publicæ cenſentur; vel ſunt publicæ, reſpectu totius alicujus gentis & populi; vel urbis unius. Publica totius cujuſdam gentis, propriè publica dicuntur, quaſi populica. Hæcque à communibus in eo differunt; quòd communes ab omnibus occupando acquiruntur, tàm uſu, quàm proprietate. Eſt enim illorum proprietas nullius, & ideò occupanti cedit: quod in publicis eſt ſecus, quæ in patrimonio certi cujuſdam populi ſunt, uſuque tantùm communes exiſtunt. § *flumina, ibique* Theophilus & Cujacius, *inſtit. hic.* Bronchorſt, *centur.* 1. *aſſertiom* 13 Weſembecius, *in paratit. ff. h* Communes, ab omnibus occupando acquiruntur; & quantum quiſque occupat ex communibus rebus, per partes, ipſius proprium efficitur:

 non

non quòd res communes univerſim acquiri poſſint, ſed ut dixi, per partes. verbi gratiâ; quilibet poteſt in mari, vel littore maris, Inſulas ædificare, moles, pilasve jacere, & ædificans conſtituitur Dominus ædificij atque ſoli, quamdiu ibi ædificium manet. *l. ergò, 30. §. ult. l. quamvis 50. ff. de adquir. rer. domin.* Publica ſunt flumina, portus. &c. Horum proprietas à nemine acquiri poteſt, cùm ea jam à populo ſit occupata, *lib. 7. §. 4. ff. de adquir. rer. domin* uſus quidem fluminum communis eſt, ut dixi *cap præced* Ideoque jus piſcandi in flumine, cuilibet competit: *dict. § flumina*, ſed cùm proprietas populi ſit, non aliter ibi permittitur molendina, vel alia opera extruere, niſi Principis, aut Senatus, aliorumve Regalia habentium permiſſu, *l. 2. §. ſi quis à Principe, ff. ne quid in loc. public. l. 2. ff. de flum. l. fluminum 24. in princ. ff. de damn. infect.* Quin & in publicis rebus, cùm proprietas Reipublicæ ſit, etiam circa uſum reſtringendum, pinguius jus Majeſtas habere videtur; quàm in omnium communibus rebus, eam habere ſuprà deduxi. Sicque uſus fluminum, non aliter exerceri poteſt, niſi ex licentiâ, permiſſuque Principis; rationabili tamen, *l. 2. §. 10. & 16. ff. ne quid in loc. public.* Georgius Everhardus, *vol. 1. conſil. 47. n. 6. & num. 45. ac aliquot. ſeqq* ubi an ob piſcationes, alicui poſſit navigatio prohiberi: & de fluminibus vide etiam Peregrinum *libr. 8. de jur. fiſc. num. 44.* Itaque Princeps jus Stapulæ, conſtituere poteſt, das Anfahrt oder Stappelrecht. Klock, *de vectigal. Thes. 56.* & dixi ego, *libr. 1. politicor. cap. 4. num. 54.* Cogere nimirùm poteſt eos, qui flumine publico uti volunt, ut certo in loco exponant merces, venumque proponant. Quod autem dicitur, flumina publica eſſe; id intelligi de fluminibus debet, quæ perpetua ſunt, ut eſt Padus & Rhenus: privata verò exiſtunt, quæ manu ſunt extracta, *lib. 1. §. ſi foſſa, ff. de flumin.* ut ſunt foſſata, aut quæ ad tempus tantùm fluunt, Cæpolla, *de ſervitut. ruſtic. prædior c 32* differt tamẽ flumen privatum, & proprium, ut oſtendit Everhardus, *dict. conſil. 47. num. 9.* qui ibi pluribus, quid flumen publicum & privatum ſit, docet. In flumine publico, cuilibet navigare licet, navem aut ratem agere, & per ripam exonerare: *l. 1. in princ. ff. ut in flumin. public. navig. lic. l. 1. ff. de flumin.* etſi quis ibi nunquàm egerit navem, vel rates, Everhardus, *dict. conſil. 47. num. 43.* Jus autem fluminum publicorum, quod habet Cæſar, vel quilibet præditus Majeſtate; id alijs concedi poteſt, jure Privilegij, vel feudi; ideoque Schiffreiche Flüſſ; jure Territorialis imperij, ſibi Principes adſcribunt. Et ita quæritur, An ſub verbo Waſſer/ & Waſſerlauffen/ in inveſtituris comprehenſa, flumina conceſſa intelligantur, quod ex uſu Germaniæ, aliis concurrentibus,

tibus, videtur dicendum, ut *dict. conſil.* 47. probat Everhardus, *num.* 31. *ac ſeqq. mult.* Sicque Legibus Poloniæ, flumina cum ſuis alveis regia ſunt, & nemo inibi navigationem debet impedire. Statuta Poloniæ, § *flumina.* Quomodò autem per præſcriptionem, & durch-Fach und Reiſſen poſſit impediri à privato, vel eo, qui Regalia non habet, uſus navigationis? Idem Everhardus *conſil.* 47. docet, *num.* 56 *uſq; ad fin. conſil. item tom.* 2. *conſil.* 40.

II. Pertinet hûc, jus Molendinorum; Ubi quæritur inprimis, an liceat facere molendinum novum, in præjudicium antiqui? quâ de re tractant Bartolus, *& Dd. in l. quò minùs ff. de flumin.* putà, ſi Princeps alicui conceſſerit, molendinum ædificare, dubitatur; An & alteri idem concedere queat, in præjudicium prioris? Id ſanè ita fieri nequit, ut aqua primi molendini minuatur; Stephanus Gratianus, *diſceptat. forens.* 89. aut ut aqua ejus divertatur. Decius, *conſil.* 244. *volum.* 2. Onciacus, *quæſt. jur. philoſoph.* 41. Aliâs hoc fieri poteſt; licèt ob conſtructionem molendini novi, alteri molendino vetuſtiori præjudicium inferatur: daß es ihme an den Kunden ſchaden bringet. Id enim non eſt juſta cauſa impediendi molendinum cõſtruendum. Cacheranus, *deciſ. Pedemont.* 17. *num.* 3. Boerius, *deciſ.* 125. Afflictus, *deciſ.* 388. quodque dicunt noſtri Doctores, ædificanti molendinum de novo in riparia opus novum nunciari poſſe, ab eo, qui ab antiquo, & ex Principis privilegio, molendinum ſub annuo cenſu habet. Franciſcus Marcus, *quæſt.* 106. *part.* 2. Id intelligo, ſi vel privatus hoc facere velit abſque Principis authoritate; putà ſi habeat agros ad ripam: aut ſi Princeps concedere velit jus de novo molendinum ædificandi, abſque rationabili cauſsâ, & in detrimentum Canonis, qui ſibi quotannis debetur. Sed adde Decium, *conſil.* 373. Chaſſanæum, *in conſuetud. Burgund. tit. des foreſts, rubric.* 13. §. 9. *conſil.* 1. quodque dicunt; abſque Principis authoritate fieri de novo molendinum non poſſe: ita intelligendum, ut non eo inſcio; ſed nec facilè is Vaſallis & ſubditis id prohibere debet. Theſaurus, *deciſ.* 16. ac vide Sixtinum, *de Regalibus, libr.* 2. *cap.* 3. *num.* 65. qui tradit; quãdo abſque conceſſu Principis hoc fieri queat. In flumine autem privato, ſeu proprio potiùs; liberè, & ſine ullâ ſuperioris authoritate, molendinum ibi ædificari poteſt: cùm ea nil differant ab aliis locis privatis, *l.* 1 § 1. *& §. item ſi. ff. de fluminib* Idque locum habet, ut ſi duo habeant flumen privatum, utrique competat libera facultas molendini extruendi, licèt noceat alteri; Et ſic in ſuperiori parte fluminis privati, rectè ædificatur molendinum invito eo, qui in inferiori parte ejuſdem fluminis, molendinum habet: modò id fiat principa-

aliter ut ſibi proſit, non ut alteri noceat, Sixtinus, *de Regalibus, libr. 2. cap. 3. num. 48. &c.* ſed de molendinis plura habet Ferrarienſis, *in form. libel. in action. Confeſſor. tit. 30. gloſ. 6.*

III. Quæri item hic poteſt, an liceat ad flumen aggerem facere (Waſſerſchlachten vulgò appellamus) contra inundationes; agri vel prædij ſui muniendi cauſsâ, etiam cum incommodo vicinorum: Wan man einen Bug auff die angräntzende Güter in das Waſſer machen thut? Quam quæſtionem tractat Rauchbar, *libr. 2. quæſt. 27.* Et quidem hoc cui videri poſſet negandum eſſe: nam cùm ita debeat quis meliorem ſuum agrum facere, ne vicini faciat deteriorem, *l. 1. § 4. ff. de aqu. pluv.* unde ſi quis ſalicta poſuerit, ut ob hoc aqua reſtagnaret, aquæ pluviæ arcendæ agi poteſt, ſi ea aqua vicino noceret, *dict. l. 1. §. 6.* Et tamen contrarium verum eſt, *per l. 2. §. 9. ff. dict. tit.* ubi legitur: ſi vicinus flumen torrentem averterit, ne aqua ad eum perveniat, & hoc non ſit effectum, ut vicino noceatur, agi cum eo aquæ pluviæ arcendæ non poſſe; ſi non hoc animo fecit, ut alteri noceat, ſed ne noceat ſibi. Ac pariter *in l. 1. §. ſed etſi. 7. ff. ne quid in flumin. public. fiat,* talis ponitur caſus, ubi alicui grande damnum flumen dare ſolitum fuit, & prædia ejus depopulari: Et reſpondetur, poſſe aggeres, vel quam aliam munitionem adhiberi, ut agrum ſuũ tueretur, etſi ea res curſum fluminis aliquid immutet. vid. Friderus Mindanus, *de mandat. lib. 2 cap 38. num. 10.* Cæpolla, *de ſervitut. ruſtic. præd. cap. 37* Noe Meurer/von waſſer rechten/*part. 5. quæſt. 12.*

IV. In diſquiſitionem itidem venit: Si Nobilis habeat liberum pagum vel caſtrum, ibique per territorium fluat publicum flumen: An princeps vigore der Landts Obrigkeit/ poſſit cognoſcere de cæde, in flumine publico perpetrata? Negat id Caſparus Leipoldus, apud Arumæum, *de jur. public. volum. 1. Diſcurs. 13. quæſt. 11. fol. mihi 205.* Eò quòd juriſdictio, per publicum flumen, in quo Princeps Regalia habet, per translationem juriſdictionis alicujus caſtri generalem, non transferri cenſeatur. Undè occiſo aliquo in flumine publico (aut etiam viâ) cognitionem ſpectare ſolùm ait ad Regalia habentem, quorum conſequens eſt juriſdictio pro tuitione publicæ viæ: etſi alias Nobilis ille, juxtà & propè viam generalem, publicúmque flumen, exerceat Cent: und Fraiſchliche Obrigkeit. Verùm hæc deciſio fallit in civitatibus Imperialibus, Nobiliumque omninò liberis pagis, per tradita Cæpollæ, *de ſervitut. ruſticor. prædior. cap. 31. num. 4.* & Bidembachij, *quæſt. nobil. 13.* eò quòd ſibi Regalem etiam juriſdictionem illi aſſertant. Ac ſi in flumine ex unâ parte juriſdictio ſit unius, ex alterâ parte alterius: juriſdictio non eſt inter eos communis,

nis, pro indiviſo; ſed quilibet habet pro diviſo juriſdictionem in medietate viæ vel fluminis, *argum. l. adeò, §. Inſula, ff. de adquir. rer. domin.* Cæpolla *dict. loc.*

V. Alveus, eſt fluminis venter ſeu lectus; in quo flumen cubat. Bartolus, *in tract. de alluvion. in princ.* Baldus, in *Rubric. ff. his num. 27.* Alveus autem fluminis publici, publicus eſt; quamdiù flumini deſervit, *l. 1. §. ille. ff. de flumin.* Cùm verò flumen alveum omninò dimiſit, deſinit eſſe publici juris, & efficitur eorum, qui propè ripam prædia habent. Peregrinus, *libr. 8. de jur. fiſc num. 56. & ſeqq. latè.* niſi agri vicinorum eſſent limitati: *l. in agris. ff. de adquir. rer. domin.* tunc enim alveus, uti in nullius bonis exiſtens, cederet occupanti, *l. 1. §. ſimiliq; modo, ff. de flumin.* Riparum porro uſum publicum eſſe, proprietatem privatam, inquit Gajus Ictus, *in l. 5. ff. h.* At ais, Cujus juris eſt totum, ejuſdem & partes ſingulæ eſſe debent. Totum autem flumen publici eſt juris. Ergò & ripa. Verùm ripa non eſt pars, ſed continens fluminis. Continens verò & contentum, naturâ ſunt ſejuncta. Inſtas: littora jure maris cenſeri. Ergò & ripas fluminis jure. Reſpondet Bronchorſt 1. *miſcellan. aſſert 5.* Littora partem maris eſſe; quia quotidianis acceſſibus occupantur à mari; ita ut ſequantur conditionem occupantis. Hinc Littus dicitur, quà fluctus alludit, & quouſque maximus fluctus à mari provenit. *l. 96. & 112. ff. de verbor. ſignificat.* non enim littus elevata terra eſt, ut ripa: quod ſciunt, qui littora viderunt. Sed non ubique ſufficiens ea reſponſio videtur: id enim etiam littus vocitatur, quod adjacet mari, quamvis refluxu maris non obruatur; ea nempè loca ubi ædificium poni poteſt, *in fin. dict. leg. 5.* ſcilicèt in terræ parte, ab aquæ injuriâ immuni. Ergò reſpondendum, littus non ut partem maris ſequi jus, ſed propter identitatem: quia ratio quæ militat in ripa, non locum in littore habet. Accolæ enim riparum coguntur eas munire. Ergò æquum eſt, ut pro laboribus & impenſis, ad ipſos pertineat proprietas, & commoda proprietatis, quæ percipere queunt ſalvo uſu; qui publici eſt juris, Coraſius *ad dict. leg. 5* certè ſi uſus riparum publico denegaretur, etiam ipſius fluminis uſus adimeretur: quid enim prodeſſet navigare, ſi non ad ripam appellere, onus reponere liceret? quid piſcatio prodeſſet, ſi retia non concederetur ſiccare? Permiſſâ itaque navigandi & piſcandi facultate, omnia conceſſa putantur, ſine quibus illa commodè perfici non poſſunt, *l. ultim. ff. de offic ejus cui mand. eſt. Iuriſdict. l. 1 ff. de Iuriſdict.*

VI. At quid de Inſulâ eſt dicendum, in flumine publico natâ? Anne ea Domino fluminis, ſeu Principi, & qui ab eo cauſam ha-

Digitized by Google

bet; anne verò vicini agri poſſeſſori cedit? vide Peregrinum, *dict. libr.* 8. *num* 61. Pro Principe, ſeu fluminis publici Domino, allegari (1) poteſt; quòd alveus fluminis publici, & ipſe publicus reputetur, *l.* 1. §. *ſimili modo, ff. de flumin.* ſicque ſi alvei illius, pars aliqua ſicca reddatur, & ita Inſula fiat, publici juris manebit: cùm eadem res diverſo jure non cenſeatur, *l. eum qui ædes* 23 *ff. de uſucap.* (2) Inſula, commodum fluviaticum eſſe cenſetur: commoda autem fluviatica pertinent ad eum, qui jurisdictionem & proprietatem fluminis habet. Sed magis tamen eſt, ut Inſula, vicinis & adjacentium prædiorum Dominis privatis, accedat. Andreas Schæffer, *quæſt.* 17. *part.* 2. Heigius, *part.* 2. *quæſt. ult.* Hartmãnus Piſtoris, *libr.* 4 *quæſt.* 17. Pro eóque eſt textus ſatis clarus, *in* §. *Inſula, inſtit. de rer. diviſ. l.* 7. §. 3. *l.* 56. §. 1. *ff. de adquir. rer. domin. l.* 1. §. 9. *flumin.* Et verò cur non vicinis accolis talis inſula cedat: cùm ij ripas non ſolùm munire, verùm & ſubindè aquarum excurſiones, atque alia pericula ſuſtinere cogantur; nec unquàm ex alluvione tale commodum acquirant, quod incommoda ſuperet inundationis, *tot. tit. C. de alluvionib.* Nec obſtat, quòd alveus publici juris eſſe à quibuſdam dicatur: jam enim Inſula ibi nata, à flumine & alveo, ipsâ naturâ ſeparata atque ſecreta eſt; & proindè etiam diverſo jure non immeritò cenſetur. Alveus enim nõ dicitur ratione loci, ſeu ſoli, ſed quatenùs ibi fluit aqua. Et quod de commodis fluviaticis dictum fuit: id ad juriſdictionalia ſpectat, juriſdictioniſque proventus. Undè Inſula, ratione jurisdictionis, pertinebit ad eum, qui in flumine imperium habet. Verùm extraordinaria illa, & maxumè ex Gentium jure venientia emolumenta, quæ ſanctio juris & ratio æquitatis, vicinis accolis, & Dominis circumjacentium prædiorum adſignavit; non ideò Domini ſunt juriſdictionales. Ius ideóque alluvionis, ſeparatam ab aliis fluminum commodis rationem habens, ſalvum privatis manere debet. Sed tamen, tunc Inſula ad fluvij Dominum ſpectat, cùm prædia prope fluminis ripam, & ipſa forte non privata, ſed publica ſint; puta prædia fiſci vel civitatis: tunc enim Inſula non privati, ſed publici juris eſt habenda. De eóque caſu ſumi debet *Lex penult.* §. *ult. ff. de adquir. rer. domin.* quæ noſtræ aliàs deciſioni refragari videtur. Licèt Cujacius, *libr.* 14. *obſervat.* 11. aliam adferat rationem conciliationis: & putet, inſulas ratione riparum & litrorum, quoad uſum, publicas ibi dici. Sed ſanè non loquitur Juriſconſultus de inſulæ ripâ, ſeu extremitate, quòd juris publici ſit, ſed hoc pronuntiat de inſulâ totâ. Ergò publica inſula eſt quæ ex publicis agris vicinis abraſa, & in medio flumine nata; non ea, quæ privatorum ex agrorum abraſione exiſtit. Adde hâc de

Anti-

Digitized by Google

Antinomiâ, Lyclamam, 7. *membran. eclog.* 2. Arumæum, *Diſputat. ad Leges præcipuas* 10. *Theſ.* 2. Sic & conſtitutio Adolphi Naſſovienſis, Imperatoris Romani, quam Anno M. DC. XI. edidit Dominus Freherus, ubi habetur: Si Inſula nata eſt in Rheno, vel alio flumine, in Comitatu alicujus Comitis, qui in ipſo flumine recipit telonia & conductus, habetque comitatum eundem; eadem Inſula ſpectat ad Imperium, & ipſum Comitem, non ad alium Dominum, cujus diſtrictus protenditur ad ripam fluminis prælibati. Hæc, inquam, conſtitutio, non habet juris auctoritatem: cùm non ſit inter receſſus Imperii relata: aut loquitur tantùm de jurisdictione.

VII Inter res, quæ publicæ ſeu populicæ ſunt, refertur quoque portus. Marcus Antonius Peregrinus, *de jur. fiſc. libr.* 8. *n.* 29. Locus nempè concluſus, quò importātur & exportātur merces, *l. portus* 59. *ff. de verbor. ſignificat.* Undè Veteres etiam portus, Bajas vocitârunt; à mercibus bajulandis: Iſidorus *origin. lib.* 14. *cap.* 8. *in fin.* dicitur & ſtatio, ubi rates ſtant, ſeu morantur. *l.* 1. §. *ſtationẽ, ff. ne quid in flumin. public.* Verùm quò ad Jurisdictionem, portus ſunt illius Domini, vel Civitatis, in quorum territorio exiſtunt. Et ideò vectigalia, ſeu reditus illius portus, ex mercibus provenientes, Regalibus accenſentur. *l. inter publica* 17. §. *final. ff. de verbor. ſignificat. cap. unic. de Regalib. in uſib. feudor.* Quæritur hîc, An portus maris, ingenio hominum fabricati, ſpectent ad ædificantes? Et reſpondet Baldus, *in Rubric. ff. h.* quòd ædificia ædificantium ſint; ſed portus ipſi, nihilominùs publici exiſtant. Ac item portus magis publici, quàm communes eſſe cenſentur; quia plerique vel manu facti, vel opere muniti ſunt: feréque ſemper reperiuntur moles in mari projectæ, causâ faciendi vel muniendi portum. *l.* 2. §. *adverſus, ff. ne quid in loc. public. l.* 1. § *inter neceſſarias, ff. de impens. in res dotal. fact.*

VIII. Viæ itidem publicæ ſunt, per easque ire, ducere currum, vel plauſtrum, cuilibet licet: *l.* 2. §. 1. *ff. ne quid in loc. public.* quæ eædem tamen ratione Juriſdictionis ad Principem ſpectant. Domini enim terrarum prohibere poſſunt, nedum ſuis, ſed & forenſibus, venire ad loca ſua. *argum. l. Divus, ff. de ſervitut. ruſticor. prædior.* quod & Baldus, *in uſib. feudor. cap.* 1. *de form. fidelit.* dicit, ac ſubdit: poſtquàm forenſes venerunt in territorium alicujus, ſicut populus reliqui exiſtunt. vide Cæpollam, *de ſervitut. ruſtic. prædior. cap.* 3. Atque hoc gentium jure receptum eſt, & ſic antiquiſſimis Britannorum Legibus, viarum jus pertinet ad Principem duntaxat: ejuſque juris violatori haud ſecus pariter atque ijs, qui in illis maleficium aliquod committebant, horrendæ conſtitutæ ſunt pœnæ. Selden, *in Iano Anglo-*

Digitized by Google

glor. libr. 1. *fol.* 10. Aequè enim viæ ac flumina, in imperantium ſunt poteſtate, curâ atque protectione: atque inde ad Regalia refertur jus publicæ viæ. Obrechtus, *Diſputat. de Regalib. thes.* 277. Habentur autem pro publicis viis, per quas iter populo patet; habentes exitum ad mare, aut in Urbes, aut in flumina publica, aut ad aliam viam militarem. Harumque ſolum publicum eſt; *l.* 2. §. *viam* 21. *ff. ne quid in loc. public.* adde Cammannum, *Diſputat. de jurib. Majeſt* 5. *theſ.* 34. & differunt à ſervitute viæ; ubi Dominus fundi, patitur tantùm ſervitutem. Viarum harum, maxumè olim habita ratio fuit apud Romanos: Sixtinus, *de Regalib. libr.* 2. *cap.* 2. *num.* 12. & in Galliâ Magiſtratus huic curæ præpoſiti, *Maiſtres des ports, paſſages & chemins*, vocitantur, Petrus Gregorius Tholoſanus, *libr.* 3. *ſyntagm. jur. cap.* 13. *num.* 5. haſque vias, adeò ad Regalia ſpectare dicunt; ut quamvis Comites, Barones, Nobiles, aut Civitates ſuperiorem recognoſcentes, ab utrâque parte viæ publicæ, jurisdictionem habeant circumquaque; tamen ipſum viæ publicæ Regale, ibi non ſibi adſcribere poſſint: niſi illud peculiariter conceſſione, vel præſcriptione adquiſiverunt, Cammannus, *dict. Diſputat.* 5. *Theſ.* 35. *& ſeqq.* Sicque is, qui Regalia habet, cognoſcit de homicidio, in viâ publicâ commiſſo. Dn. D. Bocerus, *de Regalib cap.* 2. *num.* 146. & commiſſum ibi homicidium cenſetur, ibique homicida puniri debet, ubi ſtetit homicida: utpotè ex cujus perſonâ, non autem occiſi, delictum hoc æſtimari debet: isque locus ex conjecturis non rarò colligi poteſt. Dn. D. Bocer, *dict. loc.* Quo verò in territorio taliter occiſus tumulandus ſit, oder wer ein Fraiſchpfandt zu nemmen habe? non tàm argumentis, quàm armis ſæpiſſimè ſolet diſceptari, Cujacius, *lib.* 21. *obſervat. cap.* 4. Dn. D. Bocer, *dict. loc. num.* 149. Ego cum communi putarem; ubi occiſus invenitur, ſeu ubi caput, tãquàm pars potior jacet. Cumque ita viæ pertineant ad Dominum ſuperiorem; ſi viarum publicarum infeſtatores, mercatorem, vel alium, in viâ publicâ opprimant, eisque res ipſorum eripiant; ille idem ſuperior, præfertim quando vectigal, vel pedagium eo nomine fuit depenſum, oder ſo er das glait genommen/ damnum reſarcire tenetur: vide latè Dn. Camman. *dict. Diſputat.* 5. *theſ.* 42. *& ſeqq.*

IX. Jure noſtro civili, viæ publicæ Baſilicæ hoc eſt, Regiæ, Prætoriæ, item Conſulares, & Militares indigitantur: Freye/ Kayſerliche/ Offne Landtſtraſſen/ *l* 2 §. *viarum, ff. ne quid in loc. public.* his opponuntur, contrariæque ſunt privatæ; quas agrarias quidam dicunt, Güeterwege/ per easque itur de Conſulari viâ ad agros. Vicinales rurſum viæ, indigitantur: quæ vel in vicis ſunt, vel in vicos ducunt:

eunt: da man von einem Dorff in das ander wandert/ hæque etiam publicarum jure cenſentur, ſi non ex collatione agrorum privatorum fuerint factæ. Dicitur etiam via publica Germanicè Heerweg/ Via militaris, aut potiùs via communis. Heer enim, teſte Goropio, *libr.* 7. *Hermatena*, commune eſt. Unde Heerberg/ Diverſorium, receptus communis, darinnen ſich jedermann verbergen mag. Heerzug/ ein gemainer Zug. Francicum vetus, *Heribannum*, communis convocatio. Ubi autem via publica ſpectat ad Communitatem: ut jam ferè eſt, quòd ſtatus Regalia habent; ibi univerſitas poteſt viam publicam reducere in privatam, aut aliò transferre: dummodò non vicinis hoc adferat magnum nocumentum. Ita poteſt mutare univerſitas, vel vendere aliquid de publicâ viâ; ſed vix ſine Principis conſenſu, niſi præſcriptio vel tacita conceſſio ſubſequatur. vide Alphonſum Moditium, §. *plebiſcitum, dubitat.* 87. ubi diſquirit: Quatenùs viæ publicæ, pertineant ad univerſitatem, ſuperiorem recognoſcentem. Adde Cammannum, *dict. Diſputat.* 5. *Theſ.* 35. Et de viis publicis, vide etiam Afflictum, *in tractat. de jur. protimis.* §. 9.

X. Quæri hîc item poteſt; an quis per publicam viam, exercitum ducere jure prohibeatur? Id quod rectiùs affirmatur: nemini enim licet ingredi agrum alienum, *l.* 3. *ff. de adquir. rer. domin.* §. *feræ, verſic. planè, inſtit. de rer. diviſ.* Quodque dicitur *in can. omnes leges, verſic. tranſire, diſtinct.* 1. fas eſſe tranſire per agrum alienum, id intelligitur Domino non prohibente. Et tranſitus impediri poſſe videtur (1) propter damna. (2) propter metum: etenim qui cum exercitu juſto, in meditullio alicujus territorij verſatur, dominus illius exiſtit; ſi velit. Maxumè autem refragatur, traditio Doctorum communis, quæ vult; quòd propter neceſſitatem ſi petatur innoxius tranſitus, liceat propter hanc cauſam bellum inferre, & tranſitum per territorium alienum uſurpare. Quod aliquoties fecerunt Iſraëlitæ, Duce Moyſe. & adprobat etiam Bartolus, *in l.* 1 *num.* 4. *C. de pagan.* Ac militibus cibariorum quæ accipiunt ſumptum ſolventibus; non eſſe tranſitum negandum, ſcribit quoque Angelus, *in l. ſi venditor,* §. *ſi conſtat, ff. commun. prædior.* Ripa, *de remed. præſervat. contra peſt.* §. *nunc devenio, num.* 117. Idque idem ſancitur *in cap. fin. cauſ.* 23. *quæſt.* 2. ubi habetur: Juſta bella gerebantur à filijs Iſraël contra Amorræos. Innoxius enim tranſitus negabatur; qui jure æquiſſimo humanæ ſocietatis petebatur. vide Covarruviam, *in cap. peccatum, part.* 2. §. 9. *num.* 4. *verſic. Quinta.* Undè inferunt Hiſpani, optimo jure, juſtéque ereptum fuiſſe Regnum, Johanni Labretano, Navarræ Regi, (à quo cauſam habet Modernus Galliæ Rex) eò quòd tranſitum Ferdinando

Digitized by Google

Arragoniæ Regi, cum exercitu armato contra Galliæ Regem per Navarram tendenti, negâſſet. Antonius de Padilla, *ad l. per agrum num.* 20. *& ſeq. C de ſervitutib. & aqua.* licèt maximè contradicant Galli. Carolus Molinæus, *ad conſuetud. Pariſ. part.* 1. §. 39. *num.* 4. adde Bodinum, *libr.* 1 *de Republic. cap.* 9 *fol. mihi* 188. Thuanum, *libr.* 1. *à princip.* Brutum fulmen; Hotomanni Ego litem non facio meam; ſed acquieſco in ſanctione Imperiali: quæ jubet, præſtitâ cautione, & turmatim, exercitus per territorium alienum tranſire.

CAPUT III.

De Rebus Univerſitatis.

Res, quæ unius urbis, vel communitatis reſpectu, publicæ ſunt, Res Univerſitatis dici ſolent; eò quòd non ad homines omnes, neque univerſum populum regionis, ſed aliquam tantùm urbem pertinent, vel pagum. Ab aliis etiam communes, ſeu juris civilis indigitantur, *argum. l.* 1. §. 2. *& ſeqq ff. ne quid in loc. public.* Et ſanè Res aliquæ univerſitatis, neceſſariò eſſe debent; nulla ſiquidem ſocietas abſque rerum communione fingi ferè poteſt. Neceſſe igitur eſt, ut qui in urbe habitant, vel pago, quædam communibus uſibus habeant deſtinata; ſi diu velint ſociati permanere. Ac talia ſunt theatra, ſtadia, plateæ, ædificia & alia ſpacia publica; nimirùm forum, pomerium, paſcua, §. 6. *inſtit. de rer. diviſ.* Tholoſanus, *libr.* 1. *de Republic. cap.* 1. *num.* 13. Bodinus, *de Republic libr.* 1. *cap.* 6. Golius, *libr.* 1. *politicor cap.* 3. *mihi fol.* 87. porticus, balnea, Theophilus, *ad* §. *univerſitatis, inſtit. h.* & ſi quæ alia inſuper communia Civitatum exiſtunt. Et talis quoque res Romæ fuit Martius Campus, *l.* 6. *in princ. ff. de contrah empt.* baſilicæ publicæ, &c. *l.* 83. §. 5. *ff. de verbor. obligat.* Eiuſmodi autem res, quia ut dixi, requiruntur ad conſtituendam rectam Uniuerſitatem; non civitas ſolùm Romana, ſed & municipia habent. Quamvis enim abuſivè publica dicâtur, *l.* 15. *ff. de verbor. ſignificat.* & civitates loco privatorum ſint, *l.* 16. *ff. dict. tit.* Vulteius, *in princip. Inſtit. h. num.* 17. Attamen id verum tantùm eſt, quò ad ea, quæ Majeſtatis Jura, & Imperium ſummum concernunt: in reliquis pari jure gaudent: maximè inter ſuos cives. Hilligerus, *ad Donell. libr.* 4. *cap.* 4. *lit. a.*

II. Cumque hæ res, jure dominij ſpectent ad civitates, aliaſque conſimiles univerſitates, ſequitur, malè Principes agere, quòd prędia civitatum & oppidorum, aut etiam pagorum, (vulgò Allmanden/

quaſi

quaſi allen Mannen gehörig/gemaine wayden, hölzer, wäldt &c.) Cameræ ſuæ adpropriare, vindicaréve contendunt: poſt Menochium & alios Thomas Michaël, *Diſputat. de Iuriſdict. theſ. 61.* Quemadmodùm enim Princeps non poteſt privato rem ſuam auferre; ita adhuc minùs populo, vel Univerſitati, modò tamen ab ipsâ Univerſitate illa fuerint legitimè occupata, vel acquiſita. Nec impedit, quod eruditiſſimus Bulengerus dicit: *de vectigal. lib. cap. 3. fol. mihi 15.* omnia Imperatoris eſſe: & hodiè neque urbes habere res proprias, neque populum Romanū. Quia Imperator omnia populi Jura ſibi arrogavit, vt quæcunque olim populi fuerint Romani, jam ſint Imperatoris. Nam hoc intelligendum eſt de Dominio Juriſdictionis, non proprietatis; ut mox infrà dicam, & etiam Seneca, *libr. 7. de benefic. cap. 4. 5. & 6.* docet.

Hinc dicitur, loca, quæ ſunt intra fines caſtri ſeu villæ, præſumi eſſe communitatis, cuius ſunt fines; præſertim nemora, paſcua, cæteráq; bona publica inculta. Covarruvias, *practic. quæſt. 37. num. 1.* Ac etſi Domini temporales, videantur habere fundatam intentionem de jure, quòd ad eos pertineant res ſitæ intrà limites ſuæ terræ ſeu caſtri. Maſcardus, *de probationib. concluſ. 217. in princ.* id intelligitur, quò ad Juriſdictionem tantùm; non autem reſpectu dominij particularium rerum, quod Domini habere non cenſentur. Maſcardus, *dict. concluſ. num. 10. &c.* Ubi hancce ſententiam communem dicit. Et quòd dominium paſcuorum & nemorum, non ſit Principis, qui habet Juriſdictionem & Imperium in aliquo loco; probat etiam Hoſtienſis, & Johannes Andreæ, *in cap. nimis, extr. de jurejur.* Afflictus, *ſuper conſtit. Regni, Rubric. 85. num. 8.* Item licèt bona pertinerent ad Dominos temporales; nihilominùs ſi cives vel ſubditi, habeant in dictis bonis jus paſcendi: bona illa inculta non poſſent Domini illi redigere ad culturam: eaque vendere, & Cameram ſuam locupletare. vide omninò Surdum, *conſil. 65.* Koppen, *quæſt. 15. per tot.* Gravettam, *conſil. 292. num. 2.* Nam forma prædiorum mutari nequit, ut jus paſcendi in illis quæſitum impediatur. Si verò bona illa ab Univerſitate non poſſideantur, nec ab eâ occupata ſint, pertinerent ad Dominum ſuperiorem loci. Peregrinus, *de jur. fiſc. libr. 4. cap. 3. num. 29.* Uide Matthiam Stephani, *de juriſdict. libr. 2. part. 2. cap. 7. num. 71.* adde omninò Hondedæum, *volum. 2. conſultat. 84.* ubi tradit; quatenus præſcriptum cenſeatur jus paſcendi ab Univerſitate, ut non poſſit Princeps bona ſua inculta, ſubijcere culturæ.

C 3 CAPUT

CAPUT IV.

De Rebus Privatis.

RES privatas, ſeu quarum uſus non eſt communis; in duplici rurſùs differentiâ eſſe puto. Quædam in patrimonio quidem Reipublicę ſunt, ſed non in civium uſu: Buſius, *Diſput. politic.* 11. *theſ.* 26. Quædam ſunt ſingulorum. Illa etiam publica alibi dicuntur; quia ſunt bona civitatis; *l.* 15. *ff. de verbor. ſignificat.* indéque peculia ſervorum civitatium, proculdubio publica haberi, reſpondet Ulpianus, *in l.* 17. *ff. dict. tit.* Hæcque bona poſſideri & diſtrahi poſſunt, & ea Bulengerus, *dict. tractat. de vectigalib. fol.* 5. abuſivè publica dici putat, quia nempè non in publico uſu civium exiſtunt. Prioris hujus generis sũt res fiſci, quæ non tàm in Principis, quàm Principatus patrimonio sũt, vulgò Cammergütter: & quæ etiam dicuntur Patrimonium coronæ, &c. atque Principi ad dignitatem ſuam tuendam, quaſi uſusfructus ratione attribuuntur. Alia enim Cæſaris ſunt, ſeu in Principis cujuſdam patrimonio privato; non quatenùs eſt Princeps; ſed quatenùs eſt Arcadius, Antoninus, *l. cùm ſervus* 39. §. *vltim. ff. de legat.* 1. *l.* 3. *C. de quadrien. præſcript.* Itaque res privatæ, & privata Principis ſubſtantia, & res Dominicæ, itemque patrimoniales, *l. penult. & l. vlt. C. de fund. patrimon.* nonnunquàm etiam Aerarium privatum appellantur. Hotomannus *quæſt. illuſt.* 1. Vultejus, *ad l.* 1. *C. de Iuriſdict. num.* 46, *& mult. ſeqq.* Betſius, *de pact. famil. illuſtr. cap. vltim. fol.* 724. *& ſeqq.* Alij etiam differentiam faciunt inter ea bona, quæ annexa & incorporata Principatui ſunt (quæ ideò Reipublicæ dos dicuntur; & quæ Princeps velut dotalia accipit in inauguratione ſui Principatus, quæque alienari non poſſunt) & inter illa, quæ ex præcedentibus naſcuntur, & percipiuntur, ac in theſaurum fiſcalem deferuntur: ad communem Principis ac Reipublicæ utilitatem, & negocia; ac in quibus Princeps majorem habet abutendi prætextum, Tholoſanus, *libr.* 3. *de Republic. cap.* 2. Conſentit ferè Bodinus, *libr.* 6. *de Republic. cap.* 2. *fol.* 641. Et peſſimè errant illi, qui dubitare audent, utrùm in Monarchiâ abſolutâ, valeat iſta diſtinctio bonorum; ut alia dicantur publica Imperij, alia Principis privata? Vide Keckhermannum, *Diſputat. politic.* 34. *quæſt.* 7. Non enim Princeps Jure Dominij, Rempublicam poſſidet, ſed gratiâ Imperij atque adminiſtrationis: ſicque non habet jus abutendi, ut privatus abuti poteſt re ſuâ. Quòd autem inter Domanium & fiſcum differentia ſit, etiam obſervat Hotomannus, *in Franco-Gall. cap.* 9. *à princ.* ubi ſcribit, Domanij commercium nullum eſſe, rerum fiſcalium

uſitatum

Digitized by Google

uſitatum ac legitimum concedi uſum. Ego puto, Domanium in bonis Regijs; Fiſcum conſiſtere magis in Regalibus Juribus. Eſt porrò differentia inter Aerarium & fiſcum, de qua videri poteſt Chriſtophorus Colerus, *parerg. cap.* 28. Buſius. 3 *ſubtil. cap.* 1. & Ego *in tractat. de Aerar. cap.* 1. *num.* 3. propriè nempè Fiſcus Principis; Aerarium populi eſt. Indéque ritè conſtituere videntur alteram ſpeciem rerum privatarum, quæ non ad ſingulos ſpectant; res illæ, quæ in publico Reipublicæ dominio ſunt, Gemeiner Landtſchafft Eintommen; aut oppidi alicujus ſingularis propria exiſtunt, Emer Statt ſonderbahre gütter. Item bona Collegiorum, Academiarum, &c. Jure hæc poſſidentur privatorum, licèt in dominio ſint populi vel Civitatis, Collegij, &c. quia uſus eorum non ad ſingulos ſpectat, nec omnibus communis eſt: ſed in Reipublicæ, ut corporis integralis convertuntur utilitatem. Sicque dicuntur hæ res jure privatorum poſſideri: reſpectu rerum Univerſitatis, quarum uſus ad ſingulos ſpectat. Loſæus, *de jur. Vniverſit. part.* 3. *cap.* 1. Weſembecius, *in paratitl. ff or. de rer. diviſ. ſub num.* 3. *ad fin.* Quo reſpectu *in l.* 7. § 1 *ff. quod cuiusque Vniverſit. nom.* reſpondetur: ſi quid Univerſitati debetur, ſingulis non debetur; nec quod debet Univerſitas, ſinguli debent. Tales res nempè erant agri publici civitatum, qui ſi in perpetuum locabantur, vectigales appellati fuerunt. *l. cotem* 11. §. 1. *ff. de publican. & vectigalib. l.* 1 *ff. ſi ager vectigal. l. Lucius* 21. §. *vlt. ff. ad municipal.* Quamvis igitur multò maxima pars vectigalium, in Fiſci jure eſſet; *l.* 1. *ff. de publican. l. inter* 17. *ff. de verbor. ſignificat.* quædam tamen populis & civitatibus conceſſa erant. *l. vectigalia* 10. *l. vlt. C. de vectigal. & commiſſ. l. vectigalia* 10. *ff. de publican. l.* 3. *C. de compenſat.*

II. Ad hanc diviſionem, quæ bona publica Univerſitatis, ab ijs, quæ Reipublicæ privatim propria ſunt, ſejungit; digitum quoque intendunt noſtri Jureconſulti, in quęſtione; An civis, in causâ civitatis, vel pro civitate, teſtimonium ferre queat? Nempè ſi cauſſa civitatis litigioſa, principaliter ſpectet ad civitatis honorem, & commodum; tunc ſinguli cives idonei teſtes (modò tamen priùs ipſis homagium relaxetur) eſſe cenſentur. Quia ſcilicèt cauſſa civitatis, ſingulorum civium propria eſſe minimè reputatur, *l.* 7. §. 1 *ff. quod cuiusque Vniverſit. nom* Sicque cives admittuntur in teſtes, ſuper Juriſdictione, & cōfinibus civitatis, cùm ea res non concernat ſingulos, ſed univerſos cives; & propriè ſit civitatis, ut Univerſitatis. Covarruvias, 18. *practic. quaſt.* Si verò commodum rei controverſæ reſpiciat immediatè & principaliter ſingulos cives; ac nempè ſi agatur de re Univerſitatis, cuius uſus omnibus civibus eſt communis (ut ſunt die Allmanden)

ROMA

tunc non poſſunt cives ferre teſtimonium pro civitate: quia in causâ propriâ, cujusq; commodum vel incommodum in effectu ad ipſos ſpectat, teſtimonium perhiberent, contra *l. omnibus C. de teſtib.* puta ſi agat civitas ad jus paſcendi in publicis paſcuis, ubi ſinguli cives habent jus pecora paſcendi, vel cædendi ligna in publicis ſylvis, da ſich die Burger ingemain beholtzen. Adeò ut nec hoc in caſu teſtes plures Univerſitatis, conjungerentur ad faciendam probationem. Quia nimirùm omnes, ob proprium commodum defectui & ſuſpicioni obnoxij videntur. At ubi nullus integer eſt, & fidei probatæ, ſuppletioni haud eſt locus: ut tradit Alexander, *conſil. 57. colum. penult. volum. 7.* Haud quippè plures teſtes omninò inhabiles, idoneos ſe facere poſſunt; quoniam enim unus adderet alteri fidem, quam ipſe non habet. Sed de quæſtione hâc uideri poteſt Maſcardus, *de probationib. concluſ. 1422.* Farinacius, *tract. de teſtib. quæſt. 60. num. 495. &c.* Bronchorſt, *centur. 2. ἐναντ. 99.*

III. Tandem res quædam merè privatæ (ſeu ſingulorum) vocitantur: quarum nempè poſſeſſio, uſus & dominium, aut Principis eſt, ut privati (quemadmodùm etiam innui ſuprà) aut verò ſubditorum, ut ſingulorum, ſeu privatorum; Et ex varijs cauſis, jure civili proditis & explicatis, cuique vel adquiruntur, vel amittuntur, *tot. tit. Inſtit. de rer. diviſ. & adquir. ear. domin. ac tot. tit. ff. de adquir. rer. domin.* Sciendùm autem eſt, opinionem illam; quòd nihil ſit in Republicâ privati, ſed omnia pertineant ad Reges, ac alios Magnates; noſtrum uerò tantummodò eſſe uſumfructum; iniquam & Tyrannicam, vel ſaltem fundamentum omnis Tyrannidis eſſe. Ac etiamſi eam foveât quidam, qui pietatem & juſtitiam præ ſe ferunt; ut nempè facit Britanniæ pientiſſimus Rex *in tract. de liber. Monarch* Ubi ſubditos dicit, tãtùm Vaſallos eſſe; proprietatem penes Reges, quod cave intelligas in genere de omni; ſed tantùm de Scotiæ Monarchiâ, quæ ſub Barbaris cœpit. Alio fine hodiè Aulico-politicorum omnium animos, opinio ea inſedit ac occupavit, eiq; omnes ſuos ſuperſtruũt conatus. Et nempè cùm res facilè redeat ad principium ſuum, putant; impium non eſſe, ſi faciant ut omnia redeant ad Principatum, cujus ab initio fuerunt. At verò ſumma poteſtas Majeſtatis, non ad Dominium, ſed tantùm ad Imperium rerum privatarum eſt referenda, quod & innui ſuprà, hocq; & Cicero intellexit, ac contra aliter ſentientes, qui Chriſtiani eſſe volunt, teſtabitur aliquandò. Monet enim is eam in ſententiam eleganter, *libr. 2. officior.* ac inquit: videndum erit ei, qui Rempublicam adminiſtrat, ut ſuum quiſque teneat, neque de bonis privatorum publicè (prætextu publici juris, & poteſtatis) diminutio fiat.

Probat

Digitized by Google

Probat item hancce ſententiam Hiſtoria Nabothi. Quin & Juriſconſulti, æquiſſimi hac in parte qui eſſe ſolent, apertè tradunt; in agri privatorum, nihil ne publico quidem conſilio, cum ipſorum injuriâ capi jus eſſe. *l.13.ff.commun.prædior*. Indè ſine juſtâ causâ, puta delicti, vel publicæ neceſſitatis, bona ſubditis auferri non poſſunt. Alioquin ſi omnia Principis ſunt, quod erit Dei? quibus verbis Tertullianus, *libr.de idololatr* hanc ferocem ſententiam eludit. Et conſiderat etiam eum in ſenſum Jaſon, *ad l.5.in princ.num.11.& 13.ff. de condict. cauſ. dat.* quòd quidem leges Deus ſubjecerit Principibus, non tamen contractus: ſi autem omnia Principum eſſent: non ij contractibus cum ſubditis initis tenerentur. At verò fit, ut multis in caſibus æquo jure cum cæteris Princeps utatur, *Novell.59 cap.11.l.6.l.22.§.2 ff.de jur.fiſc.l.2.& 3.C.ne fiſcus,vel Reſpubl* Undè etiam in dubio qui contra fiſcum reſpõdet, non dicitur errare, *l.10.ff.de jur.fiſc.* Meritoq; laudat in Panegyrico, Trajanum Imperatorem Plinius, hiſce verbis: non exturbatis prioribus dominis, omne ſtagnum, omnẽ lacum, omnem ſaltum paſcuæ circumvenis; nec unius oculis, flumina, fontes, maria, deſerviunt. Ecquid Cæſar non ſuum videat? tandemq; Imperium Principis, quàm patrimonium majus eſt. Et in *L.3.C. de quadrien. præſcript.* non reſcriptum invenimus, omnia Principis eſſe; ſed intelligi: & quidem non cujusvis generis bona, ſed quæ ex ſubſtantiâ fiſcali, vel principali sũt alienata: id eſt tàm res privatæ ejus ſubſtantiæ, quàm res ipſius fiſci publici, & ærarij. Cujacius, *ad titul. Codic.de offic.Comit.rer.privat.in paratitl.* Connanus, *libr.3. Commentar.cap.ultim.num.* 8. Nec olim etiam Barbarica Imperia, talem ſibi ſumpſerunt poteſtatem: ſanè *ex cap.Geneſ.*47. adparet; Pharaonis non fuiſſe terram, antequàm emiſſet eam. Concludamus ergò, ſolius Dei omnem eſſe terram; *Exod. cap.19. verſic.5* ab eo Imperantes ſimul & privatos, eam poſſidere ligio nexu. Indè ille pro lubitu transfert Regna, familias perdit, divitias etiam privatis largitur. Addo, quæ divinè Philon Judæus, *de Legis allegor. libr.*2. Qui audet dicere, ſuum eſſe aliquid, ſempiternâ notabitur ſervitute: ſunt hæ voces delapſorum in ſummam ignorantiam, quia ſoli Deo competit hæc vox, Meum. Ejus enim ſolius poſſeſſio, eſt hæc rerum Univerſitas; atteſtante vel ipſo, cùm dicit: Dona mea, munera mea. Sed hâc de quæſtione vide Hotomannum, *quæſt.illuſtr.* 1. Dn. D. Harpprechtum, *ad princip.Inſtitut.de rer.diviſ.num.94 & ſeq.* Me, *libr. 1.politicor.cap.2.num.46.*

IV. Principi & Reipublicæ, non quidem dominium, ſed tantùm Imperium competere dixi, in bona privatorum. Hoc autem Imperium non finem habet Tyrannicam vim, non dominatum, ſed ſub-

D ditorum

ditorum ſolummodò utilitatem, ut *libr. 1. politicor. cap. 1. num.* 34. probavi. Quicquid ultrà eſt, à peccato eſſe videtur, & vereor, ut ſeveris inferni pœnis puniatur. Imperium autem hocce legitimum, conſiſtit in eo; ne quis ſubditorum vel alteri, vel ſibi noceat: ac quoque ut Rempublicam non lædat, ſed potiùs juvet. Operam itaque imperans navet, ut dominia ſua ſingulis ſint in tuto, ne vis adhibeatur: ut dominia jure, certiſq; modis transferantur; ut quoad dominia ab alienis detẽta, legitima remedia extent, ad ea vindicanda, &c. Intereſt etiam Reipublicæ, ne quis re ſuâ malè utatur, maximè ad proprium nocumentum: ac ſanè ſi ſollicitè caveatur, ne quis privatorum re ſuâ abutatur; exindè ſingulis & Reipublicæ item optimè conſuli poſſe videtur. Ergò licèt quilibet rei ſuæ moderator & arbiter exiſtat; cavere nihilominùs pro Imperio poteſt Princeps, ut prodigis interdicatur bonis; ut luxus in cibis & veſtitu removeatur. Quibuſdam item in locis non præter rationem ſtatuto cautum eſt, ut ſubditi conſenſum Magiſtratus exigant, ſi pro alijs fidejubere velint. Dn. Rutgerus Rulandus, *in deciſ. jur. controv. quæſt.* 65. Ita & in hoc Ducatu ſtatutum extat, ne inſcio Principe, ſub uſuris mutuò accipiant pecuniam ſubditi. Fürſtliche Würtembergiſche Landtsordnung/ *fol. mihi* 10. *& ſeq.* Tenetur item ſubditus, ſuis bonis & opibus, Rempublicam juvare: undè tributa & collectæ imponi poſſunt, in caſu neceſſitatis, ut *in tractat. de Aerar.* dixi. Non etiam negligẽda ſunt, quæ pertinent ad ædificia privata; ſed & eò uſque curam ſuam extendere debet Princeps, vel alius Reipublicæ moderator. In quibus ſequentia veniunt obſervanda: inprimis nempè *συμμετρία*; ut ſcilicèt ſic ab initio domus condantur, ut tota urbs de qualitate unus quaſi ſit murus (hâc enim ratione minore ſumptu, majus urbi paratur decus) (2) habenda eſt ratio regionis, in quâ conſtituuntur: ut ſcilicèt materia eligatur, quæ non facilè incendium concipiat, & quæ ſunt ſimilia. Junius, *politic. quæſt.* 66. Cõmendandi etiam, non opprimendi, vel onerandi ſunt, qui ſplendidè ædificant. Caſſiodorus, 4. *variar. Epiſtolar. vltim.*

V. Neceſſariò hîc quærendum eſt; an liceat habere propria bona: num verò præſtet, communia omnia eſſe? Sanè Plato, Philoſophorum ſummus, & ſimul ex Socratis (quem Oraculum Apollinis, ſapientiſſimum judicavit) traditione; unionem, amicitiamq; in Republicâ ſummam, per ſublationem duorum illorum vocabulorum, MEUM & TUUM, in mundum introducere niſus eſt. Verùm id, in hoc perverſo mundo fieri nequit. Ut enim Jura Legeſque, cuilibet ſuum aſſerentes, & violatores, raptoréſque puniẽtes, efficere haut poſſunt; quin multi appetant aliena, aliorúmque bonis, magno labore partis

fruantur,

Digitized by Google

fruantur, ipſi otioſi: ita ſi omnia communia eſſent, malitia hominum confuſionem multiplicaret: & illâ aliud nihil efficeretur, quàm ut mali bonos, eò ſpecioſiori colore deprædarentur. Sed Platonis argumenta ſolidè Ariſtoteles refutavit, *libr. 2. politic. cap. 2.* Golius, *politic. libr. 2. cap. 2. & 3.* Timplerus, *politicor. libr. 1. cap. 1. quæſt. 1.* Rodolphus Goclenius, *problem. Ethic. 89. & ſeq.* Eamq; ideò Platonis opinionem, Johannes Caſus, *Sphær. Civitat. libr. 2. cap. 1.* vocat novam & inauditã; quæ nullius Principis diplomate ſit obſignanda, & nullius Philoſophi chirographo ſubſcribenda. Ac adparet inprimis ſententiæ Platonicæ abſurditas ex eo; quia nullibi illa fuit adprobata, ſed totius orbis, omniúmque ſeculorum praxi & uſu refutata. Quin & dominiorum diſtinctio, adeò ab antiquiſſimâ vetuſtate comprobata fuit; ut lapides terminales, ſacri olim haberentur: quos ſi quis transferre, aut tollere fuiſſet auſus; lege latâ, caput eius, qui tale perpetrâſſet, Deo terminali devoverit Numa. Quam in rem ita ſcribit Dionyſius Halicarnaſſæus: debuerant, inquit, rem ipſam obſervare, ob quam termini, Dij habiti ac nominati fuerunt; & contenti proprijs poſſeſſionibus, non vi nec dolo adpetere alienas. Ita & præcipitur in Lege Moyſis: Non aſſumes & transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in poſſeſſione ſua. *Deuteronom. cap. 19. verſ. 14.* Sic & Decalogi præceptum eſt, non adpetere agrum alienum: quæ ſanè ambæ leges, præſupponunt dominiorum diſtinctionem.

VI. Sed verò Diſputatio major eſt; An ſi perverſitas mundana non permittit diſtinctionem dominiorum: ſaltem perfectio Chriſtiana, exigat eandem? Quam opinionem nonnulli Anabaptiſtæ fovent, & adhuc in Moraviæ quibuſdam locis re ipsâ in uſu habent; ut & noviſſimè Valentinus Wigelius, proprietatem bonorum graviter oppugnat, præſertim *in tract. de Vit. Chriſt. cap. 20.* Contra quos videri poſſunt, Conradus Summerhard de Calv, eximius quondam in Academiâ Tubingenſi Theologiæ Profeſſor, *tract. de contract. quæſt. 8.* Chemnitius, *part. 2. locor. Theologicor.* Johannes Forſterus, *Diſputat. ad Decalog. decad. 3. problem. 1.* & addi debet Dominicus Arumæus, *exercitat. Iuſtin. 2. theſ. 2.* Dn. Valentinus Forſterus, *in eleganti ſuo de dominio tractat. cap. 10.* Dn. Antonius Winter, *in Adſeſſor. part. 1. cap. 1. num. 3. &c.* Ego *in Commentar. ad L. 5. ff. de Iuſtit. & jur. quæſt. 3.* Et neque opinio eorum, qui proprietatem oppugnant, videtur nova. Namque Nicolaus IV. Pontifex Maximus, *in cap. exiit, de verbor. ſignificat. in 6.* dicitur definiſſe: Chriſtum verbo & exẽplo docuiſſe perfectam charitatem, quæ conſiſtit in abdicatione rerum omnium, nullo ſibi dominio reſicto; nec in particulari, neque in communi: ac proindè talem pau-

pertatem ſanctam & meritoriam cenſendam. At viciſſim hoc ſi ita nudè & crudè intelligatur, falſum & hæreticum eſſe, docuit Johannes XXII. Pontifex Maximus, *in extravag. cap. ad conditorem, tit. de verbor. ſignificat.* ubi ait: impoſſibilem eſſe paupertatem, quâ quis in rebus uſu conſumptibilibus abdicat ſe omni dominio, ſolo uſu retento; *& in extravag. cùm inter nonnullos,* declarat, eſſe hæreticum, dicere, Chriſtum talem paupertatem verbo aut exemplo docuiſſe. Quæ res magnas tempore Ludovici IV. lites movit, ut videre eſt apud Magnificum Hervvartum, *in ſuo Ludovico IV. defenſo. fol.* 460. *&c.* ac adde Bellarminum, *libr. 4. de Rom. Pontific. cap.* 14. Ego quæſtionem ſuprà propoſitam quibuſdam propoſitionibus conabor explicare.

VII. (1) Omnia Dei ſunt, minimè noſtra. (Undè Onciacus, *quæſt. jur. Philoſophic.* 9. piè ſcribit, proprietatis rerum, ſuperfluam quæſtionem eſſe, quia nil nobis proprij exiſtat) & ergò, ſive quid privatim, ſive in communi poſſideamus, ita cuncta debemus poſſidere, ut dependentia à Deo; ut ipſius propria &c. Quam in rem, lubet recitare verba Philonis Iudæi, *libr. 2. de Cherubim, fol. mihi* 92. *&c.* Nemo mortalis, habet ullius rei ſtabile certumq; dominium: quos autem vulgus Dominos vocat, opinione magis, quàm reverâ Domini ſunt. Et reverâ Princeps ac Imperator unus Deus habendus eſt, quem ſolum decet hæc vox; Omnes res meæ sunt. Et poſtea *fol.* 97. Nihil purificatam mentem majori afficit lætitiâ; quàm quòd Dominum habet, quem agnoſcit rerum omnium Regem. nam ſervire Deo, maxuma eſt gloriatio: non modò libertate major, ſed & divitijs, & Principatu, & omnibus rebus, quas mortales mirantur, precioſior. Potentiam autem ejus, quæ eſt Jehovæ, verè teſtatur Oraculum illud: & terram non addices in perpetuum, mea enim eſt univerſa, quoniam Advenæ & Inquilini vos eſtis coràm Me; Annon manifeſtiſſimè docet, jus poſſeſſoris omnium rerum, ad Deum pertinere; uſum verò ſolùm ad creaturam? & quæ ibi pulcherrima ſequuntur.

VIII. (2) Jure Naturali omnia libera & communia ſunt: Und iſt Aygenſchafft wider die Natur der Erſchaffung / jure verò gentium demùm, introducta, factaq; fuit diviſio rerum: ſpectatâ namque primâ rerum conſtitutione, quâ res à Deo conditæ & donatæ ſunt generi humano, in commune eas donavit, nihil cuiquam adpropriãdo. Et ſic ſpectato jure, quod tunc erat, antequàm quicquam jure poſitivo ac gentium fuiſſet introductum, omnia communia erant. Itaque fuiſſet contra jus naturale, prohibere quenquam uſu cujuſcunque illarum rerum. Quia tamen Deus ita humano generi in commune res donavit; ut nec præceperit, ut omninò haberent eas communes, neque

que

que prohibuerit, quin eas inter ſe dividerent (præſertim ſi id temporis ſucceſſus, generiſq; humani ſtatus poſtularet) ſanè homines poſt lapſum in peccatum, poſtulante id rectâ ratione, dividere eas inter ſe potuerunt; reque ipsâ diviſerunt; Tùm ut meliùs adminiſtrarentur; tùm etiam, ut pax inter homines ſervaretur: quæ ſanè, ſi omnia omnibus univerſim communia eſſent, ſervari nullâ ratione poteſt. Eaque de causâ, poſt rerum diviſionem, licitum eſt cuique prohibere abuſu rei ſuæ alium quemcunque. Ludovicus Molina, Theologus Societatis Ieſu, *de Iuſtit. & jur tract. 1. diſput* 4. *num.* 8. Sicque quemadmodùm in innocentiæ ſtatu, expediens ac decens erat communis poſſeſſio rerum; ita viciſſim eæ pòſt peccatum neceſſariò diviſæ fuerunt: quamvis nec diviſio rerum tollat omninò abſurda, & mala cuncta, quæ ſequerentur, ſi rerum dominia diviſa non fuiſſent, Molina, *dict. tract. diſputat.* 20. *per tot* adde Campanellam, *Moral. cap.* 6. *num.* 7.

IX. (3) Licèt de Jure Naturali diviſio rerum non fuerit introducta; unde dicit Auguſtinus, *can. quo jure, diſtinct.* 8. Tolle Jura Imperatorum, & quis audet dicere, hæc villa eſt mea, mea eſt hæc domus? Attamen eandem Deus in ſuâ Lege ſæpiùs adprobavit: ut & jam ſuprà edoctum fuit; dum ſcilicèt prohibet, ne quis adpetat aliena. Id quod in Novo quoque Teſtamento ſublatũ haut fuit. Novum enim, & Vetus Teſtamentum, non adeò differre videntur; ut potuerit aliquid directò eſſe contra Chriſtianam Charitatem, in veteri licere. Sic & Salvator noſter ex factis Veteris Teſtamenti: putà quòd David comederit panes propoſitionis, deſumpſit Argumentum. Chriſtus item venit implere Legem, nec abolere politias; ſed perficere eaſdem. Beatus Paulus commendat Philemoni ſervum fugitivum: non fulminat Anabaptiſtico more; ſervitutem contra Chriſtianam eſſe Legem. Paulus ad Eleemoſynas adhortatur pios; & ita Dominiorum diſtinctionem præſupponit: ac quoque idem docet, quâ ratione emere, & bona corporalia poſſidere debeamus.

X. (4) Cùm rerum diviſio, propter lapſus neceſſariam conſequentiam, fuerit introducta; hincq; dicatur *in can. dilectiſſimis, cauſ.* 12. *quæſt.* 2: communis uſus omnium, quæ ſunt in hoc mundo, omnibus hominibus eſſe debuit; ſed per iniquitatem alius dixit, hoc eſſe ſuum. Vide Auctorem Parthenij Litigioſi, *libr.* 1. *cap.* 7. *num.* 13. Ideò Chriſtianus propria quæ habet, poſſidet quidem, rerumque diviſionem adprobat propter ordinem, qui aliter hoc rerum in ſtatu conſervari nequit. Sed haut eo delectatur: verùm ut crucem hanc inæqualitatem portat; lubensque omnia communia haberet, optatque id fieri poſſe; ſcit enim ſi omnes boni, & omnia communia eſſent, majora

jori commoditate omnes victuros. Vide Sebaſtianum Francum, *Paradox* 15;*fol.mihi* 212. Hicque pius affectus Monachatum olim introduxit, cujus aſſeclæ, paupertatis præſtant votum omnes, eorúmque aliqui, planè nihil, nec privatim, nec in commune poſſidere queunt, ut Capuzini &c. Jungi debet Illuſtriſſimi Bellarmini *Liber*, 4. *de Pontific. cap.*14. de paupertate Chriſti multa egregia habens. Qui idem docere ſatagit; Chriſtianos primos, qui omnia communia habuerunt, fuiſſe Monachos, *libr. de Monach. cap.*5. *& cap.*20. Adde, quæ ex Philone Euſebius refert, *hiſtor. libr.*2. *cap.*16. *&* 17. Qui idem *libr.* 3 *hiſtor cap.* 37. ſcribit: etiam poſt Apoſtolos, quoſdam omnia vendidiſſe, & Evangelium prædicaſſe.

XI. (5) Dominiorum diſtinctio, rerúmque proprietas tùm demùm, haut diſplicet Deo, & eâ, ſalvâ conſcientiâ vti poteſt Chriſtianus; ſi (1.) ea ut non poſſidens poſſideat; nec cor adponat. *Pſalm.* 62. *verſ.*10. 1. *Corinth.*7. *verſ.*29. *&c.* Et (2) ſi ſecundum charitatem omnia piè communicet. Vide quæ dixi, *libr.*1. *politicor. cap.*1 *num.*7. *verſic.*6. Hoc innuit Beatus Paulinus, *epiſt.* 5. *ad Severum.* ubi ita ſcribit: Deus, nobis nihil in hunc mundum inferentibus, ſubſtantiam rerum temporalium, quaſi tonſile vellus apponit; non ut ſarcinâ impediat, quos expeditos naſci jubet, ſed ut materiam nobis virtutis ad merita pariẽda proponat; & ſit undè documentum noſtræ in Deum (id eſt, verum Patrem, ac Dominum) fidei atque pietatis edamus, ſi ſuppetant nobis chara, vel dulcia; quæ (præferentes Deum) magno præmio negligamus. Ac de eodem Paulino, Proſper, *de vita contemplativâ, cap.*9. Sanctus, inquit, Paulinus (ut ipſi meliùs nôſtis) ingentia prędia, quę fuerunt ſua, vendita pauperibus erogavit: ſed cùm poſtea factus eſſet Epiſcopus, non contempſit Eccleſiæ facultates, ſed fideliſſimè diſpẽſavit. Quo facto ſatis oſtendit, ut propria debere propter perfectionem contemni, & ſine impedimento perfectionis poſſe, quæ ſunt communia Eccleſiæ, poſſideri. Sed illud prius quod dixi, bona poſſidenda eſſe, ut animum non intrent: optimè expreſſerunt vetuſti illi Theoſophi, ſeu contemplativæ Theologiæ cultores; Inter quos Hẽricus Suſo, aliàs Süſſe, ita ſcribit, *in tract. de novem rupib. fol. mihi* 416. Qui ad octavam rupem cupit evolare, rebus & bonis ſuis tẽporarijs, quę inter Deum & ipſum aliquod poſſunt medium efficere, ſeſe exuat & exoneret neceſſe eſt; aut certè ita eas ſervet, ut eas nihili pendat, nec ſibi approprieт: ſed tanquàm non habens habeat, potiuſque indè promoveatur ad Deum, quàm erga illum impediatur. Hoc pacto quiſquis eas res habet, licèt eas obtinet, ſi tamen eis, non ſeipſum ſpectet & amet, ſed ſolùm Dei honorem: illi permittit Deus, ut vitæ ſuſtentandę

ſtentandæ neceſſaria indè accipiat, quodque ſupereſt, totum Deo, cujus revera eſt, impertiatur. &c. Sicque qui homines æquare vult, non opes ſubtrahere debet; ſed arrogantiam, ut illi potentes atque elati, pares eſſe ſe apud Deum, mendiciſſimis ſuis ſciant. Detractâ enim divitibus inſolentiâ, & iniquitate, nihil intererit; utrúm ne alij divites, alij pauperes ſint: cùm animi pares exiſtant: quæ efficere nulla alia res poteſt, niſi Chriſtiana Religio. Lactantius, *libr.3. Divin. Inſtit. cap. 22.* Et ea quidem aliter, quàm nunc vulgò fit, inculcata. Cùm enim hodiè non tales producat effectus, neceſſe eſt concludi, etiã abeſſe idoneam cauſam, ſeu modum. Ad poſteriorem autem, quam dixi, cõditionem; quòd nempè poſſeſſiones, egentibus & proximis noſtris, per charitatem debeant communicari: etiam Ariſtoteles reſpexit, cùm dicit; *libr.2. politicor. cap.3.* communem atque unam nos efficere debere civitatem, non uxorum confuſione, liberorúmque & patrimoniorum communione: ſed diſciplinâ &c. Facultates χρήσει, ſeu uſu communes ſint, non ex neceſſitate, ſed κατ' ἀρετὴν, ſeu ſecundum virtutem: hocque intuitu Lactantius, *dicto loco* ſcribit, rerum proprietatem, & vitiorum & virtutum materiam continere: communitatem autem nil aliud, quàm vitiorum licentiam eſſe. Indè iniquus, & non Chriſtianus eſt, qui prodigaliter abſumit, quo miſeros & egentes ſuſtentare poſſet. Eo intuitu vocat Chriſtus Mammona injuſtum, cum quo nobis debeamus facere amicos. *Lucæ 16. cap.* Sed audiamus, quid Sancti Patres de divitum avaritiâ, vel effuſione dicant. Sanctus Baſilius, *Oratione ad divites, in illud Evangelij, Deſtruam horrea mea:* At tu, inquit, nónne ſpoliator es, qui quæ diſpenſanda accepiſti, propria reputas? Eſt panis famelici, quem tu tenes; nudi tunica, quam tu in conclavi conſervas; diſcalceati calceus, qui apud te marceſcit; indigentis argentum, quod poſſides inhumatum: quocirca tot pauperibus injuriam facis, quot dare valeres Sanctus Ambroſius, *ſermon.* 81. Sed ais, inquit, quid injuſtum eſt, ſi cùm aliena non invadam, propria diligenter ſervem? O impudens dictum! Propria dicis? quæ? Ex quibus reconditis in hunc mũdum detuliſti? *Et infrà.* Non minùs eſt criminis, habenti tollere; quàm cùm poſſis & abundes, indigentibus denegare. Sanctus Hieronymus, *in Epiſtol. ad Hedibiam quæſt.* 1. Si plùs, inquit, habes, quàm tibi ad victum, veſtitúmque neceſſarium eſt; illud eroga, & in illo debitricem eſſe te noveris. Sanctus Johannes Chryſoſtomus, *homil. 34. ad populum Antiochenum,* Numquid, inquit, grave quidpiam & oneroſum à nobis requirit? neceſſitatem excedentia, vult nos facere neceſſaria; Et quæ nequidquam & inutiliter repoſita sũt, hæc vult benè diſtribui. *Et infrà.* Tuarum, inquit, rerum es, ô homo,

Digitized by Google

diſpenſator, non minùs, quàm qui Eccleſiæ bona diſpenſat. *Et infrà.* Non ad hoc accepiſti, ut in delicias abſumeres; ſed ut in Eleemoſynam erogares: numquid enim tua poſſides? res pauperum tibi ſunt creditæ, ſive ex laboribus juſtis, ſive ex hereditate paternâ poſſideas. Sanctus Auguſtinus, *in Pſalm.* 147 Superflua, inquit, diviti, neceſſaria ſunt pauperi: res alienæ poſſidentur, cùm ſuperflua detinentur. Idem Author, *in homil.* 8. *& libr.* 50. *homiliar.* ſic loquitur: defert DEUS tibi honorem, & quaſi tibi dicit prior de communi tolle, quod ſufficit neceſſitatibus domus tuæ; quod reliquum eſt, da Chriſto. Denique idem, *in tract.* 50. *in Iohannem*: Tibi, inquit, ſuperflua ſunt, ſed Domini pedibus, pauperibus neceſſaria ſunt Sanctus Leo, *ſermon.* 5. *de collect.* ſic ait: Etiam terrenæ & corporeæ facultates, ex DEI largitate proveniunt; ut meritò rationem eorum quæſiturus ſit, quæ non magis poſſidenda, quàm diſpenſanda commiſit. Sanctus Gregorius, 3. *part. paſtoralis curæ admonitione* 22. Admonendi ſunt, inquit, qui nec aliena appetunt, nec ſua largiuntur, ut ſciant ſollicitè; quòd ea, de quâ ſumpti ſumus, cunctis hominibus terra communis eſt: & idcircò alimenta quoque omnibus communiter profert; & incaſſum ſe innocentes putant, qui commune DEI munus ſibi privatim vindicant. Sanctus Bernhardus, *in Epiſtol.* 42. *ad Henricum Archiepiſcopum Senonenſem*, ſic ait: Noſtrum eſt, pauperes clamant, quod effunditis; nobis crudeliter ſubtrahitur, quod vos inaniter expenditis. *Hæc ille.* Neque diverſam doctrinam tradũt Doctores Scholaſtici meliores in Scholis. Sanctus enim Thomas, qui omnibus eminet, ſic loquitur: 2.2. *quæſt.* 66. *artic.* 7. Res, quas aliqui ſuperabundanter habent, ex naturali jure debentur pauperum ſuſtentationi. Idem, 2.2. *quæſt.* 87. *artic.* 1. Dominus, inquit, non ſolùm decimam partem, ſed omnia ſuperflua pauperibus jubet exhiberi. Denique *in* 4. *ſententiar. diſtinct.* 15. hanc eandem eſſe teſtatur communem ſententiam Theologorum. Adde Iſidorum Peluſiotem, *libr.* 2 *epiſtol.* 146. *ad Caſium Scholaſticum*, ubi hæc eadem, & rationibus ex Ethnicis Scriptoribus depromptis, inculcat. Pateſcit etiam ex *cap.* 1. *Tobiæ* editionis Hebraicæ, à Sebaſtiano Munſtero vulgatæ; Judæos decimam unam Sacerdoti; ſecundam & tertiam dediſſe peregrinis, viduis, pupillis, &c. ut benedictionem, ſanctitatémque quaſi, reliquis portionibus conciliarent.

XII. (6) Sed hîc labor, hîc opus eſt, haſce duas poſſeſſionis divitiarum legitimæ conditiones, ut ita in uſu habeamus, quemadmodùm profeſſio exigit Chriſtiana. Neceſſe ſanè hîc eſt, ut proximum diligamus, quemadmodùm noſmetipſos, ut ſciamus, non Chriſtianum dicterium eſſe; benè ordinatâ charitatem incipere à ſemetipſo;

ſed

Digitized by Google

ſed proximum æquè ac nos diligendum. Hîc exuendus eſt proprius amor, utilitas privata: quod tamen non facile eſt homini animali, non per Spiritum ſublimiorem verâ fide illuminato: quod & caſci Germani innuerunt, quorum proverbium fuit: Wañ der aygen nutz nicht wer/ ſo were das Evangelium nicht ſchwähr. Hîc non ſemper urgendum eſt jus ſtrictum: non omne quod ſecundum leges humanas licet; pro pio, honeſtoq; habendum erit. Hucque alludit Chriſtus, cùm ait: *Iohannis cap.16. verſic.8.* Spiritum Sanctum, cùm venerit, accuſaturum mundum, non ſolùm de peccato, ſed & de Juſtitiâ, & Judicio. Sebaſtianus Francus, *paradox. 252. & ſeqq. Item paradox. 227. &c.* Viciſſim verò ſunt regulæ intimæ Chriſtianitatis: beneficus etiam ſuum genium defraudat, ſtultiſſima eſt charitas, & prodiga ſui ipſius. *Proverb. 11. cap.* Et ita charitatis objectum eſt, proximi onus.

XIII. (7) Ut maximum peccatum, & iniquitas eſt, cum ſeditione & turbis introducere rerum communionem; eóſve condemnare, qui ſua non communicant, & nec in communione vivũt; quod proprium eſt Anabaptiſtarum, turgentium imprudenti zelo: ita non videtur prohibitum, talem conſtituere Reipublicæ formam, inter eos, qui jus hoc faciendi habent: ac etiam fieri hoc, & talem Rempublicam conſiſtere poſſe videtur nonnullis. Communio namque bonorum, haut neceſſariò præſupponit confuſionem, & omnium æqualitatem; ſed maximè harmoniam ordinémque admittit. Et ita olim Pythagoræi, in communione vixerunt: Jamblich. *in vitâ Pythag. cap. 17. fol. 78.* nec tamen omnes ad illam communionem admittebant. *Idem cap. 18. fol. 84.* Ita talis communio fuit in Eccleſiâ primitivâ, ejuſque mentio fit in Actis Apoſtolorum. Vide Illuſtriſſimum Baronium, *in Annalib. ad Annum Chriſti XXXIV. num. 76.* Eaque adhuc durâſſe videtur, tempore Clementis & Tertulliani. vide Tertullianum, *adverſus gentes, Item, de diſciplina Chriſtianorum, cap. 2. & 9. ac adverſus Marcionem.* Itidem Beatus Clemẽs, *epiſtol. 5.* Hancque etiam communionem poſt recuperatam terram Sanctam, Duce Gothofredo Bullioneo, Chriſtiani aliquot Antiochiæ degentes, (poſtquàm ea Saracenis adempta fuit) reſtituerunt, ſub Anno MXCVIII. Quâ de re Chronicon Reicherſpergenſe ita ſcribit: In hâc ipsâ Civitate, per Clerum eódem tranſmigrantem, vitæ communis ea formula tunc refloruit; quæ primitùs per Apoſtolos ibidem cœpta dignoſcitur: judicantibus eis nimirùm juſtiſſimè, non aliam ſe illi Civitati debere normam vivendi inducere; quàm quæ primæ inſtitutionis Apoſtolicæ fundamentis congrueret. Hæc ſiquidem plantatio legitimi germinis, in Civitate illâ Sanctâ refloruit, tunc temporis; & palmites ſuos indè latè

Digitized by Google

jam extendit: bonorum cordium glebis id facilè ac libenter recipientibus, quod primitus ab ipsâ dexterâ Domini, in propriæ coloniæ agello plantatum ſit. &c. Sed videtur ſanè non per modum neceſſarij præcepti; nec apud omnes Chriſtianos primitivæ Eccleſiæ, viguiſſe illam communionem: ut ex multis locis Epiſtolarum Divi Apoſtoli Pauli adparet, ubi Eleemoſynas colligi petit, ubi adprobat ſervitutē, ubi Domino reconciliat ſervum fugitivum, locisque alijs pluribus, quod & attigi ſuprà, *num. 9*. Non enim poteſt ſervari in multis locis, magnisque rebuspublicis communio talis, Charron, *libr. 1. de la ſageſſe, cap. 55*. Requirit namque homines, tàm pietatis, quàm politicæ & civilis ſocietatis ratione omninò probè edoctos. Non quoque hoc tentandum. Nam etiam Beatus Auguſtinus, & alij quidam, volentes inſtituere communionem, in caſſum laboraverũt; ut idem ille refert, *libr. 6. confeſſ. cap. 14*.

CAPUT V.

De Rebus Sacris, Sanctis, Eccleſiaſticis, & Religioſis.

JUre Romano, Res Sacræ, ut & Sanctæ atque Religioſæ, in nullius bonis eſſe cenſentur, *§ 7. & ſeqq. Inſtit. de rer. diviſ. l. Sacra, ff. dict. tit.* Et quoque non in commercio ſunt; nec ideò occupanti cedunt, *l. 3. ff. h.* Et tamen Sacræ & Sanctæ, partim publicis, partim Univerſitatis; Religioſæ verò, privatis rebus, ſuo quodam modo accenſeri poſſunt: undè & Sacra, nomine publici veniunt, *l. 1. §. 1. ff. de juſtit. & jur. l. 19. C. de vſur.* Albericus Gentilis, *ad L. inter publica, in princ. ff. de verbor. ſignificat. fol. mihi 47*. Sic & res Religioſæ, aliquo modo Dominum habent; & ideò conſtitui poteſt via ad ſepulchrum. Pacius, ἐναντιοφ. *centur 3. quæſt. 54*. Sunt ſanè & manent ſemper ſub Imperio Civili, Res Sacræ, Sanctæ & Religioſæ: ut pluribus dixi, *libr. 1 politicor. cap. 3. à princip.* Res item tales, auctoritate ſuperiorum, iterùm prophanari, ſuo modo, & etiam alienari poſſunt, ut fusè tradit Ritterſhuſius, *ad Novell. part. 1. cap. 8. num. 16. & ſeqq. mult.* Ac dicam & Ego, infrà, aliquid hâc de re. Rerum autem aliæ ſunt humani, aliæ Divini Juris, *l. 1. ff. de rer. diviſ.* Res Divinæ, vel ſunt abſolutè, verè & propriè Divinæ; ut ſunt Res Sacræ atque Religioſæ. Res Sacræ ſunt, quæ Deo, *§. 8. Inſtit. de rer. diviſ.* id eſt, uſui ac cultui divino (nam propriè nil Deo dari poteſt, cùm omnia ſint in ipſius manu) ritè & ut jus poſtulat, con-

ſecratæ,

Digitized by Google

ſecratæ,*l.6.§.3.l.9.ff.de rer. diviſ.*(ſive ut loquitur Beatus Ambroſius, initiatæ) ac ita à nobis abdicatæ fuerunt. Faber,*in Rational.ad l.6 §.ſacræ,ff. h.* Erant enim Sacra Divino cultui mancipata. Ea verò conſecratio,vel à Conſule,aut Imperatore,accenſo foculo, fiebat; cum Tibicine,verbis priſcis & ſollemnibus præeunte: Pontifice verò Maximo,carmen præfante,capite velato , & concione advocatâ , ac juſſu populi, ſine quo conſecrari ædes, terra, ager &c. nequibat. Demùm Lege Papyriâ, non modò templa & aras; ſed ne privatas quidem ædes, ſine juſſu populi , conſecrare, aut ſempiternâ Religione licuit obligare. Fuitque ſententia Platonis, ut DEORUM delubra nemo cõſtituat privatus; ſatis arbitratus ad immolandum , publica Templa patere. Alexander ab Alexandro,*libr.6.genial.dier.cap.14.*

II. Res Sacræ,primùm ſunt ipſæ Eccleſiæ, ſive ædes Sacræ, aut Templa; quæ & Dominica vocantur:& indè procul dubio fluit Germanica vox Thumb/Item Thumbhern. Sicut & ijdem Germani Majores noſtri, ex depravatione nominis Græci κυριακή , deduxerunt Kirche. Quò referri quoque poſſunt Martyria, id eſt, loca, in quibus conventus aguntur , ad Martyrum memoriam celebrandam; undè etiam talia loca, Sancti Patres Memorias adpellitârunt, Cujacius, *in paratit.C. de Sacroſanct.Eccleſ.* Item Oratoria ſive Proſeuchæ; Baſilicæ etiam indigitantur. Hucque pertinẽt quoque Monaſteria, ſive Aſceteria,hoc eſt,domus tàm Monachorum,quàm Sanctimonialium, ſeu ut vulgò mutilatè pronunciamus, Monialium. Huc pariter refero omnia loca & ædificia,pijs uſibus deſtinata: verbi gratiâ, colligendis, alendis,refocillandis,& curandis pauperibus, orphanis, ſenibus, ægrotis,debilibus,mancis & vitioſis; in ſumma, quibusvis miſerabilibus perſonis,quæ ſibi ipſis ſufficere non poſſunt, receptaculum præbentia. Rerum porrò Sacrarum numero continentur; Donaria, ſive Anathemata:ut vaſa & veſtimenta ſacra , quorum in faciendâ re divinâ uſus aliquis eſt , ſive quæ ad Divinam Religionem neceſſaria ſunt, ut ait Imperator, *in l.ſancimus nemini 21.C.de Sacroſanct. Eccleſ.* Imò etiam,quæ tantùm ad ornatum ædium Sacrarum,cultusque divini pertinent Hucque ergò referri poſſunt, imagines & menſæ ſacræ,quas in multis Eccleſijs, aut Monaſterijs ſcimus eſſe & aurea, & argentea,& gemmis precioſis ornata. Ac quòd etiam in Eccleſiâ primitivâ,fuerint Templa Chriſtianorum,& Eccleſiaſticus ornatus,Baronius docet,*ſub Anno Chriſti LVII.num.30.&c.* & omnium diligentiam ſuperavit Julius Cæſar Bulengerus, *in libr.de Inſtr. Templor.&c.* ubi veterum Templorum,ſtructuram,ornatum &c. ſollicitâ curâ deſcribit. Non tamen pij unquàm adprobaverunt, ut nimijs ſtructuris

Digitized by Google

ſacrorum ædificiorum ſubditi opprimantur. Quâ de re lubet referre, quę Iſidorus Peluſiotes habet, *epiſt.37. libr.1.* Condis quidem, ut ajunt, Eccleſiam in Peluſio, machinis quidem ac molitionibus luculentã; ſed improbis ſtudijs, & ſacrarum electionum precijs & injurijs atque contumelijs, & tenuiorum oppreſſionibus; & pauperum ſumptibus. Id quod nihil aliud eſt, quàm ædificare Sion in ſanguinibus, & Hieruſalem in injuſtitijs. Deus porrò ſacrificio ex alienis bonis conflato nihil opus habet: verùm illud, perindè atque eum, qui canem mactat, execratur. Quæ cùm ita ſint; & ædificare, & injuriam alijs inferre deſine: ne alioqui domus illa te apud Deum prodat, & convincat. Ut quæ ſublimis quidem & excelſa ſtet; verùm ob ea mala, ex quibus extructa eſt, ſempiterno clamore te inſectetur; ereptáſque mercedes à te expetat, ultionémque eorum, qui incommodis ac detrimentis abs te affecti fuerunt, poſcat. Eſt inſuper & illa diviſio notanda: quòd Rerum Sacrarum, aliæ directò & principaliter ad Cultum Divinum ſpectent; ut Eccleſiæ, Monaſteria, item Vaſa & Veſtimenta Sacra: &c. aliæ verò per conſequentiam, ſive minùs principaliter eò referũtur; ut prædia, verbi gratiâ, agri, prata, paſcua, vineæ, piſcinæ, & ſimilia. Item coloni, & ſervi ruſtici, per quos illa prædia exercentur, atque coluntur: quos proindè Julianus Anteceſſor, *in Epitom. Novellar.* eleganter vocat membra immobilium rerum. Et hæ non Sacra, ſed Res Eccleſiaſticæ indigitantur, quaſque etiam Vultejus (*in Iuriſprudentiâ Romanâ*) rebus quaſi divinis accenſet. Quod & facit Forſterus, *tract. de dominio cap. 7. num. 5.* cùm ad uſum Deo ſervientium ſint deputatæ. Sed cùm illæ ſint in Eccleſiæ Dominio verè, *l. 14. C. de SS. Eccleſ.* & cùm earum certa æſtimatio ſit, ac uſucapi queant, divinæ appellari vix poſſunt. Ad hoc referunt Patrimonialia Eccleſiæ bona, pro dote etiam ad alendos Miniſtros, & ad fabricam quæ ſunt aſſignata; aut denique ad piam cauſam relicti reditus & oblationes, *Authent. omnes, C. communia de ſucceſſion. cap. relatum. & cap. cum eſſes, extr. de teſtament.* Eſtque notabile, quòd quantò magis abundare cœpit Eccleſia iſtis latifundijs & opibus externis, tantò magis degenerare cœpit; ut veriſſimè exclamaverit jam olim Sanctus Bernhardus: Religio peperit divitias, & filia devoravit matrem. Sed tamen Eccleſiæ ſemper habuerunt bona ac proventus. Baronius, *in Annalib. ſub Anno Chriſti LVII num. 24.*

III. Diſcuti hîc poteſt controverſia magni momenti; An Jus Sacrorum, ita ſit omnibus gentibus commune, ut non poſſimus peregrinos vel vicinos, noſtrorum Sacrorum participes ſe reddere cupiẽtes, violenter vel arcere, vel alio excluſionis medio prohibere? Ac

quidem

quidem non ſine ratione cœtus Chriſtianus, præſertim majoris numeri, in certas Parochias diſtributus, & cuilibet ſuus Parochus præpoſitus eſt: hancq; cuilibet partem gregis ſibi aſſignatam, Divus Petrus, *1. epiſt. cap. 5.* vocat Clerum, quaſi ſorte attributam. Et Epiſtola, *ad Hebræos, cap 13.* teſtatur; Paſtores pro ovibus ſuis, rationem cogi reddere: Quem in ſenſum Beatus Gregorius ait: qui in regimine eſt, quot ſubditos habet, tot quaſi animas habet ſolus. Conſtat ergò, qui Prælatus, quot animas hic procurat; ad tot rationes ante Tribunal Chriſti ſe obligat. Cautus itaque ſit, fidelis & prudens, & omnibus ſolerter proſpiciat, tanquam ſuæ, quia omnes ſuæ ſunt. Nam quotquot per negligentiam perierint, totidem animarum ſanguinem, de manu ejus Deus requiret. Ideóque nec oves ſuum Paſtorem ſpernere debét, neque etiam alibi eo in caſu ad Sacramentorum participationem admitti debent, unde ἀλλοτριοεπίσκοποι, in malam accipitur partem. Et eam quoque ob cauſam ſancitur, *in Concil. 3. Carthag. can. 20.* Placuit; ut à nullo Epiſcopo uſurpentur plebes alienæ, nec aliquis Epiſcoporum ſupergrediatur in ſuâ Diœceſi Collegam. Beatus Cyprianus, *libr. 1. Epiſt. 6.* ſine ſpe ſunt, & perditionem maximam de indignatione Dei adquirunt; qui Schiſma faciunt, & relicto Epiſcopo, alium ſibi foris Pſeudo-Epiſcopum conſtituunt Idem, *libr. eod. Epiſt 3.* Statutum eſt omnibus vobis, & æquum ac pariter juſtum eſt; ut uniuſcuiuſque cauſa, illic audiatur, ubi eſt crimen admiſſum; & ſingulis Paſtoribus portio gregis eſt adſcripta; quam regat unuſquiſque & gubernet: rationem ſui actus Domino reddat. Oportet eos quibus præſumus, non circumcurſare, nec Epiſcoporum concordiam cohærentem, ſuâ ſubdolâ & fallaci temeritate circumcidere. &c. Aſt ſi paſtor ordinarius, aliam non veram amplectatur Religionem; non excludere debemus, quoſcunque ad nos ex peregrinis locis venientes. Hieronymus Mécelius, apud Bidembachium, *decad. 2. conſil. 4.* & Tilemannus Heſshuſius, apud eundem Bidembachium, *decad. 3. conſil. 6.* addatur Pflacher, *in poſtill:* vber das Evangelium/ *Dominica Sexageſima.* D. Philippus Haan; im Kirchenbuch/ *fol. 541.* Johannes Gerhardi, *loc. de Miniſterio, num. 117 quæſt. 6.* Jus enim Sacrorum magis commune eſt, inter omnes Chriſtianos; quàm aqua profluens, aut Mare. Sed in Auſtriâ olim, & pòſt in Palatinatu Neoburgenſi diſceptatum fuit: Si Princeps ex ſingulari Privilegio Nobilibus, Baronibus, &c. in ſuis caſtris vel pagis, eâ conditione concedat exercitium Religionis Auguſtanæ Confeſſionis; ut Principis ſubditos alibi habitantes, non admittant ad Sacramenta, verbique Dei auditum; ac quidem ſub pœnâ amiſſionis Privilegij ſui: Anne tunc ſalvâ conſcientiâ, arceri poſ-

ſint ſubditi illi Principis ſuperioris, à Fratribus (Miniſtris nempè Eccleſiarum, dictorum Baronum &c.) eandem habentibus confeſſionem? Sanè Princeps, qui Jus habet Privilegium dandi; ei conditiones quas velit adnectere poteſt: & tùm illi peregrini, non debent fratribus habentibus tale Privilegium, moleſti eſſe, hacque ratione efficere, ut & ijdem pellantur. Secedant ergò cum damno potiùs ſuorum temporalium bonorum; quàm ut ibi maneant intuitu eorum: & proximi conditionem, tàm in ſpiritualibus, quàm temporalibus reddant deteriorem.

IV. Sed nunc bona Eccleſiaſtica reaſſumam; quæ non propriè Sacra ſunt; *ut innui modò ſuprà*, Hæcque alienari non poſſunt, niſi certâ cum ſollemnitate , *cap. 1. & tot. tit. extr de reb. Eccleſ. non alienand.* Undè ſi quis à tertio ſciens rem Eccleſiæ emat, propterea quòd ſine multis ſollemnitatibus illa alienari nequit, procul dubio eſt in malâ fide; *cap. qui contra, de regul. jur. in ſexto*, nec itaque uſucapere poteſt, qui eam ſic accepit. Balbus, *tractat. de præſcription. 2. part. 3. part. principal. quæſt. 1. num. 3.* ubi *num. 4.* addit; Errorem juris hîc non excuſare, quò minùs malam pariat fidem, vide Weſembecium, *conſil. 8. num. 33. & per Diſcurs. tom. 1.* Ac item Eccleſiæ non præſcribitur, niſi quadraginta annorum ſpacio; tàm jure civili; *Authent. quas actiones, ubi omnes Doctores, C. de Sacroſanct. Eccleſ.* quàm Canonico Jure, *cap. 1. & tot. tit. extr. de præſcriptionib.* & porrò quando Eccleſia vacat, intereà præſcriptio dormit, Baldus, *in l. cùm notiſſimi, §. 1. num. 3. C. de præſcript. trigint. annor.* paritèrque datur Eccleſiæ reſtitutio in integrum, ex capite ignorantiæ, etiam contra hanc quadragenariam præſcriptionem, *cap. 1. & 2. de in integr. reſtitution. in ſexto.* imò etiã contra immemorialem. Cravetta, *de antiquit. tempor. §. materia, num. 44. &c. 56. &c.* Weſembecius, latè *dict. conſil. 8. num. 48.* Nec pariter requiritur in alienatione ac etiam obligatione. Cravetta. *conſil. 849.* rerum Eccleſiaſticarum, ſollemnitas certa; ſed & juſta ac neceſſaria cauſſa: utilitatis ſcilicèt, pietatis, & incommoditatis, ut latè explicat idem Weſembecius, *tom. 2. conſil. 59* & Molina, *tract. de juſtit. & jur. tom. 2. Diſputat. 465. &c. multis*, item latiſſimè de alienatione rerum Eccleſiaſticarum, agit Forſterus, *tract. de dominio, cap. 7. num. 17. & ſeqq.* qui idem *num. 25.* de decimarum alienatione tractat. Neceſſitatis nomine licèt veniat aliâs, omnis juſta alienandi cauſa, ἐν πλάτει; tamen cùm cauſæ diſcernuntur, eam adpellamus neceſſitatis, cauſam evidentem; quâ cogatur omninò Eccleſia alienare, *l. jubemus. C. de Sacroſanct. Eccleſ.* ac cùm non ſufficiunt fructus, vel Eccleſiæ mobilia quæ ante omnia diſtrahenda ſunt; *cap. Odoardus, de ſolutionib.* etiam ex Sacris ſuperfluis, quæ alij Eccleſiæ integra

tegra vendi poſſunt:reliquis verò, qui Sacra poſſidere nequeunt, cõfracta vel conflata vendi debent, *can.hoc jus,cauſ.* 10. *quaſt.* 2. Etenim confracta formam amittunt, & Sacra deſinunt eſſe; nec alienabilia fiunt. Altera cauſa eſt utilitas evidens:namque cauſa utilitatis,hoc in caſu cauſæ neceſſitatis adæquatur; *Clement.1.de reb. Eccleſ.* etiam cùm Juramentum de non alienando interpoſitum eſt,Oldradus, *conſil.97.* Panormitanus,*in cap.ut ſuper,num.15.de reb.Eccleſ. non alienand.* Quippè à quacunque diſpoſitione,ac prohibitione,intelligitur excepta ratio publicæ utilitatis,*argu.* 2.*l.ſi ita 52.in fin.ff.ad Leg. Aquil.* Tertia eſt cauſa pietatis,ut pro redimendis captivis,*l.ſancimus* 18.*C.de Sacroſanct. Eccleſ.cap.aurum,cap.ſacrorum,can.ſicut cauſ.12.quaſt.* 2. pro pauperum alimentatione,*can.poſſeſſiones,cauſ.16.quaſt.1.dict.cap.aurum* Item ſi quid pertineat ad Religionem & Sacra conſervanda : cùm ſumma ſit ratio,quæ pro Religione facit, *l.ſunt perſonæ 43.in fin.ff. de religioſ.& ſumptib.funer.* & cauſa pauperum pro piâ habetur, Tiraquellus, *in tract.de pia cauſſa,in princip.* Sicque cùm fames Hieroſolymorum provinciam occupaſſet,ad Cyrillum, tanquàm in Epiſcopum,neceſſitate ciborum turba reſpiciebat egentium. Cumque pecuniæ ad conſulendum penuriæ non eſſent, vaſa ſacrataque vela diſtraxit, & populi neceſſitati ſubvenit.Itidem ſacram veſtem,quam inclytus Imperator Conſtantinus ad honorem Hieroſolymorum Eccleſiæ dederat, Macario illius civitatis Pontifici, ut eâ circumamictus, Miniſterium Sacri Baptiſmatis adimpleret; quoniam erat auro ſericoque contexta, Cyrillum ajunt vendidiſſe. eamque veſtem emiſſe quendam Thymelicum ſaltatorem:& dum eâ fuiſſet indutus,in ipsâ ſaltatione cecidiſſe,atque contritum morti contraditum. Hiſtoria Tripartita, *libr.5. cap 37.* Quarta cauſa eſt incommoditatis; ut quia res propter impendia,hoſtilitatem,inundationem aut ſimilem, damnoſa magis, quàm utilis Eccleſiæ ſit,*can.non liceat,can.terrulas,cauſ.12.quaſt.2.* Sed quamvis cauſæ tales adſint; tamen & inſuper requiritur ſollemnitas certa: videlicèt Capituli tractatus & cõſenſus,Decretum Superioris &c.de quibus nec ipſi creditur inſtrumento; aut alienantium aſſertioni; ſed debet fieri ſpeciale inſtrumentum, ſeparatum à ſcripturâ venditoris, ex quo de conſenſu & tractatu Capituli conſtet. Nicolaus Everhardus,*conſil.20.incip viſis,quaſt.1. num.3.* Veruntamen conſuetudini, & tempori, ſi quando diuturnitas ejus intervenit, plurimùm eſt tribuẽdum.Id enim poſſeſſorem tuetur,& ſollemnitatum etiam Eccleſiaſticarum præſumptionem inducit.Guido Papæ, *deciſ.151.* Menochius, *conſil.90.num.50.* Addo & illud:Si Epiſcopus rem ſibi & Eccleſiæ Cathedrali communem, velit in alienam per venditionem, vel aliam

 tranſcri-

tranſcribere rationem; ſuperioris non requiri authoritatem. Sin autem propria ſit ſui ipſius Epiſcopatus, Pontificis Maxumi intercedere debere conſenſum. Sed hâc de re tractant latè Gilkhenius, *ad Authent. hoc jus porrectum, C. de Sacroſanct. Eccleſ. per Diſcurſ.* Piaſecius, *in praxi Epiſcop. part. 2. cap. 5. num. 29. &c. fol.* 434. Magnates non prophanare, ſuumque in fiſcum redigere debere Eccleſiaſtica bona, alibi dixi. Et an relicta à teſtatore ad certum pium uſum, in alium commutari queant, diſputat Cravetta. *conſil.* 296. Nunc illud ſolùm addam, quæ ad Catholicum Regem Philippum III. Scioppius ſcribit, *in Conſilio Regio, fol. mihi* 24. Puta jam hinc eos ſtare, qui magnoperè tibi Auctores ſunt, ut Divi Brunonis familiam, in clariſſimâ Italiæ Carthuſiâ, ad Ticinum DEO ſervientem, ac pro incolumitate tuâ dies noctesque ſupplicantem, bonis ſuis exuas; & Monaſterij fructus in Equeſtria, ſive Militaria beneficia convertas; quod quidem bono animo & zelo, ſed non ſecundum ſcientiam, ut ait Apoſtolus, facere eos puto. Quoniam eis, cùm de opulentiâ Monaſterij, tùm de tuo in fructus ejus jure, manifeſtè falſa; & pluribus, non modò Sedis Apoſtolicæ, ſed ipſorum quoque Magiſtratuum Mediolanenſium ſententijs confoſſa, avidi quidam homines, & ſuæ utilitati hâc occaſione velificantes perſuaſerunt. Altrinſecùs autem ſtare Carolum Magnum, cum omnibus Germaniæ, Galliæque Optimatibus, in ijsque Hettone, & Rãberto Vindoniſſæ Comitibus, majoribus tuis exiſtima; qui non quidem improbent, atque adeò vehementer laudent id genus Equeſtria ſtipendia, ſive Commendas inſtitui: ſed id de tuo te facere æquum dicant, non de rebus DEO conſecratis; quas glorioſæ memoriæ Princeps Johannes Galeatius Vice-Comes, non de Ducatus, (in quo tu ei Cæſareo beneficio ſucceſſiſti) ſed de peculiaribus bonis, hoc eſt, de patrimonio ſuo, pro remiſſione peccatorum ſuorum obtulit; non ut indè ſtipendia militantibus dependantur, ſed ut DEO ſerviatur, ſacrificijs, orationibus, luminarijs, & pauperum alimonijs. Et idem Scioppius, paulò pòſt: Quòd Rodericus à Saracenis, Anno Chriſti DCC.XIV. Hiſpaniæ Regno exutus; & occiſus fuit, tantæ illius cladis hanc fuiſſe cauſam puto; quoniam Rodericus & Witiza, Eccleſias ſpoliaverunt, resque earum vaſtaverunt, abſtulerunt, alienaverũt, diripuerunt, & militibus loco ſtipendij dederunt.

V. Inſuper abſolutè etiam juris divini ſunt, res Religioſæ: à Religione (quaſi mentes ligante, Coraſius; *ad L. 6. §. religioſum, Inſtit. h.*) ſic dictæ; eò quòd propter corpora ibi ſita, in quibus divini quidpiam habitavit, veneratio quædam & metus, etiam loco debeatur. Forſterus, *tract. de Dominio, cap. 7. num.* 10. Quippè Philoſophi Gentiles, animas à

mas à DEO venire, & ad DEOS iterum abire, putaverunt. Mornæus, *de verit. Relig. cap.* 14. *& ſeq.* Ut autem Res Sacræ, Dijs ſuperis ſunt cõſecratæ, publicâ authoritate; ita Res Religioſæ, Dijs manibus, ſeu inferis, authoritate privatâ. Hotomannus, *in epitom. Digeſtor. tit. de rer. diviſ. num.* 3. Quamvis hodiè non, ut olim, privatis ſepulchris; ſed publicis cœmiterijs utamur. vide me, *in politicâ conſideratione, vitæ & mortis, Diſcurſ. vltim. ubi de ſepultur.* Licèt verò & Res Sacræ ſint Religioſæ; *l.* 2. §. 19 *ff. ne quid in loc. public.* & tamen quia in Sacris plus eſt Religionis, ob conſecrationem; ab eâ nomen ſortitæ ſunt ſpeciale. Donellus, *libr.* 4. *commentar. cap.* 1. Suntque cœmiteria publica hodiè, apud Catholicos, non Religioſa, ſed Sacra; *argum. cap. adhac, extr. de religioſ. domib.* quia conſecrantur, Sie werden gewenhet; *VVihi* enim Alemãnicum vetus (Wenhe nobis) idem quod ſanctificatio eſt. Freherus, *in not. ad Oration. Domin. Aleman.* At verò olim Religioſum locum is facere dicebatur; qui cadaver, aut cineres in locum ſuum deferebat, quive mortuum in prædio, locóve ſuo, humo tegebat. Verùm locus, ubi cremabatur corpus; priuſquàm in os injecta gleba eſſet, non ſanctificabatur, Cicero, *libr.* 2. *de Legib.* Ac à primâ origine, intrà ſuas quiſque ædes defoſſa cadavera habebat. Undè ortum eſt, ut *Lares* in domibus colerentur, ac indè etiam larvas vocamus. Hincque *Lararium*, Sacellum domeſticum vocabatur: & exindè filius dicitur in Sacris paternis conſtitutus. Poſtea Legibus XII. Tabularum cautum fuit, ne intrà urbem ſepelire liceret: ideóque in agris quiſque ſuis, ſepulchra & loculos, in quibus cineres ſuorum conderent, habebant: ut quoque apud Judæos obſervabatur. Johannes, *cap.* 11. *verſ.* 38. *& cap.* 19. *verſ.* 4. Vide Alexandrum ab Alexandro, & ibi Tiraquellum, *libr.* 6. *genial. dier. cap.* 12.

VI. Illud hîc quærere lubet; quod *in* §. *vltim. l.* 6. *ff. h.* reſpondetur, in commune ſepulchrum, unum cæteris invitis mortuum inferre poſſe: an non pugnet cum eo, quòd alibi in jure noſtro eſt conſtitutũ, in re communi neminem Dominorum, quicquam altero invito facere poſſe? *l.* 28. *ff. commun. divid.* Sed ſciendum, nihil novi in re communi, invitis cæteris, ſocio facere licere. Jam enim jus cujuſque ex ſocijs lædit, & deterius reddit, cùm rem communem transformat. Indè ex loco puro, Religioſum facere non poteſt: § *religioſum, inſtit. h. tit.* adimeret enim locum ſocio, cùm res Religioſæ in nullius ſint bonis, & tamen re communi uti, ſecundùm eius uſum poteſt: cùm quippè jus ſocij, re communi uti volentis, inane eſſet; ſi prohibitione ſocij poſſet impediri. *l.* 52. §. *Item Mela, ff. pro ſoc.* Sicque & mortuum inferre poteſt in locum religioſum communem: nil enim prodeſſet, locum

F habere

habere religioſum, cum alio communem, ſi non concederetur uſus. Ergò hîc, ſecùs ac Antonius Faber *ibi* putavit, nil militat favor Religionis.

VII. Quod dicitur, ſolere eos, qui liberare locum Religione volunt, ſacra indè evocare; hoc itidem ſpectat ad morem priſcum: Qui & fuit vetuſtiſſimorum Romanorum, in expugnatione Civitatum. Cùm enim ſingulas urbes, in ſingulari alicujus DEI tutelâ eſſe, perſuaſum haberent; ubi obſeſſam urbem jam capi poſſe confidebant, DEOS indè tutelares, ſollemni carmine evocabant: vel quòd crederét, urbem aliter non poſſe capi: aut etiamſi poſſet, eſſe nefas judicabant, DEOS habere captivos. Macrobius, *libr.3. Saturn. cap.9* vide etiam Livium, *libr.5.* ubi de urbe Vejorum. Hincque Romani, ne ſimili deprecatione urbs ab hoſtibus excantari quiret, DEUM, in cujus tutelâ Roma eſſet, & urbis ipſius Latinum nomen, occultum, ignotumque eſſe voluerunt. Plinius, *libr.28. cap.2.* vide ME, *in Diſcurſu, de Angelis Imperiorum, ad finem.*

VIII. Quod autem *in L. 6. ad fin. ff. h.* Cenotaphium locum religioſum eſſe, reſpondetur; id præter rationem, ſingulariter receptum eſſe videtur. Namque Cenotaphium, ſunt qui putent eſſe ſepulchrũ, in quo necdum ſit illatum cadaver: alij verò honorarium & imaginarium, Guilielmus Budæus *hic.* Quod Vergilius inanem tumulum dixit, *libr.3. Aeneid.* Indeque Florentinus reſpondet; Cenotaphium ſepulchrum eſſe, aut monumentum, quod memoriæ duntaxat ſervandæ gratiâ, extructum eſt, *l. monumentum, ff. de religioſ. & ſumptib. funer.* Sicque Lampridius ſcribit: Cùm Senatus Alexandrum Severum in Britanniâ mortuum, aut ut alij malunt, in Galliæ vico, cui Sicilia nomen, relatis Romam cineribus, in DEOS retuliſſet; extructum illi fuiſſe Romæ ſepulchrum ampliſſimum, in Gallia Cenotaphium. Halycarnaſſæus item tradit; Illuſtris fortunæ virorum cadavera, loco quidem uno condi: At monumenta alia, alibi à beneficiarijs extrui ſolita fuiſſe honoris gratiâ, & in grati animi argumentum, *libr.1.* Et etiam inter alia præclara, & ſingularia inſtituta Pythagoricorum illud notatu non indignum mihi viſum eſt: quòd dicuntur ijs, qui defeciſſent à Philoſophiâ, & qui temerè eam divulgâſſent, Cenotaphia tanquàm mortuis extruxiſſe. Theod. Canterus; *variar. lection. libr.1. cap.12.*

IX. Res tandem nonnullæ, quodammodò non verè, ſed aliquo reſpectu, Divini Juris ſunt; nimirùm Sanctæ, quæ ſanctione Legum, adverſus injurias ſunt firmatæ, *l.9. §.3. ff. de rer. diviſ.* Sic eo intuitu, Imperium Romanum, dicitur Sanctum, das Heylige Römiſche Reich. Sanctum autem à ſagminibus derivari, *in l.8. ff. h.* reſpondet Marcianus.

nus: & verò *in l. ſeq* à ſanciendo Sanctum eſſe dictum reſpondetur; ut ſit quaſi incorruptum & inviolatum, ut Urbicus, *in Commentar. ad Frontin.* ſcribit: ac ſancire eſt ſanguine fuſo, & execratione interpoſità confirmare, quod Servius Grammaticus teſtatur. Adde Gilbertum Regium, *libr. 2. ἐναντιοφ. cap. 4.* Scipionem Gentilem, *orig. fol.* 274. Sic & Leges eodem ſenſu, Sanctæ dicuntur, ut indicat Dionyſius Halycarnaſſæus, *libr. 6.* cùm ait: Juràrunt per Sacra omnia, ſe poſteroſque ſuos, hanc perpetuò legem obſervaturos; additâ execratione, ut qui Legi parerent, ita DEOS ſuperos inferoſque propitios haberent; qui non parerent, infeſtos. Etiam ejuſmodi ſanctionibus ſollemnibus pœna additur, ut caput ejus, qui contrà facit, conſecraretur. Undè Sacroſancta dicuntur, quæ ſub capitis pœnâ ſancita ſunt, ut inviolata & incorrupta eſſent. Aldus Manutius, *libr. 1. de quæſit. per Epiſtol.* apud Dn. Gruterum, *tom. 4. Theſauri Critici, fol.* 268. Hinc & Caput Sacrum vocatur, pro ſupplicio capitali addicto. Sed ut ad rẽ redeamus, non inter hanc & prçcedentem Legem diſſonantia eſt, circa Etymon vocabuli Sancti: Nec tamen puto, hanc obicem removere Antonium Fabrum, cùm *hic in Rationalibus* dicit, ejuſdem nominis, duplicem eſſe poſſe Etymologiam. Res potius ita ſe, ut puto, habet. Sagmen non certa quædam herbæ ſpecies eſt, ſed quælibet ſanguine conſperſa. Legati enim cæſæ hoſtiæ cruore herbam circa aram quæ creſcebat quamcunque, tingebant; ipſa conſperſio dicitur Sanctio, & herba cruentata, ſagmen: à ſanguine utrumque. Undè poſtea Sanctum ſumi cœpit, pro omni, quod inviolatum habebatur. Sic & Legati prægeſtione ejuſmodi herbæ ſeſe inviolatos olim ſervàrunt. Coraſius, *ad L. 8. ff. h.* & Carolus Paſchalius, *in Legato.*

X. Sanctæ autem Res habentur; quibus utitur Civitas ad ſui tuitionem & propagationem. Et ita Sancta loca ſunt, quæ ſacrata Legibus, plebiſcitiſve ſancita; pœnis adjectis, inviolata manent. Siquidem ſanctiones, aut obteſtatione, aut conſecratione, vel pœnis conſecrantur, Itaque Muri & Mœnia Civitatum, quòd illâ tranſgredi nõ liceat, ſancta cenſentur, *§. Sancta, Inſtit. h* Sic & Homerus, 4. *Iliad.* Thebana mœnia, *ἱερὰ*, vocat. Et ſunt quoque in Municipijs Muri ſancti, *l. 8. ff h.* eóſque nec reficere ſine Principis, vel Præſidis authoritate, neque aliquid eis conjungere, vel ſupponere licet. *l. 9. § muros, ff. dict. tit.* Et omne, tàm intrà, quàm extrà pomçrium, à mœnijs arcetur. Eratque pomœrium, auctore Livio, *libr. 1.* circa murum locus, quem in condendis urbibus, quondam Hetruſci, quâ murum ducturi erant, certis circà terminis inauguratò conſecrabant; idque nec habitari, nec arari fas erat, Sicque muri, illibatâ juris ſanctione defenduntur. Et capi-

Digitized by Google

tale indè fuit,& ſeveriori coercitum pœnâ, etiam Romuli Lege, illi qui mœnia tranſgreſſus attigiſſet. latè Borellus, *de Magiſtrat. libr. vlt. cap.* 10. & Forſterus, *tract. de dominio, cap.* 7. *num.* 13. Ex hocq; Rhemum ipſius Romuli fratrem, ideò interemptum ferunt; quòd Romæ mœnia tranſilijſſet, pronunciaſséque Romulum ſic deindè: Quicunque alius tranſilijſſet mœnia, interfectum iri. Et hæc vulgatior fama fuit, ut Livius ſcribit, & Pomponius adprobat, *l. vltim. ff. hic*, undè Lucanus, *libr.* 1.

Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.

Ac item de murorum everſionis pœnâ, vide Aerodium, *rer. judicat. fol.* 577. Leges quoque (ut jam ſuprà *num. præced.* dixi) utpotè quarum juſſa, pœnis & ſupplicijs, ac Religionibus in æternum coërcētur, Sãctæ dicuntur: *l. ſacra* 9. §. *propriè dicimus, ff. h.* quas breves eſſe convenit; velut monita Oraculorum, divinitùs miſſa, ut paucis jubeant, non pluribus diſputent. Sicut Plato, *libr.* 12. *de Legib.* & ex eo Strabo, *libr.* 6. ſcribit: Quibus Leges adſunt plurimæ, ac pœnæ plurimę, ijs & vivendi ritus depravatos eſſe: ſicut quibus plures adſunt Medici, ijs & ægritudines permultas eſſe, probabile eſt. Portæ etiam ſanctæ habitæ ſunt, unde ab Hebræis quoque שׁער *Schaar* dicuntur, quod à שׁער derivatur, id eſt, æſtimavit: eóque etiam judicia in portis exercebantur; & indè non procul erat locus, ubi malefici plectebantur. Schindlerus, *in Lexic.* Quamvis moribus Romanis vetuſtioribus, portæ non ut mœnia ſanctæ erant: quia cùm per illas, defuncta corpora efferantur, Sacroſanctas minimè reputàrunt. Plutarchus, *in Romulo, & problemat. cap.* 26. Sanctum enim nequit eſſe, quod eſt funeſtum. vide Calvinum, *Lexic. Iurid. verb. Sancta Res ſunt.*

XI. Rebus denique Sanctis, aſſimilia ſunt loca, quibus hodiè Salva Guardia (der Burgfridt) eſt præfixa. Et ita Aſyla, ſeu civitates ad Refugium conſtitutæ, dicuntur ſanctificari: Ioſuæ, *cap.* 20. *verſ.* 7. quod alij vertunt parari: ac utitur etiam in hoc ſignificatu, ſanctificationis verbo Moyſes, *Exod. cap.* 19. *verſ.* 23. Non nego, locum ita poſſe ſanctificari, ut ſi aliquis ibi delinquat, capite puniatur: *l.* 9. §. 3. *ff. de rer. diviſ.* ſed tamen neceſſe eſt, ut eæ circumſtantiæ incurrant, quas delicto Rhemi, muros tranſcendentis, Bartolus & Albericus aſſignant, *ad l. vlt. ff. h.* ubi tradunt; quòd id nimirùm fecerit in contemptum; deindè quòd nullam cauſam habuerit, quàm ſpontaneam voluntatem, dum verbum *voluerit, in d. l. vlt.* (ut & Pacius, 1. *Antinom.* 38.) interpretantur, non de conatu, neque pro effectu, ipſa mœnia tranſcēdentis; ſed de merâ temeritate facientis: quia volens, non coactus tranſcenderit. Ut & Livius, *lib.* 1. refert, ludibrio Romuli fratris, Rhemum

novos

novos muros tranſilijſſe. Indè ſi aliquis locus ſanctificetur (So in einem ort Burgfridt angeſchlagen würdt) tunc non omnis ibi delinquens, hoc eſt, aliquem vulnerans ibidem, vel morte, vel manus mutilatione, puniri poteſt; niſi id factum fuerit dolo; quæ etiam olim fuit Lipſenſium ſententia, apud Georgium Beatum, *in centur. varior. caſ. ſentent. Saxonic. tit. 50. fol. 89.* Perſona, ſeu corpus humanum (utpotè Templum Spiritus Sancti) homo (utpotè cōditus ad imaginem DEI) ſemper dignior eſt loco omni; utcunque Sacro, vel humanâ ſanctione munito. DEUS mox à diluvio præcepit, ut homicida occidatur; eò quòd habitaculum divinum deſtruxit. Præceptum hoc inſeruit Decalogo Spiritus Sanctus. Multas repetita hęc legiſlatio patitur limitationes. Eaſdem ergò pœnarum temperandarum cauſſas negligere non debemus; in eo, qui violat locum ſanctum. Nec imitanda eſt ſeveritas Pompeij Columnæ, Cardinalis, Neapolitani ProRegis; qui detruncari juſſit lævam manum, dextrâ ægrè impetratâ, honeſtiſſimo Equiti Neapolitano; & qui tùm in Aulâ Camilli fratris filij militabat: cùm ex jurgio, gladium in atrijs domus, in altercantis caput, ſine vulnere diſtrinxiſſet. Idque unum, pœnam deprecantibus amicorum præcipuis reſpondit: ni ita feciſſet, veluti alitâ, auctaque audaciâ, quæ Neapolitanorum animis inſita videretur; non defuturum, qui cubiculo ipſius ferrum inferre, & ad cædem enudare minimè dubitaret. Jovius, *in vitâ Columnæ, fol. mihi 174. ad fin.*

XII. Denique Vulteius, *Inſtit. de rer. diviſ. num. 5.* quæcunq; Philoſophis accidentia vocantur, ea JCtis res incorporales dici putat. Quęritur an rectè? Sanè id negat Hilligerus, *ad Donell. lib. 5. cap. 1. lit. B.* ait enim, accidentia non eſſe entia ficta & rationis, ſed realia; & habere eſſe ſuum extra intellectum, citraque mentis cogitationem. Jura autem incorporalia, juris fictione ſubſiſtere: ut hereditas, jus poſtliminij, &c. At res ita ſe habet: non omnia accidentia ſunt incorporalia jura, ſed omnes res incorporales accidentia ſunt. Sic enim ait alicubi JCtus Celſus, jura prædiorum nihil ſunt, quàm prædia qualiter ſe habentia, id eſt, qualitates quædam prædiorum. Ac habent quoque meræ juris fictiones, ſuam exiſtentiam in intellectu, & ſunt etiam artificialia accidentia: quo reſpectu Cicero, *in Topicis*, eleganter, res in eas, quæ ſunt; & eas, quæ intelliguntur, ſeu animo & cogitatione cōprehenduntur, diſtinguit. Dubitatur hîc, an fundus ſit nomen Juris, & per conſequens res incorporalis? Id nego, cum Donello, *in l. 58. num. 7. & ſeqq. ff. de verbor. obligation.* per argumenta, quæ apud eum videre licet. È contra Cujacius, *ad dict. leg. 58.* hoc ait, *per l. 56. §. penult. ff. de verbor. obligationib.* Sed de hâc Diviſione videri poteſt Forſterus,

tractat. de dominio, cap. 7. num. 32. *&c.* Eſt item maxumè controverſum: An uxori relicto bonorum mobilium & immobilium uſufructu, etiam nomina debitorum contineantur? Quod Cravetta negat. *conſ.* 300. Sed vide ibid. Adnot. Timanni à Kuyck. Verùm Philoſophicè ſi res humanas, & quę bona jureconſulti vocant; ea omnia mobilia exiſtunt, tranſitoria & vana.

DISSERTATIO JVRIDICO-POLITICA II.

De Jure Familiarum.

CAPUT I.

De Familiâ, quatenùs ſumitur pro Domo.

QVemadmodùm ex Perſonis Familiæ, Collegia, Pagi, Municipia: ſic ex rebus immobilibus, earumque Univerſitate, Territorium; & denique ex his omnibus, Civitas, ſeu Reſpublica conſtituitur; de quibus ſingulis, breviter aliquid dicendum erit. Simplices Societates (γαμικὴ nempè, πατρικὴ, δεσποτικὴ) ſi adunentur; ſocietates exſurgunt ortæ: quæ vel ſunt particulares, & cœtus paucorum; vel Univerſitas. Particularis ſocietas, Familiam & Synagogam ſeu Sodalitatem; quæ propriè & magis communiter Collegium dicitur, complectitur.

II. Famul verbum Oſcum, ſervum notat: unde Famulus & Familia verba Latina, Authore Nonio, & Feſto Pompeio, deſcenderũt. Indè & priſcis famulitas, pro ſervitute uſurpabatur. Verbi familiæ, ſex recenſet ſignificationes Ulpianus, *in l. pronunciatio* 195. § *familia, ff. de verbor. ſignificat.* quas doctè explicant ibidem, Gæddæus & Gentilis, ac item Arniſæus, *relect. cap.* 1. *ſect.* 5. *fol.* 23. *&c.* At nobis duæ hîc præcipuè ſignificationes familiæ ſunt enodandæ. (1) Quatenùs jure proprio ſumitur pro perſonis, quæ ſunt ſub unius poteſtate, aut naturâ, aut jure ſubjectæ: (ac ut Seneca alicubi ſcribit, puſillam Rempublicam repræſentat) & (2) quatenùs communi jure, latiùs extenditur, ad univerſan agnatorum gentiliumque cognationem; ſeu ad omnes ex eâdem domo & gente prodeuntes. Vide Vulteium, *libr.* 1. *Iuriſprudentiæ*

Digitized by Google

dentia Romana, cap. 8. fol. mihi 37. & ſeq. ubi haſce duas ſignificationes proponit, & de ijs latè ſatis agit. Ut & Althuſius, *in Dicaologic. libr. 1. cap. 7.* Jure proprio familia ſumpta, definitur; plurium unius Patrisfamiliâs, herili Imperio ſubjectorum, earumque rerum, quæ ipſis propriæ ſunt, recta gubernatio. Bodinus, *libr. 1. de Republic. cap. 2.* Arniſæ°, *doctr. politic. cap. 2. pag. 38.* Fridericus Tilemannus, *Diſputat. Pandectar. 3. theſ. 28. volum. 1.* Familia namque, licèt pro perſonis ferè accipiatur: *d. l. pronunciatio 195. §. 3. ff. de verbor. ſignificat.* tamen propriè nomen juris eſt, non perſonarum. Eſt enim parva quædam Reſpublica, Ariſtoteles, *libr. 1. Oeconom. cap. 1. & 2.* & ut Bodinus *dicto loco* ſcribit, vera Civitatis imago; ac domeſticum Imperium, ſummæque in Republicâ poteſtatis quodammodò ſimile habetur. Intuitu cuius juris, à famul ſeu ſervo, ut dixi, familia derivatur. Sicque non per civium perſonas, ſed per τάξιν, ſeu adminiſtrationem eſt definienda; & quoque rerum ipſarum mentio faciẽda fuit in definitione. Sic pariter *Domus*, nomen juris eſt, nec ædificium; ſed familiam denotat, & congregationem uxoris, liberorum &c. Hincque *2. Samuel. cap. 7. verſ. 1.* Domum tibi Dominus faciet; id eſt, prole beabit. Ac continet non ſolùm perſonas, ſed & res: ut *Eſther. cap. 8. verſ. 1.* Dedit ei Domum Haman &c. Janus Druſius, *ad difficilia loca Exod. cap. 2. & in fragment. veter. Interpret. Græcor. ex cap. Exod. 1.* Pertinet huc, quod habet ingenioſiſſimus Campanella, *Oeconom. cap. 1. fol. mihi 466.* Clariſſimi Dn. Tobiæ Adami, Fautoris mei honorandi curâ, vulgatus, & quæ adſcribere lubet: Quemadmodùm Civitas eſt concivium & familiarum unio, ob cõmunem conſervationem individui ac ſpeciei; diverſis diſtributarum officijs, ob diverſos uſus, neceſſitateſque, quibus neceſſaria utiliaque bona præſenti ac futuræ vitæ procurent: ſublataque officiorum diverſitate, non eſſet ampliùs Civitas; & ſublato fine, qui eſt vita aut conſervatio felix, nequaquàm eſſet Civitas; ac denique ſublatis utilibus bonis, quibus ſervatur, perditur Civitas: ſic familia (regulariter loquendo) eſt unitas Maris & Fœminæ, & ſervorum rationalium, & irrationalium, varijs diſtributorum officijs, ob uſus neceſſitateſque varias individui atque ſpeciei, ita quòd ſublatâ officiorum varietate non eſt ampliùs familia; ſublato quoque fine, qui eſt felix conſervatio, non eſt familia; ac ſublatis tandem bonis exterioribus, quibus conſervatur, perditur familia. Quapropter milites plures in unâ domo, non faciunt familiam; eò quòd ſunt quaſi membrum unum; utque Apoſtolus ait, ſi totum corpus eſt oculus, non erit corpus. Neque Scholares plures cum ſuo Præceptore, in domo unâ efficiunt familiã; ſiquidem finis ipſorum non eſt conſervatio ſui ipſorum congregatio-

nis,& communitatis; ſed addiſcere ſcientias. Item ſi qua Societas in unum conſtet ex marito, uxore, filijs, ſervisque, quæ pane & veſtimẽtis, & domicilio ad habitandum careat; quanquàm ſit familia hujusmodi Societas: ſubitò tamen diſſolvitur, ſingulis abeuntibus ad victum cæteraque neceſſaria ſibi comparandum, ubicunque invenerint. Ac indè etiam diſquirit Campanella, an mendicantium Monachorum Monaſteria, &c. familiæ nomine poſſint indigitari?

III. Familiam non facere duos, enunciatum eſt noſtri juris, *l. denunciatio 40. §. 2. ff. de verbor. ſignificat.* ubi Gentilis. Eſt enim familiæ nomen collectivum: duo autem primus numerus eſt, quo non bellè corpus hujuſmodi concluderetur, ex diſtantibus conſtans. Arniſæus, *libr. 1. releſt. cap. 2. ſect. 9. à princip.* quodque nec facti eſt, ut congregatio (quam videlicèt in duobus fieri tradunt Canoniſtæ) ſed juris. Familia quidem æquè ac Collegium, per unum conſervatur: hincque Legatum Familiæ relictum debetur etiam uni, ſi unus in familiâ ſit, *l. ult. ubi id notant Doctores, C. de verbor. ſignificat.* Item juſſus relinquere in familiâ, rectè etiam relinquit uni, *l. filiusfamiliâs 114. § penult. ff. de legat. 1.* Cæterùm non exindè colligitur ritè, quòd familiæ nomen ſit unicâ perſonâ contentum. Namque pariter ut ſemen haud eſt arbor, ſed procreat arborem, & ne ſpecies pereant, efficit: ita & unus, principium ac conſervatio poteſt eſſe familiæ, non tamen familia ipſa. Sed anne tres ſatis ſunt, ad familiam conſtituendam? id Bodinus, *ſuprà dicto loco* negat, & integram familiam quinque perſonis conſtare dicit. Tres enim ſervos neceſſarios in familiâ definiendâ ducit: idque ut ille putat ex ſententiâ Jureconſultorum. Et quoniam familiæ, cætusque omnes, ac totum genus humanum interiret, niſi connubijs, quaſi quibuſdam ſeminarijs propagaretur; conſequens eſſe ait, familiam ſuis omnibus partibus ſine matrefamiliâs, conſummatam non videri. Cõſentit Matthias Stephani, *in elegant. tractat. de juriſdict. libr. 2. part. 2. cap. 6. num. 38. &c. fol. mihi 376.* At verò quòd Jureconſulti tradunt, tres familiam facere: *in l. 1. §. 9. ff. de vi & vi armat. cum ſimilib.* id juxta propoſitam eò loci quæſtionem, de familiâ intelligendum eſt, quæ deſignat collectionem tantùm Miniſtrorum, licèt etiam Bodinum ſequi videatur Albericus Gentilis, *ad dict. l. 40. §. 1. ff. de verbor. ſignificat.* Ut & Bodinum benè refutat Arniſæus, & demõſtrat; ſufficere unum ſervum, *dict. ſect. 9. num. 8.*

IV. In familiâ ergò, familiæque ſignificatione continetur, cumprimis familiæ Princeps, ſeu Pater, *l. familiæ 196. ff. de verbor. ſignificat.* Non enim familia, ſolis cõſtat membris, ſed capite & membris. Sicut ergò corporis adpellatio non ſolùm membra; ſed caput etiam, utpotè

potiſſimum

Digitized by Google

potiſſimam partem complectitur: ita etiam familia. Gæddæus, *ad dict. leg. familia, 196. ff. de verbor. ſignificat.* Pater autem familiâs appellatur, qui in domo dominium habet. Recteque ſic nominatur, quamvis filium non habeat: non enim ſolam perſonam eius, ſed & jus demonſtramus. Undè viduus, aut qui ſervo caret, nihilò minùs paterfamiliâs indigitatur. Sic qui vel morte, vel emancipatione, patriâ eximitur potentiâ, licèt pupillus ſit; idem illud meretur nomen, *l. pronunciatio 195. §. 1. ff. de verbor. ſignificat.* Continetur porrò familiæ complexu, materfamiliâs, *dict. leg 195 ff. dict. tit.* quæ olim in manu viri per coëmptionem conveniebat, ſollemnitatibus certis, quas recenſet Ulpianus, *in Inſtitut.* Quæ verò uxores confarratione aut uſu erant, familiæ accenſebantur: non tamen matresfamiliâs habebantur. Mulier autem familiæ ſuæ caput & finis eſt, *dict. l. 195. ad fin. ff. de verbor. ſignificat.* ac quidem caput & principium exiſtit, quia unà cum marito, dominium in domo habet, maritique familiam continuat, ſobolis procreatione, atque propagatione. Indeque rectè Ariſtoteles, *libr. 1. politicor. cap. 2.* Barbaros coarguit, qui fœminam & ſervum, non diſtinguunt. Quod & hodiè faciũt Turcæ, Moſcovitæ, &c. & idem, ſed ſine ratione, de Germanis Itali dicũnt. Arniſæus, *cap. 1. relect. ſect. 7. num.* 10. Finis autem familiæ mater habetur; quia quam ſobolem enixa fuerit, non in ſui patris, ſed mariti poteſtatem, familiamque profert, *l. 196. in fin. ff. de verbor. ſignificat.* Uxor viri forum, privilegium, domicilium, dignitatem ſequitur, *l. cùm quidam, ff de Iuriſdict. cum ſimilib.* licèt non deſinat ſuæ civitatis, ſuæque originis eſſe; maxumè quoad commoda & favores: modò propterea à viri familiâ non diſtrahatur, Gæddæus, *ad dict. leg 195. §. vlt. ff. de verbor. ſignificat.* Quamvis aliter hodiè uſu moribuſque ferè communibus, ſit obſervatum; & nempè peregrino nubens, peregrina efficiatur, *l. vlt. C. de verbor. ſignificat.* Cujacius, *ad Novell. 159.* Familiâ quoque continentur filij, filiæque familiâs, & qui deinceps vicem eorum ſequuntur; ut putà, nepotes, neptes: *dict. l 195. ff. eod. tit.* ſed tamen ſi propriatim loqui velimus, ut finis, nõ ut pars, Arniſæus, *dict. cap. relect. 1. ſect. 8.*

V. Servi an hìc contineantur? controverſiam habet. Sanè eos Ariſtoteles, *dict. cap. 2.* excluſit, & pro inſtrumento, non pro parte familiæ ſumit. Verùm authoritate Heſiodi, quâ Stagirita ſuam hancce ſententiam propugnat, eum abuti, Aretinus & alij, ac nuperrimè *in Commentar.* docuit Piccartus. Sanè Romani, teſte Seneca, *libr. 6. Epiſt. 47.* omnem invidiam Dominis, omnem contumeliam Servis detraxerunt: Dominum patremfamiliâs, ſervos familiares adpellitantes. Quod & Plautus cõfirmat, *Epidic. act. 1. ſcen. 1. & in Amphitr. act. 1. ſcen. 1.*

Advenïſſe familiarem dicito. Hincque Lactantius, *Inſtitut. libr. 4. cap. 3.* Dominum eundem eſſe, qui ſit Pater, etiam Juris Civilis ratio demonſtrat. Verùm licèt & Jureconſultis noſtris, ſervi rerum appellatione comprehendantur; & ita ex eorum traditione, propriè ea tantùm familiæ ſignificatione ſervi includātur, cùm familia pro re accepta, ſignificat res omnes. attamen & non ineptè ijſdem, familiæ ſignificatio adaptatur, cùm etiam ſumitur pro domo. Ut docet Gæddæus, *in Commentar. ad l. 195. §. 1. num. 2. &c. & ad §. 4. ff. de verbor. ſignificat.* ac videri omninò debet, *dict. l. vlt. C. de verbor. ſignificat.* Familiâ quoque continentur liberi homines, bonâ fide nobis ſervientes, per textum, *in l. 40. §. 2. ubi* Gæddæus, *ff. de verbor. ſignificat. l. ædiles 25. §. 1. ff. de ædilit. edict. l. 1. § familia autem, & §. §. ſeqq. ff. de vi & vi armat.* Namque in Familiæ ſignificatione Miniſterium potiùs, quàm verum Dominium denotatur. Mercenarij autem, directè ſeu propriè non continentur; ſed utiliter, hoc eſt, juſtâ interpretatione ſeu uſu: qui etſi idē valeat quod proprietas, non tamen proprietas exiſtit. Ut *ad d. l. 40. ff. de verbor. ſignificat.* docet Gentilis Ex hoc juris fundamento, vulgò dici ſolet: Privilegium conceſſum Univerſitati ac Profeſſoribus, itemq; Studioſis, in illorum quoque Miniſtris locum habere. Rebuffus, *tractat. de privileg. Scholar. privileg. 166. num. 1. & 4.* Ac Ego infrà, *ubi de Academijs dicam.* Et Clericorum, Epiſcoporumque famuli, eorum privilegijs gaudent, *l. 1. C. de Epiſcop. & Cleric* Gratianus, *deciſ. 132.* Trentacinquius, *libr. 2. var. reſolut. pag. 64.* & latè diſputat Tobias Paurmeiſterus, *tractat. de Iuriſdict. libr. 2. cap. 8. num. 46. &c.*

VI. Familia, quia unum quoddam, ut dixi, conſtituit corpus: indè patimur injuriam, etiam per liberos, uxorem, ſervos & item mercenarios noſtros quandoque, *§. 2. 3. & 6. Inſtitut. de injur.* ubi interpretes. At quatenùs viciſſim Paterfamiliâs, ex delicto familiæ obligatur? Pater ex delicto filij non tenetur, *tot. tit. C. ne filius pro patre*, adeò ut pater nec legitimæ, nec bonorum adventitiorum ratione, quorum uſumfructum habet, pro filij delicto aliquid ſolvere cogatur. Hondedæus, *volum. 1. conſultat. 95. num. 35. &c.* Farinacius, *tract. de delict. & pœn. quæſt. 24. à princip.* quidem hoc *num. 13.* ad peculium Caſtrenſe extendit. Sunt tamen in Italiâ ſtatuta, vigore quorum, Pater, fiſco ob filij delictum, legitimam præſtat: ut eſt ſtatutum Peruſinorum, *libr. 3. rubric. 15.* & eſt ejuſdem ſenſus Conſtitutio Sixti IV. quæ conſtitutionibus Marchiæ conſpicitur inſerta, *libr. 4. cap. 19.* de quibus videatur Hondedæus, *dict. conſultat. 95.* Farinacius, *dict. quæſt. 24. num. 160.* Sic quoque ſervum noxæ Dominus tradens, liberatur: nec ultrà ratione ejus delicti tenetur. Hæc verò omnia locum habent, cùm delictum

ejuſ-

ejuſmodi, nihil cum familiâ commune habet. Sic quamvis regulariter Dominus, pro famuli delicto non teneatur, *l.1.§.dejeciſſe, & §. quoties, l.3.ff.de vi & vi armat.* Id tamen tùm demùm obtinet locum, quãdo famulus extra officium, ad quod à Domino fuit deputatus, peccat, *l.1.in princip.§ familia*, ubi Bartolus & Doctores, *ff.de public judic.* Undè Maſcardus, *de probationib.concluſ.* 892. ſcribit: ſi incendium in domo oriatur culpâ ſtabularij in ſtabulo, vel coqui in coquinâ, tenetur Dominus de tali incendio: quia deliquerunt in officio, cui præpoſiti fuerunt. Secùs ſi incendium ortum ſit culpâ alterius, qui illi officio non erat deputatus. Et cùm Dominus tenetur pro famulo, propter delictum in officio commiſſum, non liberatur is exhibendo famulum delinquentem. Bartolus, *in dict.§.familia, & §.noviſſimè, ff.de verbor. ſignificat.* Verùm hæc obligatio Domini, ita eſt intelligenda, ut Pater civiliter, non criminaliter teneatur. Bartolus, *in l.ne quid, ff. de incend. ruin.naufrag.* Sed etiam paterfamiliâs conveniri nequit, quando ex parte eiuſdem probaretur, quòd ab ipſo in officio deputatus, in quo deliquit, erat homo bonæ famæ. Quod multis Farinacius probat, *dict. quæſt.24. num. 61.* Ex hacque ratione, liberum pronunciavit Facultas Juridica, quæ eſt Altorphij, Pharmacopolam Eſslingenſem, cujus Miniſter ancillæ cuidam, ſemen ad vermes abigendos petenti, tradidit aconitum; ex quo tres ut puto puelli, vitam miſerè amiſerunt. vide Conſilia Altorfina, *reſponſ.31. & ſeq.*

VII. Notandum hîc eſt, unam domum, ſive unam familiam, nunquam conſtituere Rempublicam: ſed multitudinem requiri domorum, familiarúmque: & ad minimùm tres neceſſarias eſſe. Bodinus, *libr.1.de Republic.cap.2.* Quamobrem, licèt paterfamiliâs ſeptingentas uxores habeat, quot olim Salomon Rex Hebræorum: aut ſexcentos liberos, quot, Juſtino teſte, Hierotymus Rex Parthorum, ab uxorum multitudine ſuſtulit: aut quingentos ſervos, quot Marcus Craſſus in cenſum retulit, ut *in ipſius vitâ* narrat Plutarchus: vel cum Tuberone ſedecim liberos, ut refert *in vitâ Aemylij* idem Plutarchus; unà cum uxoribus ac ſervis, Imperio domeſtico regat: non tamen Rẽpublicam, ſed familiam habere dicẽdus eſſet. Sic ut familia interdùm, Rempublicam hominum multitudine ſuperare poſſit. Patriarchas, Abrahamum, Jacobum, & cæteros, Regiam poteſtatẽ habuiſſe, ſunt qui contendant ex Politicis. Waremundus, ab Ehrenberg, *de Regnor. ſubſid.cap.1.num.2.* Sed minùs rectè; Illi enim privatum Larem duntaxat, intrà domeſticos parietes, herili Imperio gubernâſſe leguntur. Nec verè, tametſi numeroſam familiam aluiſſe prædicetur Pater credentium; ideò Rempublicam pro familiâ geſſiſſe dicendus eſt. Cùm

Digitized by Google

quantitas rei, formam nequaquàm tollat. Kirchnerus, *in Diſputat. Cādidator. ord. 2. theſ. 1.* & ratio imperandi familiaris, ab Imperio politico differat. Sed habuerunt tamen Patriarchæ, jus vitæ & necis in familiam, liberosque ſuos: & ſic Juda occidere voluit nurum ſuam, cùm eam, pudicitiam non conſervâſſe reſciviſſet, *Geneſ. cap. 38. verſic. 24.*

CAPUT II.

De Familiâ, prout ſumitur pro gente.

NVnc de familiâ eſt agendum, quatenùs ſumitur pro gente, ſeu ſerie agnatorum; multas familias prioris ſignificatus continente. Et cùm in hâc ſignificatione familia ſumitur, eam Brechæus, *ad dict. leg. 195. §. familiæ, ff. de verbor. ſignificat.* à famâ dictâ putat: cùm nomen alicujus gentis & generis, diuturnâ famâ, latè in ſtirpes eſt pervulgatum. Iſidorus, *libr. 9.* à femure derivat: quaſi ex uno femure, ut & loquitur Sacroſancta Scriptura, deſcendentes. Agnati de familiâ eſſe dicuntur, non ſolùm nati, ſed & naſcituri: nec ſolùm maſculi, ſed & fœminæ, *l. voluntas, ubi Dd. C. de fideicommiſſ.* Undè licèt fœmina nupta, dicatur de familiâ mariti, quatenùs ſumitur pro domo: Bartolus, & Doctores, *in l. final. ff. ad Municipal.* & iam ſuprà id dixi: tamen remanet in familiâ patris, hoc in ſignificatu cùm ſumitur familiæ nomen: propter eà quòd Jura ſanguinis dirimi non queant. Suntque agnati, qui de eodem ſanguine procedunt, qui portant idem cognomen, & eadem inſignia. Decius, *conſil. 86. volum. 3. num 27. &c.* Et ideò deſcendentes à fœminâ, excluduntur, *argum. dict. l. pronunciatio 195. in fin ff. de verbor. ſignificat.* Et hinc Privilegium generi & poſteris conceſſum; non pertinet ad deſcendentes ex fœminis: ſecùs ſi deſcendētium ſolùm mentio fiat. Gail, *libr. 2. obſervat. pract. 2. num. 16.* Quin & apud Germanos, verbum Stamm / maſculos tantummodò comprehendit, & filias excludit. Wehnerus, *de verbor. ſignificat. verbo* Stamm. Sic & teſtator inſtituendo heredes, ordinandoque, ut bona in familiâ, domo, & cippo, ſive trunco permaneant; tunc fœminæ removentur. Vivius, *libr. 1. deciſ. 10.* Cacheran. *deciſ. 127.* Franciſcus de Barry, *tract. de ſucceſſion. libr. 8. tit. 7. num. 47. &c.* Nicol. Intrigliol. *tract. de ſubſtitut. cent. 3 quæſt. 83.* Qui latè tractant; quid judicetur ſenſiſſe teſtator, ſubſtituens familiam, genus, ſtirpem, lineam, domum, conſortes, parentes, cippum & agnationem.

II. Haſce verò familias conſervari, Reipublicæ intereſt: ex ſententiâ tàm Jureconſultorum, quàm Politicorum. Videatur Schönborner //

borner/ *in politic.libr.1.cap.10.fol.mihi 75.* Undè conceſſum aiunt teſtatori, prohibere, ne res aliqua extrà familiam alienetur. eleganter Bartholomæus Romuleus, *in Commentar.ad l filiusfamiliâs.§.Divi ff.de legat.1.* Hincque eodem familiæ favore permittitur; quòd in diviſione, præ fœminis mares retineant bona familiæ, quæ diu apud eam fuerunt, & fœminæ recipiant æſtimationem ſuæ portionis. Weſembecius, *conſil.51.volum.2.* & faciunt tradita à Deciano, *conſil. 6. & ſeq. volum.1.* Non tamen Juriſdictione omnimodâ ni præditæ ſint, ſingularia pacta, ſeu ſtatuta ſucceſſoria facere queunt. Bodinus, *libr.1.de Republic.cap.2.ad fin.* Betſius, *de pact. familiar. Illuſtr. cap.* 4. Ego *tractat. de ſucceſſ.& elect.reg.libr.1.diſſertat.13.num.* 4. Et pariter ſtatutum, excludens cognatos, & admittens agnatos; haud includit fœminas agnatas: etiam proximiores, Theſſaur. *decis.37.* Etiam privilegium familiæ datum, comprehendit fœminam nuptam. Rebuff. *ad l. pronuntiatio.§. mulier. d. V.S.*

III. Et hoc non eſt negligendum; Familiam ad quam omnes ſtirpes referuntur, ferè gentis nomine appellari: Et quot unius gentis diverſæ ſtirpes ſunt, tot eiuſdem gentis familias eſſe. Idque liquidò in Nerone Suetonius demonſtrat, cùm ait: ex gente Domitiâ duæ familiæ claruerunt, Calvinorum & Aenobarborum. Et idem in Galba: imagines & elogia univerſi generis exequi longum eſt; familiæ breviter attingam. addatur omninò Gæddæus, *ad l. ſæpè 53. num.* 4. *ff. de verbor.ſignificat.* Sic & Germani differentiam faciunt, vnder hauß vnd Linien. Ita Saxonica, Brunſuicenſis, &c. domus, lineas diverſas habet. De familiarum nomine, inſignijs, &c. videatur Schönborner/ *fol. mihi 77.libr.1.cap.10.*

DISSERTATIONIS JVRIDICO-POLITICAE III.

De Jure Collegiorum,

CAPUT I.

De definitione, uſu, & utilitate Collegiorum.

DE Familijs hactenùs dictum. Quemadmodùm autem familiæ, ex primis mereque naturalibus ſocietatibus oriuntur: ita cives in Collegia certa diſtribuuntur; ſecundùm ſimili-

tudinem morum, ſtudiorum & opificiorum. vide Decianum, *in tract. crimin* & Farinacium, *quæſt* 113 Undè & Collegium nomen accepit; quòd nempè plures unà coëant, ſeque invicem colligant. Gæddæus, *ad l Neratius. 85. num. 2. ff. de verbor ſignificat.* Latini etiam ſodalitia adpellant: undè qui eiuſdem Collegij ſunt, ſodales nominantur, *l. 4. in princ ff. de Colleg.* Germani Zünfften / quaſi Zuſamenkunfften / Item Innungen / Gulden / quaſi Gelden / quia quilibet ſuum Symbolum confert, vocant. Definitur autem Collegium; trium pluriúmve perſonarum ejuſdem conditionis, profeſſionis, & ordinis legitima conſociatio, *argum. l. vlt. ff de excuſat. tutor.* Bodinus, *libr. 3. de Republic. cap. 7. à princ.* Althuſius, *cap. 4. num. 4.* Collegium ſocietatem (ut *in tit. ff or. pro ſocio* ſumitur) eſſe, Moditius negat. *§. plebiſcitum, quæſt.* 110 *num. 3. &c.* Corpus verò, ſi propriè loqui velimus, accipitur pro plurium Collegiorum conjunctione, ut Bodinus *dict. cap.* docet, *mihi fol.* 331. & Matthias Stephani, *tractat. de Iuriſdict. libr. 2. part. 2. cap. vlt. num* 8. *ad fin.* Sic Academia plura Collegia habet, quæ cùm in unum coeunt, corpus ea adpellatur, non Univerſitas: niſi ratione Studij univerſalis; ut & ſuo loco dicam. Ergò differentia eſt inter corpus & Collegium, quæ inter genus & ſpeciem: quòd ſcilicèt corpus omnes ſocietates, Collegia, Univerſitates & ſimiles uniones notat. Quemadmodùm corpus naturale de rebus multifarijs prędicatur: ita corpus politicum, plures res comprehendit. Sed hæc plerumque confunduntur: quia corpus pro Collegio ſæpè accipitur, etiam in noſtro jure, *l. his honoribus, § 1. ibi. de corpore menſorum, ff. de vacat. & excuſat. muner l. penult. §. quibusdam, ff. de jur. immunitat.* (ubi appellatur modò corpus, modò Collegium fabrorum) *l. 1 ff. quod cuiusque univerſitat. nomin.*

II. Reſpublica verò, quamvis ſine Collegijs & corporibus ſtare per ſe ipſa poſſit: veruntamen, ut ſint quædam in Republica Collegia, uſus publicus urget. Kirchnerus, *Diſputat. de Republ.* 14. *theſ. 1. lit. e.* Matthias Stephani, *libr. 2. de Iuriſdict. part. 2. cap. 6. num.* 61. Gæddæus, *ad l. 85. num. 1. ff. de verbor. ſignificat* Bodinus, *dict. cap. 7. per diſcurſ. præſertim fol.* 329. 342. 346. *&c.* Timplerus, *libr. 1. politicor. cap. 4. quæſt.* 8. Velſtenius, *decad. 4. theſ. 9.* Tùm propter publica conſilia; tùm ut res & officia communia, dextrè magis exerceantur. Et ita ab omni ferè antiquitate receptum fuit. Louys Guyon, *tom. 1. d. diverſes leçons. libr. 2. cap. 7.* Dn. Johannes Gryphiander, pulchrè, *Diſputat. de Democrat. theſ. 70 & ſeqq.* Nihil enim aliud eſt Politia, quàm ſubalternatio ordinum & Collegiorum. Cumque Magiſtratus ſuperior, ipſe nequeat omnia obſervare, & diſponere; præſertim ſi ſingula artificia, tùm mechanica, tùm liberalia, Reipublicæ utilia ſpectaverimus, quorum numerus

merus

merus haud parvus eſſe poteſt; idcircò omnia artificia licita, publiceq; neceſſaria, Collegij jure meritò donantur; ut in ijs ſingulis Rector, aut Regentes quidam eſſent, qui ea, quæ ad officium & uſum eius artis ſpectarent, ritè conſtituerent, atque ordinarent. Hucque pertinet *Lex unica, de privileg. corporator. & tituli aliquot ſequentes, Codicis libr 11.* Sicque Pompilius Numa, Rex Romanorum, non modò Collegia omnis generis opificum, ſed & Mercatorum inſtituit; eosque ſacrificijs ſollemnibus ac epulis, quæ ſtatis anni diebus fierent, obligavit. Plutarchus, *in vitâ.* Dionyſius Halycarnaſſæus, *libr.2.* Idque Solonis exemplo feciſſe videtur; quia omnia ordinum ac generum Collegia, ijsque ſtatuta, quæ modò Legibus contraria non eſſent, condere permiſit. Plutarchus, *in Solon.* & refertur *in l. ult ff de Colleg.* At Lycurgus, non tantùm ſodalitijs ac ſocietatibus: ſed & perpetuis convivijs cives devinxit. In cæteris ferè Civitatibus Græcorum, ἑταιρεῖαι, & in Italiâ ſodalitia ubique coli conſueverunt: in quibus non modò lites & controverſiæ, maxumâ ſui parte ſine Magiſtratibus ac Judicijs dirimebantur; verùm etiam amicitiæ radicibus altiſſimis hærebant.

III. Verùm cùm ad Imperia popularia & communem libertatem tuendam, nil melius ac potentius cogitari poſſit, quàm Collegia; & ad avertendam Tyrannidem nihil ijs accommodatius videatur: & qui omnia abrogat, Tyrannidem ſtabilire velle cenſeatur: ſin autem promiſcuè omnia concedantur, nec Regum poteſtate, nec Optimatum Imperijs facilè coerceri populus poſſit, ut Bodinus docet, *dict. cap.7. fol.345 & 347.* Indè Imperatores Romani pauciora conceſſerũt, quàm ſub liberâ Republicâ erant. Quapropter Gaius JCtus, *l.1. ff. quod cuiusque univerſitat. nom.* ait: paucis admodùm in cauſis, hujuſmodi corpora ſunt conceſſa. Ut & poſt bellum Smalcaldicum, eandem ob politicam rationem, in multis Civitatibus Imperialibus aboliti fuerunt tribus, die Alte Zünfften. Quamvis & hoc ſit omninò notandum, in Germaniâ, in Civitatibus, cùm Imperialibus, tum alijs majoribus, tribus talia Collegia eſſe, quæ ipſam Reipublicæ gubernationem, ſtatumque concernant. Et Tribuni plebis, certi ſunt Magiſtratus, qui inſtar veterum, qui olim Romæ erant, partes populi tuentur. In Saxoniâ, Brunſvvigæ, & alibi Güldenmeiſter/alibi Viertel: ſive Zunfftmeiſter indigitantur: quibus non convocatis, nec adhibitis, Senatus totam Rempublicam haud repræſentat. Wehnerus, *de verbor. ſignificat. verb.* Güldenmeiſter ꝛc. de quibus nobis non eſt ſermo, & ejuſmodi corpora, toto genere à Collegijs, de quibus nos tractamus, differre videntur. Ut & alia eſt diſtributio Civitatis, ſeu populi; in Curias, parœcias, quartiers, &c. Althuſius, *cap.4. num.46. & c.* Ac porrò,

Digitized by Google

ut in Democratijs, modus decernendi per ordinem, & eò faciliùs expediatur; indè recepta eſt civium diſtributio in Collegia, Claſſes, cẽturias, decurias, tribus, &c. In quibus à minori numero ad majorem gradatim progreſſus fit, quouſque in uno conveniatur, & ut JCtus loquitur, tot capita ex diverſis animi motibus in unam ſententiam decurrant. Ideoque in Civitatibus ijs, ubi viget Ariſtocratia, Opifices ſua quidem Collegia habeant, ſed tantùm opificij exercendi cauſsâ, non ad ſuffragia ferenda. Et propterea non tribus; ſed ſodalitates vocantur. Eoque legibus fœderis cautum, ut Bernates Tigurinis auxilio ſint, ne quis formam Reipublicæ mutet, tribúsve aboleat; Tigurini contrà Bernatibus, ne quis in eorum urbe tribus inſtituat. Gryphiander, *dict. Diſputat. de Democrat. theſ. 73.*

IV. Quæritur hîc: An Caput vel Rector ejuſmodi Collegij, ſit etiam Collega? Vide Althuſium, *cap. 4. num. 6. & ſeq.* Sanè haud eum excludendum puto. Non enim neceſſe eſt, ut Collegæ ſeu ſodales omnes, eâdem ſint poteſtate, eademque conditione. Hincque licèt ex Collegij inſtitutis, Collegarum unus in ſingulos (non tamen univerſos) habeat coërcitionem (ut Monaſteriorum Abbates) nihilominùs tamen Collega manet, quod & adprobat Bodinus, *dict. cap. 7. fol. 331.* Et adprobat *L. jus 8. C. de dignitat. libr. 12.* ubi Imperator ipſe ſe ex ordine Senatorum eſſe reſcribit. Quæritur & illud; an qui deſcriptus eſt in matriculâ alicujus artis, eamque non exercet, privilegio illius artis, & Collegij illorum artificum, gaudere poſſit? Diſtinguit poſt Felinum Rudingerus, *ſingular. obſervat. centur. 2. obſerv. 92. à princip.* an aliquis ex causâ deſtiterit ab exercitio, animo tamen redeundi: an verò tali modo non deſtiterit, vel ſine cauſa. Et confert hûc *lex vltim. in princ. ff. de excuſat. tutor.* Ego tamen puto, id ex conſuetudine dijudicandum, & inſpiciendam ſimul privilegij cauſam finalem. Circa artificum Collegia, & hoc in quæſtionem vocatur: ſi quis ſeſe alicui artifici dederit, ut in illo artificio inſtituatur; cum pacto, ut certos annos apud ipſum permaneat: daß er die Lehrjahr außhalte. Nunc ſi aufugiat, ante præfixum tempus, dubitatur, an teneatur de novo ad integrum tempus; an verò tantùm ad tot dies, quibus abfuit? poſterius placet Rudingero, *centur. 1. obſervat. 46.* & Wehnero, *verbo* Zünfften. *§. ſi artifici.* Eaque deciſio roboratur, *eleganti lege ſervus, §. 1. ff. de ſtatu liber.*

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT II.

De Jure Collegiorum.

PRudenter porrò Legiſlatoribus placuit; ut Mercatores, ita & Opifices, alijque ſodales, in ſuis Collegijs haberent aliquam Juriſdictionem, *l. final. C. de Iuriſdict.* ut caſtigatione item modicâ uti, quin & ſtatuta ad invicem facere queant: dum ne aliquid ex publicâ lege corrumpant, *l. vlt. ff. de Colleg.* Matthias Stephani, *libr. 2. de Iuriſdict. part. 2. cap. vltim. per Diſcurſ.* Juriſdictio autem illa Collegialis, tãtùm concernit cauſas, quæ ad artem, ejuſque exercitium & profeſſionem ſpectant. Undè ſtatutum, quòd Conſules artium vel tribuum, cognoſcant de cauſis ad opificium ſpectantibus, non id eſt extendendum ad alias quæſtiones Juris; putà matrimonij, dotium, petitionis hereditatis & cauſarum ſimilium: ne quidem per modum reconventionis. Rolandus à Valle, *conſil. 92 vol. 4.* Hippolytus, *ſingular. 560. nu. 2.* Vaſquius, *libr. 1. illuſtr. controverſ. cap. 35. num. 7.* Gail. *libr. 2. obſervat. 20 num. 9.* Petrus Friderus Mindanus, *libr. 3. de continent. cauſſar. cap. 6. num. 29.* Wehnerus, *verbo* Zünfften/ *à princip.* Et cùm ea Juriſdictio, ad inſtar mixti Imperij ſit; poterit etiam Collegium obedire compellere, *dict. l. final. C. de Iuriſdict.* Nam ſine modicâ coercitione, eluſoria Juriſdictio reputatur, *l. fin. ff. de offic. eius, cui mandat. eſt Iuriſdict.* Quòd ſi verò Collega, decreto Collegij mulctâ graviore puniatur, aut à Collegio arceatur, Judicis Ordinarij cognitio erit: adhuc minùs verberibus cædi, aut vinculis conſtringi, aut aliâ atrociore pœnâ coerceri poteſt: Sed hæc ex Legibus & inſtitutis, præſertim verò ex privilegijs cujuſque Collegij ſunt dijudicanda, Bodinus, *dict. cap. 7. fol. 333. & ſeq. item 337.*

II. Statuta pariter de ijſdem rebus fieri debent, quæ Juriſdictioni & diſpoſitioni Collegij ſunt relicta. Quamvis autem plerunque ſtatuta ejuſmodi corporum ſeu Collegiorum, à ſuperiore confirmentur: SchneideWinus, *in §. 3. Inſtit. de jur. natur. gent. & civ. num. 14.* Gail, *libr. 1. de pac. publ. cap. 6. num. 10.* Bronchorſt, *centur. 1. ἐναντ. aſſert. 5.* Verùm id non opus eſt ſemper; nam Collegio adprobato, eo ipſo illud ſtatuta facere poteſt circa res, quæ ipſius adminiſtrationi concreditæ ſunt: modò illa rationabilia exiſtant, nec Legibus publicis, bonis moribus aut ſtatui officere videantur. Ergò omnia illa Collegiorum ſtatuta & conventa, quæ de Monopolijs fieri ſolent, irrita habentur: Scheplitz, *ad conſtitut. Brandenburg. part. 4. tit. 4. pag. 7.* & contra Mo-

nopolia, vide etiam Borellum, *tract. de Magiſtrat. libr. 3. cap.* 8 prohibet namque Imperator Zeno, *in l. unic* C. *de Monopol.* ne quis cujuſquam ad victum, vel ad quemcunque uſum pertinentis ſpeciei, ullo ſub prætextu, Monopolium audeat exercere: néve quis illicitis habitis conventionibus, conjuret aut paciſcatur, ut ſpecies diverſorum corporum negotiationis, non minoris quàm inter ſe ſtatuerint, venundantur: daß Einer ſein wahr oder gemacht Arbeit / nicht näher oder weniger verkauffen ſolle / dann der ander. Quæ Lex à Carolo V. Imperatore in Conſtitutionibus Bruxellæ editis, & quoque à Franciſco I. Galliarum Rege, in Conſtitutionibus Anno M. D. XXXIX. publicatis, Tholoſanus, *libr. 13 de Republic. cap. 3. num.* 4. & etiam in der Würtembergiſchen Landtsordnung / *fol.* 114. repetita fuit. Exiſtimatur etiam à Bartolo & Jaſone ad Monopolia artificum, eorumque pœnas pertinere; ſi paciſcantur artifices, ne quiſquam eorum inſtruat alios in eâ arte, quàm filios vel nepotes ſuos: vel ut non recipiatur in Collegium, aut ex Diſcipulo Magiſter declaretur, ni promittat, ſe demùm poſt certum tempus, tres putà aut plures annos, oſtenſurum Tyronibus arté. Er wölle keinen Lehrjungen dann auff drey oder vier Jahr außlehren. Tholoſanus, *dict. loc.* De irrationabili Bergenſium in Norvvegiâ conſuetudine, quâ Tyrones ſuo Collegio initiandos, ludo, uti adpellant Neptunio (das Waſſerſpiehl) excipiunt; & ſingulis annis, ad octennium uſque miſerrimè flagellant: ne ſcilicèt frequentiâ ſociorum, Monopolij utilitas decreſcat. vide Kirchnerum, *Diſputat.* 14. *coroll.* 1. Præcavenda etiam ſunt convivia & comeſſationes immoderatę. Tholoſanus, *dict. loc num.* 5. Lycurgus quidem, in ſuâ olim Civitate, inſtituit convivia inter tribus & ſodalitates, quæ φιλίτια vocavit: ut amicitiam inter ſocios continerent: cujus exemplum reliqui Græci & Itali ſunt imitati. Plutarchus, *in Lycurg.* Et tamen hodiernas Collegiorum menſas, ad veteris Eccleſiæ ἀγάπας, revocandas eſſe, ſuadet Kirchnerus, *dict. Diſputat.* 14. *coroll.* 3 Maxumè verò mulctarum captiones non ſunt ferendæ, quæ eo ſaltem fine exiguntur, ut occaſio detur comeſſationi: da man einander an Wein ſtrafft / oder das Straffgelt verzehrt. Undè laudabili inſtituto, in hoc Ducatu, ejuſmodi mulctæ, non artificij, ſed ſacro Aerario inferuntur: die Straffe gehört nicht in die laden / ſondern in den Armen Kaſten. Sic & prohibetur, quòd plurimis in locis ab opificibus advenis dari munus, atque epulum adventitiũ, ſolet. Reichs Abſchidt / *de Anno XLVIII.* Denaiſius, *cap.* 206. §. 4. Fürſtlich Würtembergiſch Landts Ordnung / *fol.* 115. Hincque origo & denominatio der geſchenckten Handwercker deſcendit: quia nempè advenæ convivio remunerantur. Sed neque Collegiorum ferenda

ſunt

ſunt decreta, in cauſâ quæ ſunt, ut inopes, etſi periti, in Collegium recipi non poſſint: *argum. Clement.* 2. *de Magiſtris.* putà, ut precium immenſum det, qui cupiat in numerum admitti, &c. Arcentur etiam artifices inter ſe componere pacta; ut ne quis, quod alteri commiſſum ſit, opus impleat, aut injũctam alteri ſollicitudinem alter intercipiat, datque Imperator Zeno, *in d l. vnic. C. de Monopol.* unicuique licẽtiam, ab altero inchoatum & derelictum opus, per alterum ſine aliquo timore diſpendij implere: conſentit Caroli V. Policey Ordnung/ *artic.* 31. quod latiùs exequitur Daniel Mollerus, *libr.* 2. *ſemeſtr. cap.* 115. Conſuetudo etiam olim erat, daß Bäder/ Barbierer/ Müller/ Leininweber/ Hirten/ Zöllner/ Spielleut/ Trommeter/ vnd dergleichen Perſonen Kinder/ keine Handtwerck lehrnen möchten. Quæ conſuetudo eſt abrogata, in dem Reichs Abſchidt zu Augſpurg/ *Anno* 48. von Handtwercks Söhnen / & in der Policey Ordnung / Caroli V. *cap.* 37. Mynſingerus, *centur.* 4. *obſervat.* 31. ubi Arnoldus Rayger *in addition.* Confer Beuſtium, *ad l.* 3. *num.* 37. *ff. de jurejur.* Ampliſſimus Rutgerus Rulãdus, *part.* 4. *de Commiſſar. cap.* 6. E contrà probæ conſuetudines reputãtur, quòd qui in Collegium artificum recipi petit, habeat einen Geburtsbrieff/ quâ non tantùm teſtimonium de legitimo ortu, ſed & de libertate circa res ſuas diſponendi contineatur, daß er echt vnd recht gebohren ſeye. Item/ Lehrbrieff/ Meiſterſtuck/ &c. Wehnerus, *de verbor. ſignificat.* verb. Zünfften. Latherus, *de cenſu, libr.* 3. *cap.* 20. *num.* 19. Prohibitum verò eſt, Das aufftreiben der Geſellẽ/ Reichs Abſchidt/ *de Anno* 94. §. Vnd als auch/ &c. Fürſtlich Würtembergiſche Landts Ordnũg/ *ſæpè dicto loco.* Et pertinent huc quæſtiones illæ, quas Georgius Beatus, in Centuriâ Sententiarum Saxonicarum, caſus varios continente, ponit, nempè; wann eines Maiſters Sohn von ſeinem Vattern das Weißbecken Handtwerck/ an dem ort/ da es keine Zunfft hat/ lehrnet/ ob er an Zünfftigen orten zuverwerffen? Id quod Wittembergenſes negant, wann der Vatter ein bewehrter Meiſter geweſen/ Item, Ob Leininwebers Söhnen/ deß Beckenhandtwercks Meiſterſchafft/ wann ſie es ehrlich gelernet/ zu verbieten ſeye? Ob Müllers/ Schäffers/ vnnd Säwſchneiders Söhne/ auff Zünfftigen Handtwercken angenommen vnd gelernet werden? Quæ cuncta negantur. In gleichem/ Ob eines Säwſchneiders Tochter am vordantz gut gnug ſeye? Quod aſſeritur. Porrò, Ob einem Handtwercks Mann/ welcher ein Weib/ die zuvor einen Schinder gehabt/ zue Ehe nimpt/ die innũg zu verbieten? Ob dem/ welcher einen zum grab tregt/ der im gefängnuß geſtorben/ die Innung zuverwaygern? Ob einen Fleiſchhawer/ weil er einen Hundt zu todt geworffen/ oder erſtochen/ das Handwerck ohnrüchtig machen könne?

Ob ſelbigem/ ſo mit Diebhenckern vnd Schindern zecht vnd ſpielt? Jtem/ Ob jenigem/ der eine Dürne/ die zuvor mit einem jungen geſellen ein Kindt erzeigt/ zur Ehe nimpt? Jtem/ Ob ſelbigem/ ſo ein Kuhe vnd etliche Schaff ſterben / vnd ſolche ſelbſten abdeckt / das Handtwerck darumben zuverbieten? Ad quas quæſtiones negativè Saxonica Conſiſtoria, habitâ maximè circumſtantiarum ratione reſponderunt; interdum quoque mulctam decreverunt.

III. Sed tàm Decreta, quàm quæ aliter nomine Collegij expediuntur, collegiatim fieri decet; omnibus ſcilicèt vocatis; ſed nec ſingulorum aſſenſus neceſſarius eſt: verùm ſufficit, à majore parte aliquid adprobari. vide tamen Bodinum, *dict. cap. 7. num. 334. ad fin. & nu. ſeqq.* Althuſiū, *cap. 4. num. 18. & l. 3. 4. & 5. ff* quod cujuſque *univerſitat. nomin.* Huc adponere lubet quæſtionem illam; Recuſari an Collega in negocio Collegæ poſſit? Vide Janum Langlæum, *libr. 2. ſemeſtr. cap. 4.* ubi in Affirmantium partem ſecedere videtur, nam & credibile eſt, unumquemque in partem Collegæ procliviorem futurum, dum fortè ſperat, ſi quando eius operâ uti ipſum in re non abſimili contigerit, animum ei ad reponenda merita non defuturum: parque pari (quod dicitur) relaturum. penſatur enim officium officio, & (quod proverbio dici ſolet) abluit manum manus. Undè & Publianus ille Mimus Senecæ falsò attributus,

Ab altero exſpectes, alteri quod feceris.

Adde quòd & qui in idem Collegium: vel ſodalitium aſciti ſunt, dignitatis communione ſocij dicuntur. Undè & collega (infit Iſidorus) à colligatione ſocietatis, & amplexu amicitiæ dictus. Iſidorus, *Etymolog libr. 10.* Socius autem quin in causâ ſocij recipi poſſit, nemo dubitat? Doctores, *in l. apertiſſimi 16. C. de judic cap. inſinuante, extr de officio deleg. & cap. poſtremo, de appellation.* Habet quippè Societas (ut Ulpianus ait) Jus quodammodò fraternitatis in ſe, *l. verum ff. pro ſoc.* frequensque ideò, apud veteres, tàm Orthodoxos, quàm profanos ſcriptores eſt: ut Collegæ invicem ſe Fratres appellent. Et diſputat idem Langlæus, *libr. 3. cap. 3.* Teſtis idoneus, an Collega Collegæ ſit, & commilito commilitoni? Item *cap. 4.* Condiſcipulus an condiſcipulo teſtis exiſtat omni exceptione major? Quod utrumque negandum eſſe videtur. Niſi arctior quædam neceſſitas interveniat. Etenim in teſtiū materiâ, illud eſt obſervandum, extrà parentes & liberos, & ceſſante cohabitatione, conſanguinitatem in teſtibus non obſtare, gloſſa, Bartolus & Doctores, *in l. parentes C. de teſtib.*

IV. Ad Collegium conſtituendum duo non ſufficiunt, ſed ad minimùm tres requiruntur. Quod ex Neratio refert Marcellus, *in l.*

85 *ff.*

85.*ff.de verbor.ſignificat.* nec hoc ſolùm Juris auctoritas probat, ſed & nominis notatio arguere videtur. Collectio etenim, coactio, coacervatio, non eſt duobus contenta: & cùm Collegium univerſitas quædam ſit, omninò aliquid exigit ſuprà Dualem, Alciatus, *ad dict l.85 ff. de verbor ſignificat.* Et quoque in duobus non invenitur, qui dirimat diſcordias. Althuſius, *cap.4.num.5.* Plures non ſunt pauciores, quàm duo. *l. ubi numerus, ff. de teſtib.* Multi ſunt non pauciores, quàm tres, *l.1. §. hoc reſcriptum, ff. ad SCtum Sylan.* Bartolus, *in l. præter 4. num.1. ff vi bonor. raptor.* Et hanc ob cauſſam linguæ nonnullæ, Dualem numerũ, à plurali ſeparatum atque diſtinctum habent. Sic nec familiam faciũt duo; ut jam ſuprà deductum fuit, ac Emundus Merillius probat, *libr. 2. obſervat. cap.* 24. At ne quidem Collegia Monaſteriorum, unitate conſtitui poſſunt; ut ait Iſidorus, *libr. 5. cap* 14. Licèt namque primâ vocis origine verum ſit, quòd Monaſterium unius ſolitarij habitationem notet: tamen hoc intelligendum eſt ſingulorum reſpectu; ut nēpè ſinguli debeant ſeparatim habitare: ſed plurium ita ſeparatorum collectio, Monaſterium facit. Matthias Stephani, *de Iuriſdict. libr. 2. part. 2. cap. 6. num.* 34. Et ita Monaſterium, tribus ad minimùm Monachis conſtitui debet. Balſamon, *ad canon.17. Synod.* 7. Refertque Sozomenus, *Hiſtor. Eccleſiaſt. libr.5. cap* 13. Pachonium ab Angelo quodam Monaſticam vivendi regulam accepiſſe, interque alia præcepiſſe: ut multas ædiculas extruendas curaret, & in ſingulis ut tres Monachi habitarent. Eoque fortè ſenſu Tertullianus dixit: *exhortat. ad caſtit.* ſed & ubi tres, Eccleſia eſt, licèt Laici.

V. Unus quidem Collegij Jus tueri poteſt, ſed non conſtituere Collegij ſocietatem. Ita enim ſcribit Ulpianus, *in l 7. § 2. ff. quod cuiusque univerſit. nom* Si univerſitas ad unum redit, magis admittitur, poſſe eum convenire & conveniri: cùm jus omnium in unum reciderit, & ſtet nomen Univerſitatis. Quod Politici, & Jureconſulti probant. Kirchnerus, *Diſputat.14. theſ. 1. lit. b.* Hinc unus ſolus qui remanet de Capitulo, Prælatum eligere poteſt, *cap. 3. de elect. in extravagant. communib.* & in unum ſolum Cardinalem Jus Collegij recidere poteſt, & illi ſoli Papam eligere licet, ac quando Jus Collegij reſidet in uno ſolo, poteſt ille ſeipſum eligere, propter neceſſitatem, ut hæc omnia probat Alphonſius Moditius, *§ plebiſcitum dubitat.* 90. Suſtinetur ergò in uno Collegium tantiſper, donec alij reſumantur: & unus eſt de Collegio, ut bos unus vindicatur, qui ſupereſt de grege. Albericus Gentilis, *ad dict. leg. 85. ff. de verbor ſignificat* Collegij verbo, Jus ſignificatur: jus ergò ac bona ipſa Collegij, in uno ſubſiſtere poſſunt. Ut ne omnibus quidem Collegis mortuis, eius bona fiſco vindicantur, niſi

Lege latâ jus habendi Collegij ſit ſublatum, quod multis Legibus probat Bodinus, *dict. cap. 7. num. 332.* Quâ ratione, Collegiorum Monaſticorum bona, ad fiſcum redierunt, moribus noſtris: cùm jus habendi talia Collegia fuerit extinctum: non quidem ut abliguriantur, ſed ut in alios uſus ſimiles, convertantur, quâ de re *libr. 1. politicor. §. 7.* dixi multa. Duo porrò Collegæ eſſe poſſunt, cùm Collegij & Collegæ ſignificatio, non ad corpus ſeu Univerſitatem; ſed ad poteſtatem & officium refertur. Matthias Stephani, *dict. cap. 6. num. 16.* hoc namque in ſignificatu, illi etiam Collegæ ſunt & dicuntur, qui pari in imperando poteſtate funguntur: etſi pauciores ſint tribus, *l. Collegarum appellatione 173. ff. de verbor. ſignificat.* Neque ita loquimur de Magiſtratibus ſolis, ſed de omni eorum poteſtate, qui lecti ſunt ſimul: & hæc enim nominis Collegarum ſignificatio eſt, Varro, *libr. 5. de lingu. Latin.* Sic tutores ſunt Collegæ, *l. 1. ff de Magiſtratib. conveniend. l. 14. ff. de adminiſtrat. tutor.* Sic provinciarum Præſides, alijque Magiſtratus exiſtunt Collegæ: *l. 7. ff. de cuſtod. & exhibit. reor.* quia lecti ſcilicèt ad parem poteſtatem; & hoc enim ſimul dicitur, non quod eodem tempore. Albericus Gentilis, *ad dict. l. 173. ff. de verbor. ſignificat. à princip.* Et ejuſmodi duo Collegæ, non faciunt Collegium, quamvis Collegæ denominentur. Ac duriuſculè loquitur Bodinus, ſæpè *dict. cap. 7.* qui Magiſtratuum, Prætorum, Quæſtorum &c. corpora, Collegia vocat. Quin & probat Langlæus, *semeſtr. libr. 7. cap. 5.* Collegarum nomine, veteres quoque eos intellexiſſe, qui unà lecti, iiſdemque auſpicijs creati erant; quamvis ejuſdem Imperij & poteſtatis non eſſent; Sicq; Collegæ Conſulum Prætores erant: Agellius, *libr. 13. cap. 14.* cùm tamen eiuſdem officij & poteſtatis non eſſent.

VI. Forma Collegij, ipſa Collegarum inter ſe unio ſtatuitur, & mutua ad debita auxilia & officia obligatio. Neceſſe enim eſt, ut Collegarum omnium inter ſe aliquid commune ſit; aut ſi nihil fuerit cõmune, nec Collegium quidem erit: id enim verbum conſociationis, quod de Collegio rectè prædicatur, importat. Bodinus, *dict. cap. 7. nu. 331.* Timplerus, *libr. 1 politic. cap. 4. quaſt. 5.* Communicatio verò illa inter Collegas eſt, quâ ſubvenit Collegæ Collega, & propoſitum vitæ juvat; ſecundum pacta conventa, *l. ult. ff. de Colleg.* ubi Bartolus, *num. 3. & ſeq* Hæc etiam ratio communionis facit, ut omnes Collegæ, juris Collegialis participes, non ut ſinguli, ſed ut unum corpus conſiderétur. Indeque fit, ut quod Collegium debet, non ſinguli debeant, & quod Collegio debetur, non ſingulis debeatur, *l. ſicut §. ſi quid. ff. quod cujuſque Univerſit. nom. l. in tantum 6. §. 1. ff. de rer. diviſ.* Non autem illa communio, in unâ eademque re conſiſtit: neque ut Bartolus exiſtimat,

mat, bona & pecuniam neceſſariò complectitur; ſiquidem ſine illis Collegium exiſtere poteſt. Sed ſufficit ad minimùm, conventum ſaltem deliberationemque communem eſſe. Bodinus, *dict. num.* 331. Poteſt verò inter Collegas eſſe communicatio rerum & operarum, ſimul ac juris & benevolentiæ atque deliberationis. Althuſius, *politic. cap.* 4. *num.* 8. *& ſeqq.* Schönborner/ *libr.* 1. *politic cap.* 11. *num.* 3. Quò reſpicit Gaius Jureconſultus, *in l.* 1. §. 1. *ff. quod cujusque univerſit. nom.* ita ſcribens: Quibus permiſſum eſt, corpus habere Collegij, ſocietatis, ſive cujuſque alterius eorum nomine; proprium eſt ad exemplum Reipublicæ habere res communes, arcam communem, & actorem ſive Syndicum: per quem, tanquàm in Republicâ, quod communiter agi fieriq́ue oporteat, agatur, fiat. Communicatio rerum conſiſtit in ædibus, reditibus, pecuniâ, & alijs mobilibus, ad conſervandam Collegij dignitatem, vel promovendam ejuſdem utilitatem, aut onera illius relevanda ſi quæ neceſſaria ſunt. Et fit ea communicatio, vel ex mutuâ ſingulorum Collegarum contributione; vel ex largitione inter vivos, aut teſtaméto factâ: aut item acquiſitione, auß dem vorſpahren/ vnd erworbnem. Sanè Collegijs licitis, legata, donationésve fieri regulariter poſſunt; niſi eâ lege ſit Collegium creatum, ut ne ei donatione, teſtamentóve, quicquam relinquatur, *l. Senatus, ff. de reb dub. l. omnibus ff. ad Senatusconſultum Trebell. l.* 1. *C. de Iuda.* Bodinus, *libr.* 3. *de Republic. cap.* 7. *num.* 332. Durante Collegio, bona uſu ſingulorum, proprietate Collegij ſunt, *argum. l.* 1. *in fin. C. de Colleg.* Et ideò in ea Princeps, æquè ac in privatorum bona, jus non habet; niſi inſpectionis: ut nempè ad deſtinatos uſus convertantur. Collegio verò ſoluto, bona ex ſingulorum contributione communicata, redeunt meritò ad conferentes, *l.* 1. *in princip. ff. de Colleg.* poſt Peregrinum, & Menochium, Althuſius, *cap.* 4. *num.* 11. Sed ſi adſint bona ab alijs donata, geſtiffte Güter/ tunc poteſt Magiſtratus ſupremus, ea convertere ad ſimiles uſus. Quâ ratione hodiè Eccleſiaſticorum bona, non heredibus, ſed fiſco cedunt, ut jam *ſuprà hoc cap. num.* 5. monitum fuit.

VII. Operarum inter Collegas communicatio; definitur plerúque mutuo conſenſu inter Collegas, nec tamen neceſſe eſt, omnia fieri ab univerſis: quandoque etiam Syndico demandantur. Verùm magis conducere videtur, in Collegio operas ambulatorias & reciprocas eſſe. hâc enim ratione, omnis tollitur æmulatio, & ſine ſuſpicione omnia peraguntur; ac quoque ſi uni omnia concredantur, ille tandem intolerabilis fit; vel eo mortuo, magnum Collegio damnum infertur: dum ſcilicèt cæteri, rerum & negociorum ignari exiſtunt. Juris communicatio inter Collegas, ea cenſetur; quâ Collegæ eodem

inter ſe jure & Legibus,in Collegio vivunt,reguntur,obligantur, atque etiam puniuntur. Et tandem communi conſenſu, de communibus rebus inſtituant deliberationem; in quo maxuma benevolentia conſiſtit: nam ſi ſeparatim deliberationes inſtituantur, mox factiones ſuboriuntur. Pacta autem Collegij,privilegia,nomina,& res aliæ, conſignari ſolent certis in libris: qui Zunfftbücher indigitantur. Qui licèt propriè publici dici non queant; cùm ex privatis perſonis ea Collegia conſtent: attamen quò ad probandi fidem, publicis inſtrumentis ferè æquiparantur. Dn. Rutgerus Rulandus, *de Commiſſar. part.2.libr.5.cap.*10.Gilhauſen *arbor.judic.civ.l.cap.6.part.2.artic.2.§ 9. num* 33.

VIII. Cæterùm Collegia, minimè pro cujuſque lubitu; ſed ex Legibus publicis; habere licet. Scheplitz, *ad conſuetud. Brandenburg. part.4.tit* 15. von Handtwercken / *& tit ſeq* Id enim, dicente Bodino, *dict.cap.7.num.*331. non modò Collegiorum omnium & corporum, ſed etiam Univerſitatis, proprium eſt; quòd debeant eſſe cœtus in Republicâ jure ſociati: i.d eſt, ſummi Principis beneficio ac conſenſu, ſine quibus corporum & Collegiorum jus nomenque amittunt. Ac propterea in definiendo Collegio,legitimam id eſſe dixi conſociationem. Hocque etiam conſonum eſt juri noſtro: ita namque ſcribit Gajus JCtus,*in l.1.ff quod cujuſque Univerſit nom* Neque ſocietas, neq; Collegium,neque hujuſmodi corpus,paſſim omnibus haberi conceditur. Nam & Legibus,& Senatuſconſultis,& Principalibus Conſtitutionibus,ea res coërcetur. Et idem paulò pòſt:Collegia Romæ certa ſunt, quorum corpus Senatuſconſultis, atque Conſtitutionibus Principalibus confirmatum eſt.Conſonat Marcianus,*in l.1.ff.de Colleg.*Mandatis Principalibus,ait,præcipitur Præſidibus Provinciarum, ne patiantur eſſe Collegia,ac ſodalitia,& idem, *in l.3.tit ejuſd* Collegia ſi qua fuerint illicita, mandatis,conſtitutionibus, & Senatuſconſultis diſſolvuntur, *& vid tot.tit.ff.de Colleg.illicit.*Idque fit,ne ſub prætextu Collegiorum,res ſtatui pernicioſæ tractentur,& conjurationes ineantur. Matthias Stephani,*de Iuriſdict libr.2.part.2.cap.6.num.58.* Certè ex perperàm inſtitutis Collegijs ac ſodalitijs, graviſſimas in Rempublicam irrepere peſtes, experientia docet, *can. conjurationum, cauſ.*11.*quaeſt.*1.Omnia verò conventicula, nedum nocturnæ concurſationes ſunt ſuſpectæ, ideoque prohibitæ, §. 2. *de pac. tenend. libr.2. feud.*Kirchnerus,*diſputat.*14.*de Republic.theſ.*3. Nec minùs illi nocturni conventus,qui Religionis prætextu nituntur. Qualia fuerũt olim Bacchantium ſodalitia,quæ ſub Religionis ſpecie, execrabiles ac nefarias lubidines,& crudeliſſima parricidia occultârunt. Quo cõperto,

lata

lata lex Romæ fuit, ne uſquàm deinceps ſacra nocturna fierent ulla. Livius, *libr.39*. Tales etiam in primitivâ Eccleſiâ Gnoſticorum noctes, incredibili cum impietate & ſcelere conjunctæ leguntur. Epiphanius *de Gnoſt. cu* Nùm verò inconſulto Magiſtratu, ob cauſam Religionis, Collegia habere liceat? dubitare licet. Quod rectè Schönbornerus negat, *politic. libr 1 cap.11*. Eoque ex fundamento Veneti, ante aliquot annos Jeſuitas, Theatinos, & alios novos ordines Religioſorum expulerunt; ac ne in poſterum inſtituantur, præcaverunt. Nec obſtat *Lex 1.§.1 ff. de Colleg.* ubi hoc licitum eſſe reſpondetur. Nam ea Lex hodiè, ut Schönbornerus ait, non obſervatur. Certè prudenter facit Magiſtratus, ſi non permiſerit Collegium ullum à ſubditis inſtitui, cui ipſe ſuâ auctoritate non præſit, per perſonam aliquam à ſeipſo delegatam; quod monet Dornavius, *in Menen. Agrippâ, fol.14*. Sicque in Gallijs olim conventus Proteſtantibus permiſſi fuerunt, eâdem ſub conditione.

IX. Ergò ad cognoſcendum, nùm Collegium aliquod licitum ſit, non ſolùm, an ratio profeſſionis, artis vel cauſæ per ſe licita exiſtat; ſed id præcipuè eſt inſpiciendum, anne legitimi Magiſtratus authoritate inſtitutum, adprobatumque ſiet? In ſumma autem (verba ſunt Marciani Jureconſulti, *in l.3.§.1.ff. de Colleg.*) niſi ex Senatuſconſulti authoritate, vel Cæſaris; Collegium, vel quodcunque tale corpus coïerit; contra Senatuſconſultum, & mādata, & conſtitutiones Collegium celebrant. Hinc dicunt noſtri Doctores, ad probādum, quòd Collegium fuerit inſtitutum, requiri literas fundationis, & Privilegia à Magiſtratu data, *cap. porrò, ext. de privileg.* vide omninò Matthiam Stephani, *dict. cap 6. num.79. & mult. ſeqq.* Qui verò Collegium inſtituit, inſcio Magiſtratu, eâdem pœnâ tenetur, quâ illi, qui loca publica vel Templa hominibus armatis occupare ſunt conati, *l. 2. ff. de Colleg.* Ut & qui cœtus, conventusque ut fiant, efficit, Majeſtatis tenetur, *l.1. ff ad Leg. Iul. Majeſt* Sed hæc tamen omnia ex circumſtantijs, proque rei gravitate, dijudicari debent. Pariter licitum quoque Collegium, abuſu ſui, jus conveniendi amittit: beneficia & privilegia extinguuntur, *arg. cap. tuarum 3. extr. de privileg.* & pro admiſſi ratione, graviùs quoque puniuntur ſodales. Sic Pythagoricorum ſodalitas, cùm olim potentiâ & opibus freta, Græciæ & Italiæ ſtatum turbare conaretur; ferro flammaque deleta fuit. Kirchnerus, *dict. Diſputat. 14. Coroll.4.* Sic eodem ſub prætextu, Templarijs, non modò corpora & Collegia cum omnibus fortunis & bonis; verùm etiam vita ſimul adempta fuit: ſed injuriâ, ut putat Kirchnerus, *dict. loc. Coroll.5.* Eſt & ſollemne, Civibus rebellibus, corporum, & Collegiorum jura auferre.

Digitized by Google

Ita Carolus V. in Gandavenſes, in ordinem redactos; pœnam illam exercuit. Kirchnerus, *ibid. Coroll.* 2. & poſt Smalcaldicum bellum, in multis Imperij Civitatibus (ut modò, *ſuprà hoc capite* alicubi dixi) idem ille fecit. Si verò Collegium peccet, non propterea ſinguli ſunt puniendi. vide omninò Bodinum, *dict. cap.* 7. *num.* 337 Et huc pertinet quæ infrà, Deo juvante, dicam ſuo loco, ubi agam *de pœnis Univerſitatum*. Illud hîc tantùm adnotare lubet: ſeverioribus, corporum atque Univerſitatum, Collegiorumque pœnis, neminem unquàm laudem fuiſſe conſecutum.

DISSERTATIO JVRIDICO-POLITICA IV.

De Jure Academiarum, cui præfixa ſunt aliquàm multa, ad Hiſtoriam Academię Tubingenſis, quæ ſpectant.

CAPUT I.

Continens Vitam & res geſtas, Celſiſſimi Optimique Principis, Eberhardi Primi, Ducis VVürttembergenſis: Academiæ Tubingenſis Fundatoris.

INTER Collegia licita, atque neceſſaria, vel maxumè litteratorum conſociationes; ſeu, ut nunc vocamus, Academiæ referendæ videntur. Sed cùm Illuſtri Academiæ Tubingenſi (quam patriam, & altricem agnoſco) debeam illud; ut ſi non gratus, gratiarum tamen immemor inveniar nunquam; nectere ideò animo grato, præſentique de Academijs inſtitutæ tractationi, præmittere lubuit faſciculum hunc: gloriæ & ſplendori, cùm Academiæ illius, tùm & ejuſdem Sereniſſimi Fundatoris deſtinatum. Cumque mihi propriæ deficiant vires, viſum eſt, virorum magnorum ſubſidio inprimis uti; primoque loco collocare, Orationem Cunradi Summenhart, Theologi Catholici, apud eoſque nominis magni; quâ is prædicto illi Excellentiſſimo Principi parentavit.

ORATIO

Digitized by Google

ORATIO FVNEBRIS ET LVCTVOSA, PER MAGIſtrum Cunradum Summenhart de Calvv, Sacræ Theologiæ Profeſſorem,

Habita ad Univerſitatem Tubingenſem, in officio exequiarum; quod eadem Univerſitas pro Illuſtri Principe, Domino Eberhardo, primo Duce in VVürttemberg & Deck: tanquàm pro ſuo Patrono, & Fundatore, 7. Idus Martij, *Anno Chriſti* M.CCCC.XCVI. *piè peregit. Qui Præclarus Princeps, paulò antè, in Feſto Beati Matthiæ Apoſtoli, horâ veſperarum, eodem Anno, diem clauſerat extremum.*

QVIS dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte? ait Hieremias. Et quæ nobis tantæ triſtitiæ cauſa? Sanè quoniam Sol nobis occidit, cùm adhuc dies eſſet in meridie; ait Amos, atque idem Hieremias. Sol inquam nobis occidit: quando Illuſtris Princeps noſter, Dux Inclytus atque Patronus, veluti coruſcus Sol, hanc noſtram Provinciam, imò Germaniam univerſam, virtutum ſuarum Majeſtate, excelſaque famâ illuſtrans; Heu noſtris ſublatus oculis, viam ingreſſus eſt carnis univerſæ: adhuc eâ in ætate conſtitutus; quâ ratio eius ad totius microcoſmi illuminandum machinam, extremâ virtute vigebat: ut putà jam jam paſſionum ſedato turbine, exactiſque ignorātiæ tenebris, virtutis ſuæ gradum nacta celſiorem. Sicuti corporalis ille Sol, in meridie clariſſimos de ſe fundit in microcoſmum radios,

Ierem. cap. 9. Verſ. 1.
Amos, cap. 8. Verſ. 9.

Digitized by Google

& jam matutinâ abſterſâ caligine, nec dum tetrâ nocte veniente, fortiores ſuæ virtutis exhibet actus. Igitur plorans in hâc ſuperinductâ nocte, plorabo, & lachrymæ in maxillis meis; quoniam longè factus eſt à me conſolator meus: egreſſus eſt à filiâ Sion omnis decor eius: facta eſt vidua Domina gentium, viri ſolatio deſtituta. Diviſiones aquarum deducat oculus meus, quoniam lapſa eſt in lacum vita mea, & poſuerunt lapidem deſuper: quando Excelſus Princeps noſter, dono nobis datus cœlitùs; heu in omnium noſtrûm oculis, terræ commendatus, diſparuit. Defecit gaudiũ cordis noſtri, verſa eſt in luctum cythara noſtra; chorus noſter in planctum, dies votorum noſtrorum in lachrymas: quoniam cecidit corona capitis noſtri. Sed nunquid Patres & Fratres chariſſimi, ad lamentandum hanc mihi injunxiſtis ſarcinam, & non potiùs ad recommendandum laude digniſſimum, & meritis meritiſſimum noſtrum Ducem Inclytum? Fatear neceſſe eſt, ſed ſinite oro, ut plangam paululùm dolorem meum: Scientes, doluiſſe, nonnunquàm ſolatium dolenti præbuiſſe. Eſt enim pijs affectibus quædam etiam flendi voluptas, & plerunque gravis evaporat dolor. Non enim plenus ſum (ut Heliab Buzites) ſermonibus, ſed plenior ſingultibus, & coarctat me ſpiritus uteri mei. : quoniam quaſi muſtum abſque ſpiraculo, quod novas dirumpit lagúculas, contineo ſuſpiria: Ergò erumpant lachrymæ, ut dilatentur præcordia; lachrymæ enim mentem allevant, & fletus pectus refrigerant, mœſtumque ſolantur affectum. Cogitanti enim mihi de tãti Principis occaſu tàm lugubri, & dulciſſimâ ad nonnullos hujus concionis viros, quaſi paternâ amicitiâ; magis flere libet, quàm loqui. : & ad vos ſingultibus concionari, quàm verborum phalerâ perorare. Replevit enim animã meam amaritudine, & inebriavit me felle & abſynthio: oculi mei caligaverunt à fletu. Cujus enim vel ſaxeum pectus non liqueſceret, ad illius dulciſſimi Principis & Patroni, atque ſuâ circa nos dignatiſſimâ gratiâ noſtri Paſtoris tranſitum: ut corde ſaltem lachrymas concipiat, quas ſicci capitis oculi parturire nequeunt? Qui cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, non deſtitit; ſed uſque in finem eos dilexit. Ad cujus tranſitum Heſperus de cœlo cecidiſſe viſus eſt: quando tàm Inclytus de Romanorum Imperio, è carnis migravit ergaſtulo: quippè quo mundus non erat dignus. Sed quid moror facere, quod me facturum diſpoſui: ad quod quaſi filij ad patrem dulciſſima charitas, mea nuper ſuccendit præcordia: Sed & veſtra effecit inſtantia, & Divinæ Legis conſuluit authoritas. Quæ enim in medium, glorioſi Principis noſtri adferam Magnalia, virtuteſque clariſſimas; non hominis, ſed Dei ſunt opera; quæ operatus eſt per eum Dominus, qui omnia operatur.

Virtutes & Magnalia Principum, Dei ſunt opera.

ratur in omnibus:ut non glorietur ante eum omnis caro. Etenim quid habemus,quod non accepimus:confeſſio enim & magnificētia, opus ejus,non hominis. Omne quippè datum optimum : & omne donum deſurſum eſt; deſcendens à patre luminum. DEUM igitur laudamus, & in donis ſuis,Dominum magnificamus: quando Inclyti Ducis noſtri virtutes, non ſub modio ponimus; ſed palàm omnibus, in mediū adferimus. Tobiæ quidem,12. dicitur:Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt: opera autem DEI revelare & confiteri, honorificum eſt. Nemo enim accendit lucernam, & eam ponit ſub modio; ſed ſuper candelabrum,ut luceat lux eius coram hominibus: quò ingrediētes lumen videant, & Patrem, qui in cœlis eſt, glorificent. Bonorum igitur operum & virtutum ſuarum præclara merita non occultanda, ſed omnibus ſunt prædicanda; ut quæ ab omnium proceſſerunt in eum auctore,ad omnium tendant ædificationem.

Tob 12. cap. verſ. 7.

Matth. cap. 5. verſ. 15. & 16.

Facile autem, atque promptum eſt, in tàm Inclyti Principis donis atque virtutibus,laudare Dominum, ubi omnimoda ac omni ex parte,laudum ſeſe inundans offert copia: adeò ut me priùs dies deficeret; quàm uberrimas eius virtutes pleniùs conſummarem. Ubi denique tantâ rerum dicendarum evidentiâ; ut luce meridianâ clariora, nullâ tergiverſatione celari, aut ullâ queant ſupplantari calumniâ : quæ qui ignorat,nihil rerum noſtri ſeculi ſcire convincitur.

Eò autem liberiùs laudes eius aggrediar: quò certius eſt, eum à virtutum ſuarum Majeſtate nunquàm avelli ampliùs. Ideò enim Solon Philoſophus, neminem in hâc vitâ conſtitutum, fœlicem prædicandum cenſuit:ſicuti etiam Scriptura ait: Ne laudaveris hominem in vitâ ſuâ; tanquàm ſi diceret:lauda poſt vitam,magnifica poſt victoriam. Tunc etenim nec laudanti nocet adulatio: neque laudatum temptat elatio. Igitur poſt ipſius vitæ laudabo terminum,poſt periculum prædicabo ſecurum:laudabo Ducis virtutem, quia perductus eſt ad Triūphum. Laudabo navigantis fœlicitatem, quia navim cœleſtibus plenam divitijs,æternisque mercibus, optato in littore collocavit, in tranquillâ ſtatione compoſuit: qui animæ ſuæ dicere potuit, dubio ſoluta certamine: convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benè fecit tibi; quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lachrymis, & pedes meos à lapſu.

Quod autem mihi aptiùs id proſequendi thema occurrere poſſet, quàm illud ſecundi Regum tertio,Davidis verbum de Abner inquiētis: Nunquid ignoratis, quoniam Princeps & Maximus,cecidit hodiè in Iſraël: de digno quippè Propheticis ornamentis, eiſdem utar exordijs. Hunc etenim Illuſtrem noſtrum Principem, quāquam magnum

2. Regum 3. cap. verſ. 38.

ediderit carnis nativitas: clariorem tamen ac longè magis Inclytum, Spiritus effecit generoſitas: quæ autem carnis ſunt relinquentes, ad ea, quę Spiritus ſunt, provehamur. Magnus quippè fuit Sapientiâ, major Religione, Prudentiâ maximus. Item magnus Humilitate, Patiẽtiâ major, Famâ celebratiſſimus. Item Magnus in fortuitis, major in naturalibus, in gratuitis uberrimus. Juſtitiæ zelator ſingularis, & Pacis Reformator, ac obedientiæ filius optimus. Quæ duodecim ut cũcta (imperfectè tamen) percurram: eam virginem pariter & matrem: invocemus, à qua omnis conſummationis finis proceſſit: Angelico eam eulogio ſalutantes & dicentes: *Ave gratiâ plena, Dominus tecũ &c.*

Ducis Eberhardi Sapiẽtia. Eccleſiaſtic. *cap.* 39.

Nunquid ignoratis, quoniam Princeps & Maximus hodiè cecidit in Iſraël: magnus, dixi, in primis fuit Sapientiâ: ꝙ ut clareat, celeriùs quinque audiamus Sapientiæ opera. Eccleſiaſtici enim 39. dicitur, Sapientiam omnium antiquorum exquiret ſapiens, & in Prophetis vacabit. Narrationem virorum nominatorum conſervabit, in verſutias parabolarum ſimul introibit: occulta Proverbiorum exquiret, & in abſconditis parabolarum converſabitur: in medio magnatorum miniſtrabit, & in conſpectu Præſidis apparebit. In terram alienarum gentium pertranſiet, bona enim & mala in omnibus temptabit. Hæc ille. Inprimis itaque nonne Sapientiam exquiſivit antiquorum? qui

Sacroſanctę Scripturæ ſtudium.

Veteris & Novi Teſtamenti Canonem: (in quo ſolo, ut in fonte, omnis litterarum Sapientia reſidet) tàm crebrò legit, ſibique legi conſtituit, legendo denique complevit ſæpiùs: tamque tenaci lecta commendavit memoriæ; ut eum quaſi Bibliæ Profeſſorem cenſuiſſes. Qui nonnunquàm Lectores ſuos, priuſquàm ipſe Sapientiæ ſatiaretur avidiſſimus, laſſos reddidit atque faſtidioſos; quippè in legendis libris: laborioſiſſimus, & vix etiam ulli Scholaſticorum, hac in parte evaſit ſecundus.

Deuteronõ. *cap.* 17. *verſ.* 18. *& ſeqq.*

Commonuerat eum forſan illud Deuteronomij XVII. ubi de Rege dicitur: poſtquàm ſederit in ſolio Regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium legis hujus in volumine; accipiens exemplar à Sacerdotibus Leviticæ tribus. Et habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuę, ut diſcat timere Dominum DEUM ſuum; cuſtodire verba & Cæremonias eius, quæ in Lege præcepta ſunt: nec elevetur cor eius in ſuperbiam ſuper fratres ſuos; neque declinet in partem dextram, vel ſiniſtram. Hæc ibi. Adeò denique in his profecit, ut quàm plurimis etiam Eccleſiaſticis atque Monaſticis viris (quod dolens proh dolor refero) in Sacrarum Scripturarum Libris non inferior inventus ſit, ſed ſuperior. Nec Hiſtorialibus Bibliæ Libris (quibus nõnulli etiam cæterorum Secularium incumbunt) contentus extitit; verùm

verùm id egit, quò quod verus eſſet amator Sapientiæ, evidentiùs apparuit: quoniam ampliori & ſinguliori diligentiâ, his qui ſapientiales dicuntur, vacabat Bibliæ libris: Proverbia puto Salomonis, Eccleſiaſten, Eccleſiaſticum, atque qui Philonis dicitur. Quibus quidem ita intendebat; ut nec unâ eorundem translatione, ſatiari poſſet ſapientiæ cupidiſſimus eius animus, niſi aliam atque iterum aliam acciperet: quaſi qui poſteriusillos ſibi traducerent, ampliùs prælo coacto, minùs de ſapore eius rei negligerent: quæ ſola ſibi ſapiebat: ſapientiæ ſcilicèt, cuius guſtato Spiritu ſibi deſipuit caro univerſa. Quaſi in hoc Origenem imitari voluiſſet; qui non unâ Veteris Teſtamenti translatione quieſcebat: donec ſenas in unam ſub ſex columnellis coegiſſet formulam, quam Exapla appellavit. Verè hæc, aliaque poſt hac dicenda indicant; quia vir fuit verè Imperio dignus in terris; qui Imperatoris in cœlis, à quo omnis extat poteſtas, ita vacabat inſtitutis. Denique devotos Auguſtini libros habere voluit: undè & devotiſſimũ illum Auguſtini libellum, qui Meditationes inſcribitur, me eius mãdato interpretante, accepit traductum, cui & quod Soliloquia ejuſde, in vulgi verterem eloquium, commiſit diligentiùs. In hoc alijsque Divum illum Gratianum Romanæ Reipublicæ Auguſtum imitatus: qui Sanctum Ambroſium Epiſcopum Mediolanenſem, etiam cùm iam profecturus eſſet ad prælium, rogabat, ut Tractatum, quem de Fide ediderat, ſibi mitteret: eumque, de Spiritu Sancto fidelem diſputationem inſerendo, ſcripturisque & argumentis Deum eſſe convincendo, adaugere vellet. ſollicitabat devotiùs: ſe id petere inquiens; non quò contentioni ſtuderet, aut quò Deum verbis magis, quàm mente vellet complecti: ſed quò magis aperto pectori Divinitatis inſideret revelatio.

Non unâ Bibliorum interpretatione contetus erat.

Beati Auguſtini libellis delectabatur.

Secundò inſuper narrationem virorum nominatorum conſervavit. Namque Flavij Ioſephi Hebræi, viri eloquentiſſimi, tàm antiquitatum, quàm Judaici belli narrationes: licèt ad vernaculam linguam traductos haberet: novo tamen torculari adhibito, per multorum ex vobis ingenia, exprimi fecit. Interpretibus ipſis licèt ſciendi deſiderio ardentioribus, attentior fuit: quibus etiam & quæ pridem ignoraverunt, & quæ fortè nunquàm didiciſſent, diſcendi cauſa extitit.

Hiſtorijs delectatus fuit Dux Eberhardus.

Tertium denique Sapiẽtis opus ei nequaquàm defuit: cùm dicitur, verſutias parabolarum ſimul introibit, occulta proverbiorum exquiret, & in abſconditis parabolarum converſabitur. Cùm enim cæteris rebus in adverſis, ſive fortunæ; ſive corporis, ut tetragonus immobilis eſſet, atque patientiſſimus; illius ſolius famis atque ſitis, quæ ad Divinarum Scripturarum intelligentiam attinet, fuit impatientiſſimus.

Parabolas nõ neglexit.

mus. Et ô quàm commendãda impatientia: ejus rei inediam pati non poſſe, ſine quâ in cœteris patientia, etiamſi plurima ſit, vix comprobatur per omnia.

Itaque cùm crebrò verſutias parabolarum, & occulta Proverbiorum, in libris Sapientialibus legeret, nec intelligeret, & in promptu haud ſemper aliquis qui aperiret, aderat: non ultrà hanc ferens eſuriē, eò uſque proceſſit, quò non modò Sapientialium librorum corticem, novo traductionis genere, & ſingulorum diſtinctione verſuũ, Theologorum operâ adhibitâ; ſed & laticem atque abditam eorundem intelligentiam, & ſic textum cum expoſitione neceſſariâ (me interpretante) in vulgari acciperet eloquio. Quòd ſi præter Divinos, etiam cœteros vellem contingere libros; quis quæſo nobis præſentis ad vos ſermonis finis fieret? Etenim & nonnullos Geometriæ, Chirurgiæ, & Phyſicæ atque naturalis Philoſophiæ libros, per Mathematicæ atque Medicinæ peritos, ſibi traduci; partim vidimus, partimque certâ interpretum relatione didicimus. Euclidem volo dicere, & Aſtrolabiũ planum in Tabulis; aſcendentem qualibet horâ continens, atque quendam nativitatum tractatulum: ſed etiam Petrum de Argelata in ſuâ Chirurgiâ, Aegidium de Româ de Urinis, & librum Epidemiæ compilatum à Valeſio de Tarantaſia, atque tractatum M. Arnoldi de Villâ Novâ, de arte cognoſcendi Venena, cùm quis timet, ſibi ea adminiſtrari: inſuper Regimen de conſervatione ſanitatis, à die conceptionis, uſque ad ultimum vitæ ſenium Guilielmi Placentinenſis de Saliceto, Albucaſitte de difficultate partus, cum inſtrumentis Chirurgicis, nec non & quendam tractatum de lapidibus precioſis. Cùm etiam pridem Myſtica Metamorphoſeos Ovidij, vulgari linguâ oſtendiſſet traducta, atque ea ſibi comparâſſet: nec tamen hæc ad plenum uſque conſummata fuiſſent; quod reliquum erat, per unum è ſuis transferri mandare voluit: quò traducti operis, ſeſe ſuo modo faceret auctorem. Saluſtium denique in utroque ſibi verti, fecit opere: opus præterea quoddam fabularum perutile, quod primò Indicè, pòſt Perſicè, dehinc Arabicè, Hebraicè pariter & Latinè exaratum fuerat, ipſo iubente, primò in linguam tranſivit Germaniæ. Antiquitatum amantiſſimus fuit: litteras vetuſtas Magnatum monumentis & numiſmatibus inſculptas, legendi artem habuit atque novit. Quis Principum ex Titi Livij Decadibus, & alijs Hiſtoricis, fortia Romanorum geſta tàm claro ſtylo compingi, & ad noſtram verti fecit vernaculam? Aut quis noſtri temporis Principum, tanta tamque multa legit, de eiſdem atque tenaciſſimè, ut ipſe, commendavit memoriæ? Proi ſus nullus! In hoc ſanè ſtudioſiſſimũ illum Regem Aegypti, Ptolemæum Philadelphum

Phyſica & Mathematica, aliáque ſcripta, in vernaculam linguã träsferri curavit.

Das Buch der Alten Weiſen.

Digitized by Google

Philadelphum imitatus: quem etiam, ſi productior ei vita acceſſiſſet, in parte aſſecutus fuiſſet, qui & ipſe librorum cupidiſſimus, ſeptuaginta duobus interpretibus de Judæâ evocatis: veteris tamen tantùm Teſtamenti libros accepit, & de Græcorum Archivis comportavit plurima. Et ut de his, quæ ſine hujus noſtri Principis mandato, ab olim quidem translata fuerunt, ſileam (quorum profectò maximam copiam habuit) de his tantùm verbum faciens, qui ipſius ſtudioſitate manus ſubijſſent interpretum: cùm portâſſet ipſe talia, qualia nec ullus univerſæ Germaniæ Principum in Teutonum congeſſiſſet eloquium, ſi non illûc eum DEUS transferre diſpoſuiſſet; ubi iam non in membranis quæritur, nec niſi ænigmaticè invenitur, ſed ubi pàlàm facie ad faciem cõſpicitur: ubi ſortem nactus ſperatur meliorẽ. Quartum inſuper Sapientis opus ſequitur, cùm dicitur, in medio Magnatorum miniſtrabit, & in conſpectu Præſidis apparebit. An non in medio Magnatorum miniſtravit, & in conſpectu Præſidis apparuit; qui Anno proximè decurſo, in ſolemniſſimo & productiſſimo totius Germaniæ Principum conventu; non modò in conſpectu Præſidis, ſed Præſidum, imò & Sereniſſimi Romanorum Regis, omnibus ſpectabilis, & prudentiâ admirabilis, veluti cunctorum Principum deliciæ, apparuit?

Quis autem cæterorum, ita ut ipſe ibi effulſit? ſinguli quippè quales adierant, tales & redierunt. Hic verò (quaſi ſolus ipſe dignus inventus eſſet, ut dextrâ DEI excelſi, in virum mutaretur alterum) Comes licèt Generoſus accedens; Dux tamen Inclytus, & Princeps multis præclaris titulis & inſignijs redijt illuſtratus: paternam propaginem, & præclari ſanguinis majorum ſuorum lineam primus attollẽs; Natalium ſuorum florem, illuſtrem reddidit: cùm præclaris præclarior hic acceſſit Atavis. Quanti itaque putatis, hunc fuiſſe meriti & virtutum Majeſtate redimitum; qui unus quidem & primus præ poſteris innumeris, talem accipere titulum meruit? Meruit inquam, non ambivit; nec muneribus comparavit, nec fortuitò ad hæc aſcendit faſtigia: imò divinitùs vocatus, tanquàm optimè meritus, honorem, Regiâ Majeſtate haud petitâ, ſed ſpontè ſuâ largiente accepit. Sed cur parvo fretus fuit tempore, hujus caducę gloriæ titulis? Profectò quoniam virtutibus ſuis non illa, ſed majora debebantur præmia. Plura adeptus eſt, qui minoribus renunciavit; Ducatum non depoſuit, ſed mutavit in tabernacula Chriſti jure pietatis aſcitus, in illam Hieruſalem ſupernam, ubi dicet poſitus; ſicut audivimus, ſic vidimus in Civitate Domini virtutum; fruantur per tempora multa temporali gloria, quorum virtus necdum tanta eſt, ut capeſſere queant æterna. Fœlix

In Comitijs Anno 1495. ſollẽniter ex Comite, Dux factus fuit.

Cur pius Eberhardus, non diutiùs gavíſus fuerit honoribus ſeculi?

Digitized by Google

commutatio, ubi pro caducis commutantur æterna. Tranſivit pius de caligine ſeculi, ad lumen æternum: in brevi conſummatus, explevit tempora multa. Senectus enim venerabilis eſt, non diuturna, nec annorum; ſed meritorum computata numero: translatus eſt de terrâ, ne malitia mutaret intellectum illius.

Sapient. cap. 4.

Sanctorum vita non in terris, ſed in cœlo eſt. Juſtis enim vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum; quare diſſolvi, & eſſe cum Chriſto multò melius. Dolendum eſt, quòd nobis citò raptus ſit: conſolandum quòd ad meliora tranſierit. Condemnat juſtus mortuus, impios vivos; & juventus celeriùs conſummata, longam vitam injuſti. Raptus eſt Enoch, ne malitia mutaret cor ejus: & Joſias decimo octavo Anno Regni ſui, ita Domini Paſcha celebravit, ut omnes retrò Principes devotione ſuperaret; nec diutiùs fidei ſuæ meritis ſupervixit: imò quia plebi Judçæ, grave imminebat exitium; Rex juſtus antè ſublatus eſt.

Philipp. cap. 1. verſ. 21. & 23.

Geneſ. cap. 5. verſ. 21. & ſeqq.

Num non ergò nobis etiam metuendum eſt, ut hic noſter Dux Inclytus, noſtrâ offenſione ſubtractus ſit: ut primo ſui Principatus atque Ducalis dignitatis anno, imminentis mali acerbitatem quaſi juſtus evaderet?

4. Reg. 23. cap. verſ. 21. & ſeqq. 2. Paralip. cap. 35. verſ. 1.

Et quod quintò ſequitur, diſcutiamus: in terram alienigenarum gentium pertranſiet: bona enim & mala in omnibus ſimiliter probabit. Ecce enim inſtar Caucaſi montis, Rhæticas Alpes tranſijt, Appennini montis juga tranſilijt; bis Romam Orbis caput adijt: nec tantùm hæc, ſed Chriſti Vicarium, & Sanctorum Apoſtolorum, & præcipuè Petri, cui ſingulariter devotiſſimus erat; cœterorumque Sanctorum Reliquias, inviſere voluit: ubi & Roſâ, ſingulari munificentiâ honoratus fuit; & Sancti Bonaventuræ Canoniſationi interfuit.

Peregrinationes Ducis Eberhardi.

Nec illud ſibi ſuffeciſſe viſum eſt, niſi etiam adiret maria: bis nobiles uſque profectus Venetias; atque nō ſemel Venetum, Adriaticum, Aegæum, atque Cyprium, etiam cùm adhuc adoleſcens eſſet, tranſivit pelagus; Terram lacte & melle manantem (non quia illis manantē, nec ullâ curioſitate, ſed devotione motus, ut puta tanquàm omnium terrarum præcipuam & egregiam, ut Ezechiel eam nominat, & id ob rerum in eâ geſtarum ſanctitatem) applicuit: dulciſſimam Civitatem Hieruſalem; Viſionem pacis, Typum matris noſtræ, quæ in cœlis eſt, Aeterni Regis olim in terris ſolium, corporalibus contemplatus oculis. Itaque quinque ſupradicta Sapientis geſſit opera: cur non ergò magnus Sapientiâ, jure prædicaretur omnibus..

His autem ex rebus ad ſecundum Principalem ſuæ magnitudinis gradum, veluti ex primo conſequentem, accedo: quo dixi, hunc Principem noſtrum Inclytum; qui Sapiētiâ magnus fuit, Religione fuiſſe

majorem..

Digitized by Google

majorem. An non Religione magnus fuit, qui ob Religionis noſtræ fidem Sacratiſſimam, & devotionem, quâ Chriſtum ardebat, Regem omnium, & eius Apoſtolos; natale ſolum, dulcemque egreſſus patriam longè lateque felicis, ac feraciſſimæ Provinciæ (cujus ipſe Dominator erat præpotens) delicias ſpernens; ad tot ſe viarum obtulit diſcrimina, tot ſævientis maris pericula, immaniſſimorum ventorum implacabiles auras ſubijt: & ad Barbaras gentes (etiam quibus Chriſtiani nominis innatum eſt odium) applicuit? quem nec Solis æſtus, nec frementis pelagi undæ, nec piratarum impietas, nec peregrini aëris qualitas, delicatis pernicioſiſſima abſterrere potuerunt; quò minùs ſatisfaceret devotis, quæ in Chriſtum gerebat, deſiderijs. Pietas & Religionis amor.

An non & iterum Religione magnus fuit; qui collapſarum Religionum, tot vel inſtauravit, vel in melius reformavit Monaſteria? Ita ut non ſolùm his, qui de ſuâ Provinciâ quam profeſſi erant, negligebant regulam: verùm & externis fieret formidabilis; quoſdam quidem favoribus dulcibus alliciens: quoſdam vel indignatione, vel Eccleſiaſticâ diſtrictione mediante compellens. Et qui pro Sancti Petri Religione (quæ Canonicorum Regularium Secularium dicitur) domum, bifario, imò quaſi trifario diſcretum ordine, fundavit, ac pinguibus munivit dotis nomine redditibus prædijs ac allodijs. Nonne quaſi trinam fundâſſe comprobatur Religionem? quam etiam magnificentiſſimis Eccleſiaſticis decoravit ornatibus, quoniam dilexit decorem domus Dei, & locum habitationis gloriæ eius. Sancti Petri Canonicis Regularibus domum fundat. Sanct Peter zu dem Blawen München in dē Schōnbuch.

An non iterum Religione magnus convincitur: qui huius noſtri Eccleſiaſtici, atque Catholici Gymnaſij fundamenta primus jecit omnium, atque Patronus extitit: vel non magnam Religionis partem judicabitis, earum doctrinarum, quæ pietatis ſunt, expoſitiones tradere? de ſummis rebus, & earum Majeſtate ſententias elucidare? imò adeò, ut nonnullis magnis viris non minoris eſſe videatur meriti, ſe Sacræ Scripturæ devovere ſtudio: quàm Religionem profiteri? Hanc autem Univerſalem plantando Scholam; Eccleſiæ vineam plantavit electā: omne ſemen verum, quod implevit terram, cujus umbra operuit mōtes, & arbuſta cedros Dei; extendens palmites ſuos, uſque ad mare, & uſque ad flumen propagines eius. Sed & iterum dicite: ſi non Religione magnus fuit? qui Theologicis ita interfuit Diſputationibus publicis, ut quanquàm hæ productiores eſſent admodùm, & ipſe Latini expers eſſet ſermonis: etiam Scholaſticis viris diſcedentibus, non diſcederet: dicens, ſe profectò nullam neglecturum talium, ſi Latinæ Linguæ haberet copiam. heu quomodò cecidit Zelotypus Sapientiæ amator, factus formę illius, & perierunt arma concupiſcentia Deum. Academiam Tubingæ erigit. Sacroſanctæ Scripturæ ſe devovit. Theologicis Diſputationibus interfuit Dux Eberhardus.

Digitized by Google

Diſciplinam Eccleſiaſticam curat.

Circa denique Seculares Clericos talem ſe exhibuit: ut odiſſent peccare mali formidine eius; atque odiſſent peccare boni virtutis amore. Bonos enim dulciter amplectens, & fideliter promovens; perverſos autem negligens atque illis indignans, eò uſque ſaltem rem ipſam perduxit, ut ſuæ Provinciæ Clerum, alteri (qui jure melior, tanquàm reformatrici virgæ vicinior eſſe debuiſſet) longè prætulerit: & ejuſdem comparatione admodùm juſtificaverit illum, & qui nõ omnia ut voluiſſet, efficere potuit; ſaltem de obtentis utcunque gloriabatur in Domino.

Divinũ officiũ frequentat.

Divini officij hic erat indefeſſus Auditor, & bonorum verbi DEI præconum ſagaciſſimus explorator. Apud eũ frequens peccatorum confeſſio, & vivificæ communionis non rara perceptio, rebus in ambiguis, conſcientiæ diſcrimen contingentibus; ut in beneficiorum ad ſe attinentium diſtributione, ac alijs, multorum etiam ſcriptis exactis, requiſivit conſilia: ſciens, quoniam ibi ſalus, ubi multa conſilia. Feſtos dies, quos Nundinarum ſtrepitus, & avaritiæ lucra, in ſuo prophanabant diſtrictu, reformavit in melius.

Kirchweyhen.

Eberhardus deſideravit, mediante Cõcilio Eccleſiam mẽbris & capite reformari.

Incomparabili arſit deſiderio, ut eò viveret; quoad uſque Univerſale Concilium, ad Reformationem Eccleſiæ fieret in membris atque capite. Itaque liquet ex memoratis, quòd venter ejus, ut pyxis erat eburnea, quæ Scripturarum reciperet Oracula; ut poſſet cum Propheta dicere: vẽtrem meum doleo; dicit enim hæc, qui imitator eſt Chriſti. Labia eius lilia diſtillantia, myrrhâ plena; manus eius tornatæ aureæ plenæ Tarſis: eò quòd in verbis eius Juſtitia refulgeret, in factis & operibus reniteret gratia: in quo plenum, & virtutis, & Ducalis auctoritatis eſſet alloquium: nec inflexa aliquo mortis terrore conſtantia; & factorum precioſa omnimoda correctio. Omnis enim bonus operarius, manus Chriſti eſt, ait Ambroſius. Fauces eius dulcedines, & totum deſiderium. Quàm dulcia enim judicia eius univerſorum faucibus adhæſerunt? quantâ gratiâ ſermones ipſius ſinguli recenſentur?

Prudentia Eberhardi.

De hinc autem, & de eo quòd ſicut Sapientiâ magnus, Religione major, ita Prudentiâ fuerit maximus; quid multa referam? cùm hujus rei teſtis ſit Urbs atque Orbis, idque tantâ famâ clareat, ut nec unus quidem ſit, qui inficiari audeat: quòd nullâ ratione tergiverſari poterit: & cùm prudentiſſimis vallatus eſſet Conſulibus, nulli tamen inferior fuit.

Circumſpice, & totius Germaniæ contemplare terminos, ad ultimos uſque fines eius protende lumina; nec quempiam invenies Germaniæ Principum, cui hic noſter extiterit Prudentiâ ſecundus: etiam

ſi ad

ſi ad Sarmatas uſque, & Paludes Mæotides, Tanaim quoque flumen, atque Hyperboreos montes profectus fueris: cujus etiam Prudentiæ, cæterarumque ſuarum fama virtutum, nec Burgundiam, nec Franciam, aut Magnates, vel Regem eiuſdem latuit. Invenies, fateor, forſan verſipelles quoſdam, hujus ſeculi filios, qui prudentiores ſunt filijs lucis in generatione ſua: prudentes quidem in malo, in bono autem ſtultorum gerunt imaginem. Non hæc Prudentia vera eſt: ſed ſerpentina aſtutia, & Vulpina doloſitas. Hic verò Princeps noſter Inclytus, verâ prudentiâ, quæ eſt recta ratio rerum agibilium, tranſilijt omnes: quâ quomodo caruiſſet, qui tot virtutibus redimitus fuit? Impoſſibile enim, entem imprudentem, eſſe virtuoſum: ait Ariſtoteles. Prudentia enim cunctarum exiſtit auriga virtutum.

Lucæ 16. Prud… eſt a… ſerpentina, vel doloſitas vulpina.

Quàm profundam autem ſectatus fuerit Humilitatem, quis explicabit? Cùm enim talis, tamque potens, & in naturalibus divitijs (quibus cor non adpoſuit) affluentiſſimus eſſet; apud tamen eum nō modò antequàm Ducali ſplenderet culmine, verùm ex poſthac & ampliùs raro clangentes tubis, vel Muſicorum harmoniæ, aut Cantorum perſonabant carmina: raro ibi perſtrepebant Mimorum & Hiſtrionum (ut aſſolet fieri) ingenia: Henricum II. ex parte imitatus; qui (ut fertur) Mimorum & Hiſtrionum univerſa à ſe abegit ludicra: hoc ſolùm dulce & jucundum æſtimans, quod Sapiens de Sapiētiâ loquens perhibet: non habet, inquit, amaritudinem converſatio illius, nec tædium convictus eius, ſed gaudium & læticiam. Quàm humili reſederit, ſatis apparet habitaculo; utputa nullâ celaturâ, picturâ, aut aliâ quavis curioſitate variato. Non ibi vidiſſetis immundarum Simiarum, aut ferorum Leonum, vel maculoſæ Tygridis, aut monſtruoſi Centauri, vel ſemihominis figuras, tantâ curioſitate depictas, ut magis libeat legere in marmoribus, quàm in Codicibus. Ubi Hectori datur Clypeus aureus, & pauperi ad januam vitæ negantur commoda: ubi ſpoliantur pauperes, ut veſtiantur lapides: ubi Trojanos geſtat paries pictos purpurâ, & Chriſtianis nec dantur indumenta vetera: ubi curioſi inveniunt, quo delectentur, nec inveniunt, quo ſuſtententur pauperes. Sed non tàm vana, quàm prorſus reprobanda duxit talia: quanquàm (ut de Secularibus taceam) nonnulli Eccleſiaſticorum & Monaſticorum, hâc hodiè ſæpè delinquant vanitate Prælati. Denique moriturus Pompam interdixit funebrem: ſciens, non talia, ſed Humilitatem potiùs defunctorum, piæ conſolationi conducere.

Ducis Eberhardi humilitas.

Abhorrēs ab omni pompâ & faſtu.

Non ſumptuoſas arces ædificavit.

Pompā funebrem interdixit: Ejuſdem patientia, in morbis, & morte.

Quòd verò, qui humilitate magnus extitit; ille ipſe Patientiâ major fuerit, multis liquet teſtimonijs. Et ut de eius atroci dolore den-

Digitized by Google

tium, de crebris febribus, de pannariis ac dyſenteriâ graviſſimâ trâſeam; quibus omnibus eum tanquàm filium quem recipit, flagellavit Dominus: cùm præter hæc acerbiſſima & doloroſiſſima, ſæpè langueret calculi & veſicæ ulceratæ ægritudine, cùm circumdediſſent eum dolores mortis, pericula inferni inveniſſent illum: æquanimis perſeverans, nullo unquàm notatus murmure, nec ad dextram declinavit, nec ad ſiniſtram: ſed benedicens Dominum, in omni tempore, præſumebat ſe diligi, quod merebatur argui: ſciens, ſic præteritos (ſi qui fuerant) errores decoqui; ut defæcata Sanctitas celeriùs præſtaretur: quoniam virtus in infirmitate perficitur; in quâ etiam ſeſe tanta pertuliſſe aſſeruit, quòd ſi horum fuiſſet præſcius, nequaquàm ſe illis ſuperviċturum credidiſſet poſſibile. Denique moriturus, cùm de patiētiâ mortis perferendæ moneretur: reſpondens, ea, inquit, hora, quâ in mundum natus ſum, mortis debitor conſtitutus ſum: quam quacunque horâ placuerit altiſſimo; volenter, patienter ſolvam, pariter & conſtanter: utque ipſi aſtantes, ſimilia horum, ad quæ eum commonebant, ſuo agerent tempore, hortabatur in Domino: Imperio mortis non conterritus, qui ſe ſperabat nullo periculo à Chriſto ſeparandū: exſpectavit certamina, ut bonus Athleta coronam inveniret; quam non ſuis viribus, ſed Domini auxilio novit ſibi eſſe donatam.

Pacis Studium. Cæteris autem rebus adverſis, talem ſe exhibuit; ut cùm plurima, quæ à confinitimis minùs juſtè adverſus ſe fiebant, mirâ longanimitate ferret, ſubjectus ſibi populus, talia amantiſſimo ſibi Principi fieri conſiderans; pacem, cunctis licèt optatam mortalibus, difficiliùs, quàm ipſe hæc adverſa ſufferre poterat; quippe non ſolùm pacis amator fuit, ſed & aliorum, & diſſidentium animorum Reformator diligentiſſimus. Eius enim circumſpectiſſimâ Providentiâ; tàm ſubjecta ſibi Provincia, quàm cæteræ Reſpublicæ ſibi conterminæ, paucis atque brevibus exceptis ebullitionibus, pace fretæ ſunt per tempora multa.

Juſtitiæ Zelus. Inſuper Juſtitiæ Zelator ſtrenuus adeò extitit; ut ob Reipublicæ, tàm ſuæ, quàm aliarum provinciarum & communitatum, atque Romani Regni negocia, (quæ Zelo ſuccenſus, quatenùs complementum caperent Juſtitiæ, ſubijt) hanc ſuam proh dolor nimis immaturam mortem ſibi credatur accidiſſe celeriùs: ut ſic Zelo domus DEI abſumptus & conſummatus; expleret in brevi tempora multa, eſurivit Juſtitiam pariter & ſitivit: idcircò ſatiabitur, cùm apparuerit gloria DEI.

Leges ſancit & reformat. Nonnullas denique in ſuo diſtrictu ſucceſſionum conſuetudines; cùm minùs æquitatis continerent: etiam non paucis novis conditis pro ſuâ Provinciâ Legibus, ad æquitatis & Juſtitiæ reduxit lineam: atque

Digitized by Google

atque hâc eadem in re, ut ſimilis æquitas quoad ſucceſſiones, fieret in Principatu contermino; occaſionem ipſe præſtitit; & initium Provincialis, ſeu Curialis ſui Conſiſtorij (quod Juſtitiæ conducit plurimùm) ipſe Inſtitutor & Ordinator fuit diligentiſſimus. Quantus in fortuitis fuerit, non noſtrum diffuſiùs eſt in medium proponere; nẽpè cùm unam temporalis Dominij partem ſortitus exiſteret: eo volẽte, qui Regna transfert, & rerum Dominia; cujusque ſunt Cardines Orbis terræ; utriuſque ſortis adminiſtrationem (nõ ambitionis, aut quæſtus, ſed unionis & concordiæ causâ; quâ parvæ res creſcunt, ut docuit rei exitus) adipiſcitur: quaſi indignum foret, ut tantę Prudentiæ amplitudo, minùs amplam adminiſtraret provinciam. Sed hæc minùs penſitans; id cum ſapiente librabat omni tempore: ſi divitiæ appetuntur in vitâ; quid Sapientiâ locupletius, quæ attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.

Fürſtlich Würtẽbergiſche Hoffgericht zu Tübingen. Temporalia ſprevit Eberhardus.

De naturalibus verò donis atque viribus, ſatis ſenſuum ſuorũ docuit vivacitas. Quis enim noſtro ævo, tantâ præditus fuit tenacitate memoriæ: non modò in arduis, verùm etiam rebus in exiguis? promptiſſimâ denique ſolertiâ, & æſtimativæ ſubtiliſſimâ ſagacitate, & ingenij mirâ acrimoniâ; ita viguit: ut nihil in his niſi acutum, nec id quod obtuſum eſſet, apparuit: adeò ut ſi literis traditus, ad Palæſtram vocatus fuiſſet Scholaſticam; nulli etiam in Scholaſticis apicibus evaſiſſet ſecundus.

Memoria, & alia naturæ dona.

De Fortitudine autem animi, & militari eius conſtantiâ, quid referam? nempè eam olim Nuſienſis probavit obſidio: ad quam ſolvendam, cùm ſub Romani Imperij ſigno, Germanorum fortiſſimus deſcendiſſet exercitus; talem ſe exhibuit, ut præ cunctis de fervore animi militari, extolleretur laudibus, ſanè quod Rex Agrippa in cõcione ad Judæos habitâ, de Germanis meminit: in eo locum reperit Spiritum enim majorem corpore habuit. Quanquàm hoc ipſum donum minùs duxerit: ſciens, quàm melior eſt Sapientia, quàm vires; & vir prudens, quàm fortis: & qui dominatur animo ſuo, expugnatore Urbium. Qui & præter hæc, etiam Romano Imperio ſemper fuit obedientiſſimus. Neque enim ex quo hanc ipſam Provinciam adminiſtrare eum contigit, alicui Principum conventui defuit quanquàm hi ſatis crebrò fierent. Ipſe quippè Ratiſponẽſem, Norimbergenſem, Treverenſem, Francofurtenſem, Auguſtenſem, ac noviſſimè Wormatienſem conventus adijt, neque expenſis parcens, neque corpori. Et quid moror? ut paucis multa concludam: universâ morum honeſtate præclarus fuit: profundiſſimâ prudentiâ fultus: formidabilis malis: amabilis bonis: juſtus in omnes; doctis affabilis: prudentibus ſpe-

Fortitudo & militaris cõſtantia. Neüß.

Principum convẽtibus interfuit Dux Eberhardus.

ctabilis: devotis Religioſis familiaris: blandus pijs; terribilis impijs; deſiderabilis univerſis: adulteria perſequens: impudicos fugans: effrontes terrens. Veluti enim ventus Aquilo diſſipat pluvias : ſic hic noſter Princeps in ſolio Judicij ſui, diſſipavit omne malum. Et hic cùm talis ac tantus eſſet: tantis virtutibus redimitus magnus, major, maximus: lumen oculorum noſtrorum: ſolatium vitæ noſtræ: decor noſtræ univerſæ terræ: nobis ac toti Reipublicæ tàm immaturè ſubtrahitur. Quàm beata fuiſſet Reſpublica, ſi eum diutiùs ſervare potuiſſet? Vah vel demeritorum noſtrorum, vel ſaltem protoplaſti parentis noſtri peccati indignitas: quæ tantam ſtragem humano intulit generi: ut non quamlibet perſonam, ſed talem ac tantum nobis abſumeret Principem. Unius enim delicto mors tranſivit in omnes; ita ut etiam Sanctis haud parceret Principibus; unde Iſaias ait: Pater tuus primus peccavit, & interpretes tui prævaricati ſunt in me, & contaminavi, aliâs prophanavi, Principes Sanctos, dedi ad internecionem Jacob, & Iſrael in blaſphemiam. Et quanquàm hâc ex ratione eum aliquandò mori neceſſe fuerit : vereamur tamen oro, ne fortè noſtris demeritis: tanquàm tali Principe indigni : eum citiùs amiſerimus. Propter indigna enim gentis opera, aliquando jam regnantem (licèt benè meritum, & virtutũ Majeſtate redimitum) Deus revocat Principem, de medio nationis pravæ, & de hoc nequã ſeculo. Etſi (ut Gregorius ait) pro qualitatibus ſubditorum diſponuntur acta regentiũ: ita ut ſæpè pro malo gregis, etiam verè boni delinquat vita Paſtoris, prout in gloſsâ ſecundo Regum viceſimo quarto capite: non mirum, ſi ob populi indigna opera, etiam Dominus Principi ejuſdem temporalem accèleraret occaſum.

Rom. cap. 5. verſ. 12.

Ergò depone ornamentum capitis tui filia Sion: induere cilicio & cinere: accincta ſacco, quoniam magna eſt velut mare contritio tua, & quis conſolabitur te? donec deficiant lachrymæ. Plange quaſi virgo ſuper virum pubertatis tuæ, marceas & ſqualeas oppreſsâ amaritudine: luctum unigeniti fac tibi: planctum amarum, nõ quaſi Principem, ſed parentem publicum, tibi obijſſe domeſtico indoleas fletu: irrigare lachrymis quaſi tua funera dolens, ingemiſcas, quoniam defecit gaudium univerſæ terræ. Amiſiſti Principem, in quo duo pariter acerbant dolorem: annorum nondum naturæ maturitas, & conſiliorum ſenectus. Recordare dierum adoleſcentiæ tuæ, & paternæ charitatis eius, quâ te velut Pater in ſinu amplectebatur filium: memoriâ memor ero dulcis eius ad nos eloquij: & tabeſcet in me anima mea.

Sed quid geminamus gemitus, multiplicamus ſuſpiria, & lachrymis cordis infundimur? Nunquid ad nos eũ rurſum noſtris revocabimus

ſuſpirijs?

ſuſpirijs? Fateor quidem, quòd dolentis noſtri, & abſorpti mœrore animi ea conditio eſt, ut cùm in eum, quem diligentes perdidimus, mentem noſtram dirigimus, intentionemque defigimus: quaſi jam nobis præſtò redierit, ſermonem facimus, ſed heu ſcriptum eſt, Spiritus vadens, & non rediens? Sed & potiùs nos poſt eum proficiſcimur. Ergò quas fudimus, temperemus lachrymas: Davidis exemplo inſtructi: qui moriturum filium flebat: mortuum non dolebat: flebat, ne ſibi eriperetur: ſed flere deſijt ereptum, quem ſperabat fore ſalvatum. Inceſtum Ammon filium flevit: occiſum parricidam Abſolon doluit interemptum: dicens, filius meus Abſolon, filius meus Abſolon. Innocentem filium non putavit eſſe lugendum: quia illos ſibi perijſſe pro ſcelere: hunc pro innocentiâ credidit eſſe victurum. Optaſſet ille: illos tales obire, quales nobis noſter Princeps eſt ereptus; non exitum enim eorum, ſed crimina doluit, de quo etſi doleamus, quòd non per omnia maturè naturæ tempore obierit: gratulemur tamen, quòd virtutum ſtipendijs Veteranus deceſſerit.

Finem ergò loquendi pariter omnes audiamus, ne hujus ad vos Orationis cum ſonitu pereat memoria: quid quæſo velim intelligite: quòd Reipublicæ noſtræ tàm utiliter, quàm magnificè præfuit. Nónne omnium ſervus extitit? & qui tàm prudenter univerſam adminiſtravit provinciam: nónne omnium comprobatur fuiſſe miniſter? Quantam ergò mercedem & benevolentiam, huic Inclyto noſtro debemus Principi, qui pro omnibus nobis ſollicitudine magnâ militavit, & in ſinu charitatis nos fovit: reciprocam charitatem à nobis meritò recepturus. Undè & Paulus optavit: primùm omnium pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate conſtituti ſunt, obſecrationes fieri. Quis ergò ex vobis tàm impius in Patronũ, aut negligens, & acceptorum beneficiorum (quaſi nulla acceperit) tàm ingratus eſſe præſumeretur: ut per hujus triceſimi ter denos dies, nequaquàm quotidiè devotâ ad DEUM pro eo fusâ oratione, eius piam geſtaret ex corde memoriam? Abſit, abſit ab omnium veſtrûm cordibus: tantæ argui ingratitudinis vitio, ſed potiùs hanc vos in eum facturos pietatem promittitis cuncti: ſpondetis univerſi: juvenes & virgines, ſenes cum junioribus, patres & fratres optimi hoc pollicẽtes, aut ad minus proponentes, & id accuratè exequentes.

Epilogus.

1. ad Timoth. cap. 2. Verſ. 1.

Pſalm. 148. *Verſ. 12.*

Date manibus Sancta Myſteria: pio requiem ei poſcamus affectu: date Sacramenta cœleſtia Myſteria: animam piam thure proſequamur devoto: extollite populi mecum manus in Sancta, ut eo ſaltem munere, vicem eius meritis repẽdamus: nec floribus tumulum aſpergamus: ſed Spiritum eius Chriſti odore (quoniam Chriſti bonus odor

Digitized by Google

fuit) profundamus. Spargant alij plenis lilia calathis: nobis lilium eſt Chriſtus: hoc reliquias eius ſacremus: hoc eius gratiam commendemus: nullus prædictorum ſaltem dierum ſilentio eum prætereat: nulla inhonoratum eum noſtra tranſeat oratio, nulla nox non donatum aliquâ precum noſtrarum contextione tranſcurrat, & ſi ſermo taceat: loquatur affectus. Si vox deficiat: non deſinat gratia; noſtris infixa præcordijs. Illò convertatur anima eius precemur: undè deſcendit: ubi mortis aculeum ſentire non poſſit: ubi cognoſcat, hanc mortem hominis, non hominis finem eſſe, ſed culpæ. Quod enim mortuus eſt: peccato mortuus eſt: ut jam peccato locus eſſe non poſſit. Sic, ſic enim hæc noſtra ad vos ei proderit funebris oratio: ut à contagijs terrenæ converſationis (ſine quibus humana non vivit infirmitas) emundatus, ad cœleſtem perveniat habitationem, quam ſi ante hæc poſſideat: non ob id inanis erit, ſed in ſinum veſtrum revertetur oratio veſtra. Attentius conſiderate, ſi non quiſquam ex vobis ei promptiſſimus paruiſſet: ſi quid tantillum à quopiam veſtrûm adhuc in carne vivês flagitâſſet? Cur non, quæ viventi contuliſſetis, etiam jam mortuo impenderetis? An verò ad oculum ſervientes eſtis atque fuiſtis? & ſalis atque menſę amici, non neceſſitatis: in quâ vera comprobatur amicitia: plus debetis defuncto, quàm debuiſtis viventi. Neque (quod abſit) ulli veſtrum impia hæc ſurrepat cogitatio: quaſi qui tantis hîc effulſit virtutibus, atque bonis operibus: prophanus in fine, nec amicus DEI deceſſerit hoc eſt enim antiqui hoſtis: quò pia in defunctos cohibeat ſuffragia: ſerpentinum nuntium: cuncta in defunctos eradicâs humanitatis genimina. Ad hæc prorſus obſurdentes: procul illa pellite. Si enim inter omnes ullus in noſtro ſeculo Princeps: iter apprehendit ſalutis æternæ: cur non potiſſimùm ille, qui in vitâ tantâ Religione, & virtutum Majeſtate refulſit in morte?

Eberhardi Ducis Würtembergenſis mors beatiſſima.

Denique ſalutaribus devotiſſimè munitus fuit Sacramentis: integro ſenſu ad ultimum uſque perſeverans: migravit è ſeculo: homo verè nobilis, & abijt in Regionem longinquam.

De quo ſi quis hæſitaverit, cujus quæſo Principis credet ſalutem? qui cùm non longè antè de fide tenendâ Catholicâ moneretur: tàm conſtanti, quàm piâ confirmatione: tanquàm tetragonus immobilis reſpondit: quin imò ſe ſine cujuſvis dubio, tâquàm Catholicum Principem deceſſurum. Itaque bonum certamen certavit: curſum cõſummavit: fidem ſervavit: de reliquo repoſita eſt ſibi Corona Juſtitiæ: quam ei reddet Juſtus Judex: ad quam pariter nos perducat CHRISTUS JESUS DEUS noſter in ſecula benedictus. Amen.

2. ad Tim. cap. 4. verſ. 7.

Finit Oratio Funebris & Luctuoſa, ad Univerſitatem Tubingenſem,

ſem, per M. Cunradum Summenhart de Calvv, Sacræ Theologiæ Profeſſorem; habita nonâ die Martij, Anno Domini, Milleſimo, quadringenteſimo, nonageſimo ſexto, in exequijs Illuſtris Principis Eberhardi, Primi Ducis in Württemberg & Theckh. Impreſſa in oppido Tubingenſi, per Magiſtrum Johannem Othmar: Anno Chriſti M. CCCC. XCVIII.

EPITAPHIVM DVCIS EBERHARDI Senioris: quod ad tumbam eius poſitum eſt: per Henricum Bebelium Juſtingenſem.

Qui fueram quondam Suevorum gloria prima,
Hâc jaceo triſti contumulatus humo.
Cervigera genti merui virtute Ducatum,
Signiferum Imperij Cæſar & eſſe dedit.
Martis opus tractans non victus ab hoſtibus ullis,
Suntq; procul pulſi quos ſcelera atra fovent.
Pacis at imprimis ſtudioſus triſtia bella,
Teutonicis pepuli ſæpiùs ipſe plagis.
Relligionis amans Templum hoc fundaſſe juvabat,
Hîc ubi pòſt obitum corpus inane cubet.

ΤΕ΄ΛΟΣ.

DE LAVDIBVS EJUSDEM Principis apud tumbam.

Aſpice fatorum ſeriem quicunque viator
Tendis ad hanc tumbam: quia mors non abſtinet ullis
Terricolis: jacet hîc Eberhardus præda lacertis
Eheu Suevorum columen: qui pacis amator,
Mars erat in bellis: Ithacus ſermone diſerto,
Pectore & Alcides ſuperans gravitate Catona.
Te alter Mecœnas ſummo dilexit amore,
O quem Relligio traxit, vel Caſtra Minervæ.

Telos.

Digitized by Google

AD DIVAM VIRGINEM MARIAM pro defuncto Principe.

Virgo per æternum ſummo dilecta tonanti,
Atque per æthereos nunc veneranda Choros.
Vnica peccantum Spes atque Salus miſerorum,
Manibus Ebrardi confer ad aſtra viam.

ORATIO SECVNDA

DE EBERHARDO DVCE VVüRTtembergenſi, recitata à Doctore Johanne Schneidevvein Juriſconſulto, & Inclytæ Wittembergenſis Academiæ Anteceſſore quondam celeberrimo, cùm gradus decerneretur Doctori Georgio Müllero Mansfeldenſi, Anno M. D. L I I. & extat inter declamationes Melanchthonis, Tomo Secundo.

Pauli navis diviniùs ſervata.

VT navis Pauli in medijs fluctibus, rapido Typhone agitatis, qui & antennas & remos fregerat, verè tamen divinâ ope ſervatur, donec in portum venit: ita non dubium eſt, inter tantos diabolorum & hominum furores, qui diſſipare & delere genus humanum conantur, quantum Politici Ordinis, & humanæ ſocietatis, educationis, inſtitutionis, legum & judiciorum reliquum eſt, à DEO ipſo conſervari, & Legum vocem verè eſſe ſapiẽtiam DEI, rectricem vitæ humanæ, de quâ dicitur: per me Reges regnant, & Judices juſta decernunt, & quidem, ut propter Paulum laceratio navis impeditur, ita ut colligi Eccleſia, & hereditas filio DEI poſſit, pars generis humani à DEO ſervatur.

Politicus Ordo à DEO ſervatur.

Hæc cùm ſint veriſſima, valdè dolendum eſt, pauciſſimos homines agnoſcere conſervationem vitæ Politicæ, Leges ac Judicia, verè eſſe opera DEI, & teſtimonia præſentiæ DEI inter nos, & in ipsâ Curiâ, & in

& in familijs noſtris. : pauciores verò amare & venerari hæc divina munera. Sed multi & DEUM removent à gubernatione, & caſu omnia volvi putāt. Leges verò, Judicia, pœnas, oderunt tāquàm carcerem, & cogitant vincula eſſe potentum arbitrijs excogitata.

Etſi autem ſemper multi cæco furore DEUM & res divinas horribiliter contemnunt: tamen DEUS in hanc nós ſtationem collocavit, ut furores illos conſtanter taxemus, & veritatem illuſtremus, ut extēt de ipſo teſtimonia, ac ut aliqui ſanabiles, noſtrâ commonefactione flectantur ad virtutem. Sæpè igitur repetimus hanc veriſſimā doctrinam, quæ adfirmat, totum ordinem Politicum, Sapientiam DEI, opus divinum, & teſtimonium præſentiæ DEI inter nos eſſe, & beneficia divina ſalutaria nobis, plurima complecti, & præcipuè propter DEUM authorem, venerandum, & reverenter tuendum eſſe. Deinde etiam eò amandus eſt Ordo Politicus, quia maximè convenit homini intelligere, & amare ſapientiam, & diſcernere eam à furoribus & mēdacijs. Politicus Ordo eſt divinū opus.

Sed magis moventur homines utilitatis conſideratione. Quæ res autem alia vitæ utilior eſt, quàm hæc Civilis Societas? Nam vita hominum ſine multorum officiorum communicatione, & ſine communi defenſione retineri nequaquàm poteſt. Sunt autem nervi ſocietatis Leges, Imperia, Judicia, pœnæ. Et cuſtos eſt hujus utilitatis etiam ipſe Deus. Nam tūc quoque, cùm Magiſtratuum autoritate compeſci homines violenti ac ſcelerati non poſſunt, Deus ipſe adeſt vindex, & punit ſcelera, ſimul ut oſtendat ſe eſſe juſtum, & ne diſſipetur, ac deleatur genus humanum, ſicut inquit Filius DEI: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Nec dubia eſt Regula: Atrocia delicta comitantur atroces pœnæ in hac vitâ. Civilis Societatis utilitas. *Matth cap. 26. Verſic. 52.*

Cùm igitur manifeſtum ſit, Ordinem Politicum DEI opus eſſe, cumq́ue ſit in conſpectu utilitas, exſuſcitemus animos ad conſiderationem, & amorem tanti boni, & frenari cupiditates noſtras hâc normâ divinâ patiamur. Sæpè etiam cùm intuemur furores hominum turbantium hunc ordinem, ut in navi Paulus faciebat, nos quoque DEUM conditorem generis humani oremus, ne fluctibus opprimi has noſtras politias, noſtras familias, noſtra tuguriola, Templa & Scholas ſinat.

Te igitur Omnipotens DEUS, Aeterne & Unice Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, cōditor cœli & terræ, & hominum & omnium creaturarum, unà cum Filio tuo, Domino noſtro Ieſu Chriſto, & Spiritu Sancto, Sapiens, Verax, bone, Juſte, Vindex, Caſte, liberrime, oro, ut propter Filium tuum, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, crucifixum pro nobis, & reſuſcitatum, ſemper Eccleſiam æternam inter nós Precatio.

 colligas

colligas,& gubernes,& propter eam ſerves & protegas hęc hoſpitia,& hos nidulos noſtros,& Leges,& diſciplinam.

Hæc vota quotidiè veris gemitibus repetenda ſunt,quæ quãquàm magnis fluctibus noſtra navis quaſſatur, tamen non erunt irrita. Nota eſt enim juramenti vox: Amen, Amen dico vobis: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

Iohan. 16. Iup. Verſ. 24.

Hanc commonefactionem de reverentiâ debitâ ordini Politico, breviter nunc repetivi,quia ſæpè aliâs eâdem de re copioſè dicitur. Et tamen in his congreſſibus, in quibus præcipuè legum dignitas ornãda eſt,non prorſus omitti poteſt. Nunc exemplum addam Juſti & Salutaris Principis,& qui Leges,& Legum cuſtodes, viros doctos ſummâ reverentiâ coluit. Recitabo enim Hiſtoriam Principis Eberhardi, Ducis Württembergenſis, qui cùm excelleret Sapientiâ & Juſtitiâ, primus dignitate Ducum in eâ familiâ, quæ tamen vetuſtate, & rebus geſtis clariſſima erat,ornatus eſt. Nec miremini de Peregrino Principe dici. Nam & omnium virtus ubicunque ſunt,aut fuerunt,laude digna eſt,& turpitudo digna odio & vituperatione, & exempla ad omnes pertinent. Deinde nos in hâc Academiâ non prorsùs alienum eſſe ducamus. Cùm enim ſit οἰκιστὴς Academiæ Tubingenſis, undè quaſi Colonia deducta eſt hæc noſtra Academia, decet nos ipſius quoque gratam memoriam retinere.

Eberhardus Dux Würt-tembergẽſis.

Deindè & quandam habeo privatam hujus officij rationem. Fuit excellens virtus Comitis Stolbergenſis,qui Pater eorum fuit,qui nũc vivunt. Hunc Eberhardus ille natum ex ſorore ita educavit,& adſuefecit ad Juſtitiam,& ad alias virtutes,velut Chirõ, aut Phœnix Achillem,ut poſtea gubernatio eius patriæ ſalutaris fuerit. Et quia Comes Boto in hunc virum,tanquàm in exemplum intuebatur, multa ipſius dicta & facta recitabat, quare adhuc eius Principis memoriâ noſtri delectantur.

Stolbergenſis Comes.

Optârim autem nos copioſiorem eius hiſtoriam habere. Sed cùm hæc pauca exempla,quæ audivi,literis digna ſint, & vitæ utilia,ſatius eſt, mutilam hiſtoriam extare, quàm nomen tanti Principis in oblivionem venire. Nec dubito, vobis omnibus hanc veram commemorationem gratam fore. Etſi enim ſemper pauci boni ſunt: tamen propter gloriam Dei celebranda eſt virtus,& naturę non monſtroſæ,intuentes honeſta exempla,virtutem magis intelligere diſcunt,& amore eius accenduntur.

Ac priùs quàm de familiâ dicam, initiò fines deſcribam, quibus propemodùm nunc incluſa eſt univerſa ditio Württebergenſis. Penè quadrangula eſt Regio, ac Latus Meridianum eſt à fontibus Danubij

Württẽbergenſis ditionis fines.

ad Ulmam

ad Ulmam uſque. Latus Occidentale à fontibus Danubij Sylva Martiana eſt, ut Scriptores depravato nomine appellant, ad Oppidum uſque, cui nomen eſt porta Harciniæ, vulgò Pfortzen. Latus Septétrionale à porta Harciniæ, ad Neccarum, & vicina juga Sylvæ Francicæ. Flumen Coccharus penè latus quartum ad Ortum conſtituit. Ferè ubique Regio gignit frumentum & vinum, & magna eſt oppidorum & pagorum frequentia. Naturæ hominum beneficæ ſunt, & in victu mediocris mundicies eſt, & ſi rectè regantur, non contumaces ſunt.

Arx eſt non procul ab Eſslingâ, cui Württeberga nomen eſt, undè Comitum vetus adpellatio eſt. Oppida in extremis oris olim partim ad Francicum Ducatum, partim ad Suevicum pertinuerunt: media pars quæ eſt uberrima, fuit Comitum Württebergenſium, indè uſque ab Imperatoris Henrici V. tempore. Apud hunc enim fuit Ductor exercitus excellens conſilio & virtute, Comes Württebergenſis, qui tenuit oppidum Groningen Wernherus, à quo deinceps orti ſunt Comites, qui in hâc familiâ recenſentur. Vetus adpellatio huius Regionis apud Ptolomæum haud dubiè eſt Charitini, quod à nomine Germanico, quod hortos ſignificat, factum eſſe videtur, ac ſignificat, veteres etiam ubertatem & amœnitatem loci celebrâſſe.

Württeberga Arx.

Wernherus Dux Württebergenſis.

Gärtner.

Vſitatum autem fuit ante hunc Eberhardum, de quo dicam, cùm duo fuerũt fratres, ita dividere patriam, ut alter teneret Stutgardiam, & cœtera oppida Franciæ propiora, alter Urachium, & vicinam Tunam Tubingam. Hanc horridiorem partem tenuit Comes Ludovicus, qui conjugem habuit ſororem Palatini Friderici, cujus nomen celebre eſt, propterea quòd in uno prælio tres Principes non procul ab Heydelbergâ cepit.

Württebergenſis Ducatus diviſus.

Ex his Parentibus Nobiliſſimis nati ſunt Eberhardus & Mechtildis, poſtea nupta Landgravio Haſſiæ, & Eliſabetha nupta Comiti Stolbergenſi. Sed de Eberhardo nunc dicam. Cùm Pater immaturâ morte extinctus eſſet, mater & præcipui viri ex Ordine Equeſtri gubernârunt & patriam & adoleſcentem. Sed excellens in matre fuit virtus, quæ filias ſummâ gravitate rexit. Adoleſcens filius pædagogum habuit virum honeſtum, Johannem Nauclerum, cujus adhuc extant monumenta, de quo poſtea plura dicam. Sed narrat ipſe, tutores prohibuiſſe Latinam Linguam doceri adoleſcentem, fortaſſis ne diu in ſtudijs literarum retineretur. Aſcribit Nauclerus, ſæpè Eberhardum, cùm poſtea conventus Imperij, & exteras nationes adiret, cum inſigni ſignificatione doloris improbaſſe hæc mandata tutorũ, ac dixiſſe, nemini magis opus eſſe cognitione doctrinę, & linguarum, quàm Principi. Et poſtea ſibi doctiſſimos homines adjunxit, à quibus

Johannes Nauclerus.

Linguarum cognitio Principibus neceſſaria.

& Eccleſiæ doctrinam integrè,quantum poſſet,diſceret,& fontes doctrinæ Juris,& Hiſtorias cognoſceret,ut deindè dicam.

Eberhardus Dux Hieroſolymā profectus.

Egreſſus ex adoleſcentiâ, in ipſis initijs gubernationis ſuæ profectus eſt Hieroſolymam, & quia ſtudio tenebatur videndi veſtigia filij DEI,impreſſa illi Religioni , in quibus Illuſtria teſtimonia cœleſtis doctrinæ edita ſunt, & quia Reſpublicas alibi, & peritorū hominum ſenſus, & mores cognoſcere cupiebat. In eâ peregrinatione & multa didicit, & virtus eius in periculis, & laboribus perferendis crevit, & cùm in omnibus deliberationibus & actionibus jam diligentior & gravior factus eſſet, reversū magis admirari, & diligere patria cœpit.

Bellum Ulrici Ducis Vuirttebergenſis, cum Friderico Palatino.

Inciderunt autem exordia gubernationis ipſius in tempora ſatis triſtia. Agnatus Comes Ulricus geſſit bellum infœlix cum Friderico Palatino, incitatus ab Alberto Marchione, à cujus belli ſocietate ut abſtineret Eberhardus, mater perfecit, in quâ erat excellens prudentia & virtus. Intereà & Carolus Burgundus Germaniam turbabat, & Mahometus captâ Conſtantinopoli, & vaſtatâ Græciâ bellum transferebat in Pannoniam, & aliquantò pòſt Maximilianus Gallicis artificijs captus eſt.

Principis præcipua officia.

In his publicis Imperij periculis non adjunxit ſe ullis factionibus. Sed hæc duo præcipua eſſe Principis officia dixit ipſe: Primùm adjungere ſe ad Imperatorem,& ad Imperij Senatum, & cum his velle tueri communem Patriæ ſalutem,ut in animantibus ſingula membra toti corpori opem ferre conantur. Deindè conſulere & ſaluti ſubditorum. Quare auxilia Imperatori Friderico, & deindè Maximiliano fideliter miſit: duxit & ipſe exercitum in Belgicum magno ſumptu ad Maximilianum liberandum: & cùm frugalis eſſet, hos ſumptus ſine magnis expilationibus ſuſtinuit.

Eberhardus Dux Vuirtebergenſis Doctorū virorum Fautor.

Liberato Maximiliano,cùm jam mediocris in Germaniâ tranquillitas eſſet, & in eo, ætate & uſu rerum prudentia creviſſet, & poſt Agnati mortem, Comitatus utramque partem regere cœpiſſet, præcipuè hoc egit, ut ſibi viros ſapientes & eruditos adjungeret, quorum audiret Conſilia de maximis rebus. Viderat enim & Imperatoris Aulam,& Venetam gubernationem, & Aulas Ducum Saxoniæ, Erneſti & Alberti,ubi ad negocia docti homines adhibebantur. Quare & ipſe viris Nobilibus addidit Doctores, inter quos excelluerūt Petrus Arlunenſis,& Johannes Nauclerus,& poſt hos Capnio.

Tubingenſis Academia conſtituta.

Ac ut tota Regio ornaretur doctrinâ, & fieret cultior, & in Eccleſijs major lux eſſet doctrinæ de DEO, Academiam conſtituit Tubingæ, Anno Milleſimo, Quadringenteſimo, Septuageſimo ſeptimo, in quam accerſivit multos doctos viros in Doctrinâ Eccleſiæ , Jure & alijs

alijs artibus. Fuerunt ibi Juriſconſulti, Uranius, qui etiam ex Italiâ cõſulebatur, Gregorius Lampaiter, Imperatori Maximiliano admodùm familiaris. Theologi clari fuerunt, Gabriel Biel, Summenhart & Wendelinus, qui Duci Eberhardo familiariſſimus fuit. Erât autem horum omnium mores caſti & ſancti. Et Wendelinus, cùm aſſiduus Lector eſſet Sacrorum librorum; & Auguſtini, agnoſcebat, multa errata eſſe in Scriptis Thomæ, & Scoti, & ſimilium, & ſatis liberè in Scholis doctrinam de gratiâ ſynceriorem tradebat. Hic Principem audiebat petentem abſolutionem: hic eum de beneficijs Filij DEI erudiebat, collectâ etiam Germanico ſcripto ſummâ doctrinæ.

Capnio Hiſtoriam continuam de Monarchijs contexuit, & Elementa Juris Civilis, quæ utcunque viam ei monſtrarent in judicãdo. Capnionis Hiſtoria.

Quanquàm autem Latinè ignorabat: tamen & Theologorum, & Juriſconſultorum Diſputationes adibat, & ſciſcitabatur ſuos, quâ de re Diſputatio inſtituta eſſet: & ſi quid dignum conſideratione propoſitum erat, jubebat ut Germanicè interpretarentur. Interdùm & ipſe ſuas cogitationes inter Doctores palàm proponebat, ut controverſia magis explicaretur.

Plerunque cùm Tubingæ fuit, dimiſit Comitatum in Arcem, ipſe divertit ad Naucleri domum exiguam, ſed vicinam Templo. Fuit enim hujus viri & eximia eruditio, & ſumma integritas, & ut Capnio de eo prædicabat, in judicando ſingularis rectitudo. Ibi cùm antè lucem ſurgerent, dictâ precatione, poſtea tribuebantur tres horæ deliberationibus, & aderant Scribæ, quibus mandata dabantur de formãdis reſponſionibus: deindè ibant in Templum. Pòſt Sacrum uſitatâ horâ prandebant ſimul in illâ ipsâ Naucleri domo, & vocabãtur duo aut tres alij, tùm Doctores, tùm viri Nobiles. Nec adparatus ſplendidior erat quàm ſolent ibi mediocrium Civium prandia eſſe. Sed colloquia tantis viris digna, erant plena Sapientiæ de Eccleſiâ, de doctrinâ divinâ, de gubernatione publicâ, de præſentibus periculis.

A prandio patebat aditus ad ipſum omnibus, qui eum alloqui volebant, aut ſupplices libellos adferebant. His placidè reſpõdebat, ac tempora eis conſtituebat petendi reſponſa. Cùm frumentum aut ligna pauperes petebant, mandabat fidelibus hominibus, ut ſtatim dari curarent, quantum jubebat. Etſi enim parſimoniam & amabat, & tuebatur: tamen erga pauperes beneficentiam exercebat. Poſtea tribuebat aliquantulum temporis quieti aut ſomno. Deindè ad veſpertinas preces accedebat, in quibus plerunque legebat Scripta de Doctrinâ Eccleſiæ. Deindè ante cœnam rurſus conveniebant ad deliberationes, aut recitabantur literæ priùs formatæ.

M Cœnam

Digitized by Google

Cœnam volebat eſſe hilariorem, conditam dulcedine ſermonum, ne ſomnus impediretur, quem ſæpè ei moles curarum excutiebat. Talis erat Aula in illo tuguriolo ſenis Doctoris, quę modeſtiâ, ſobrietate, caſtitate, par erat Eremitarum Pauli & Antonij congreſſibus: utilitate antecellebat, quia horum deliberationibus regebatur tota ditio, & Juſtitia, Pax, Diſciplina conſervabantur.

Eberhardus Dux Würtembergēſis Romā proficiſcitur.

Conſtitutâ formâ gubernationis in Patriâ, deindè Romam profectus eſt. Ubi cùm in Templo, proximè adſtans ipſi Cardinalis interfectus eſſet, poſtea non diu manſit. In itinere honorificè exceptus eſt Florentiæ à Laurentio Medices, ac valdè admiratus eſt eius viri Sapientiam, & in omni ſermone & actione gravitatem. Poſtea Mantuæ uxorem duxit filiam Marchionis Mantuani, natam matre Germanicâ, filiâ Marchionis Brandeburgenſis, ex quâ ei filia tantùm nata eſt. Et quanquàm poſtea non peperit, tamen ſemper cum eà amanter vixit: & adfirmabat Doctor Wendelinus, fidem, & caſtitatem conjugalem nunquàm ab eo violatam eſſe.

Eberhardus uxorem duxit.

In communibus Imperij negocijs, conferebat pecuniam, & mittebat milites officiosè, quoties opus erat. Sed domi bella non movebat, & quanquàm ſæpè injuriæ dolore valdè accendebatur, tamen populi ſalutem iræ anteferebat.

Eberhardus ſeverus in latrones.

Ac ut erat in privatâ vitâ, & in totâ gubernatione ſeverus cuſtos Juſtitiæ: ita adverſus latrocinia vigilans & acer fuit. Cumque propter Suevica bella, ante ipſius gubernationem, multi latrunculi paſſim graſſarentur, brevi ſuo labore, & ſuis periculis perfecit, ut nulla Regio minùs eſſet infeſta latrocinijs, quàm iſta.

Nam ipſe cum delectis Equitibus ſuſpecta loca adibat, & aliquoties magno cùm periculo deprehenſos cepit, & poſtea ſupplicijs affici curavit, nec metuit cognatorum Nobilium odia, nec ambitioſis interceſſionibus eripi eos pœnæ ſinebat.

Sæpè tempore Francofordiani mercatus, ipſe ſe inter Equites in viâ, & in oppidis oſtendebat Mercatoribus, ut eius vigilantiam cognoſcerent. Salutabat etiam, & jubebat ſibi indicari, ſi quâ injuriâ in viâ, vel in diverſorijs afficerentur. Hæc penè ſervilis aſſiduitas videretur nunc parùm Regia. Sed illi optimi viri, Juſtitia & virtute erant magni, non Perſico faſtu.

Eberhardus arcem propè Ulmam evertit.

Semel omninò bellum movit, ac juſto exercitu oppugnavit arcem non procul ab Ulmâ ſitam, quæ ab altis corvis nomen habet, quam & expugnatam diruit ne receptus eſſet latronum.

Hohenkrähe.

Diligebatur ergò & à ſuis, & ab Urbibus Imperij, & à vicinis Principibus, ac de benevolentiâ populi erga ipſum, recitabatur hæc ipſius narratio.

Digitized by Google

narratio. In Conventu Wormacienſi cùm Saxoniæ Duces vocaſſent ad cœnam Duces Bavariæ, Palatinos, & ipſum, & ſinguli ſuarum Regionum ornamenta prædicarent, alij venas metallicas, alij urbes, frumenta, vinum, ſedit tacitus Auditor Eberhardus. Ibi tandem Albertus Saxoniæ Dux, cur non jubemus etiam Ducem Württebergenſem de ſuâ patriâ loqui? Reſpondet hic modeſtè: ſcio, veſtras familias potentiâ, authoritate & opibus antecellere, nec vobiſcum certare poſſum, ſed contentus ſum meo, & ſcio, me DEO gratitudinem debere. At unum hoc prædicare me poſſe exiſtimo, ſecurus in medio æſtu in campo, & ſolus, in gremio cujuslibet meorum civium dormire poſſum. Quid ſignificaret, non obſcurum erat.

Eberhardi prædicatio de ſuis ſubditis.

Augebat ei benevolentiam apud Principes, & Civitates, quòd in Conventibus ipſe multorum cauſas dicebat. Cùm enim & facundus eſſet & haberet apud ſe homines doctos, à quibus armatus, ſuæ partis jus exponere, & illuſtrare poterat, & ſcirent multi delectari eum hâc Oratoriâ laude, libenter ad eum cauſas deferebant. Has cùm recepiſſet, petebat à Doctoribus fontes Argumentorum, & ornamenta, exépla, Hiſtorias, aut alias narrationes convenientes ſuo negocio. Poſtea tantâ facultate expoſuit, ut cum admiratione audiretur. Cùm [illegible]itur eſſet Aulæ diſciplina plena honeſtorum exemplorum, multi Co[illegible]ites ad eum filios mittebant. Hos ipſe interdùm audiebat recitantes Catechiſmum, & precationes: & dictata non rectè reddentes, non ſolùm objurgatione ſuâ commonefaciebat officij, ſed etiam alijs exemplis caſtigari jubebat. Sæpè inculcans junioribus hanc ipſam ſententiam: Initium Sapientiæ eſt timor Domini.

Eberhardus facundus.

Eccleſiaſtic. cap. 1. verſ. 16.

Etſi non teneo integram ipſius Hiſtoriam: tamen multa addere poſſem ſapienter ab ipſo dicta & facta. Sed nunc de ultimo vitæ actu. Maximilianus initio ſuæ gubernationis multùm ipſius conſilio utebatur, cumque judicaret Imperio honorificum eſſe, talem virum in conſeſſu Principum dicere ſententiam, & Regionis amplitudo ſuſtinere Ducum ſumptus poſſet, auxit hanc familiam dignitate Ducum. Quâ de re cùm deliberatio eſſet, & intelligerent Sapientes, magnum onus imponi patriæ, vicit tamen & Maximiliani voluntas, & publicæ utilitatis ratio, quia exiſtimabant æquum eſſe, ut talis Regio ferè in medio Germaniæ ſita, plùs oneris ſuſtineret in communibus Imperij negocijs.

Cùm ingreſſus eſſet annum alterum & quinquageſimum, veſicâ ſauciatâ à calculo aliquandiu ægrotavit, & morbi ſævitiâ, tandem extinctus eſt. Sed digna eſt memoriâ narratio de eius agone. Triduò viſus eſt ipſe ſecum valdè luctari, tantumque certamen fuit, ut loqui

Eberhardi Ducis Würtembergenſis mors.

fuit) profundamus. Spargant alij plenis lilia calathis: nobis lilium eſt Chriſtus: hoc reliquias eius ſacremus: hoc eius gratiam commendemus: nullus prædictorum ſaltem dierum ſilentio eum prætereat: nulla inhonoratum eum noſtra tranſeat oratio, nulla nox non donatum aliquâ precum noſtrarum contextione tranſcurrat, & ſi ſermo taceat: loquatur affectus. Si vox deficiat: non deſinat gratia; noſtris infixa præcordijs. Illò convertatur anima eius precemur: undè deſcendit: ubi mortis aculeum ſentire non poſſit: ubi cognoſcat, hanc mortem hominis, non hominis finem eſſe, ſed culpæ. Quod enim mortuus eſt: peccato mortuus eſt: ut jam peccato locus eſſe non poſſit. Sic, ſic enim hæc noſtra ad vos ei proderit funebris oratio: ut à contagijs terrenæ converſationis (ſine quibus humana non vivit infirmitas) emundatus, ad cœleſtem perveniat habitationem, quam ſi ante hæc poſſideat: non ob id inanis erit, ſed in ſinum veſtrum revertetur oratio veſtra. Attentius conſiderate, ſi non quiſquam ex vobis ei promptiſſimus paruiſſet: ſi quid tantillum à quopiam veſtrûm adhuc in carne vivẽs flagitâſſet? Cur non, quæ viventi contuliſſetis, etiam jam mortuo impenderetis? An verò ad oculum ſervientes eſtis atque fuiſtis? & ſalis atque menſę amici, non neceſſitatis: in quâ vera comprobatur amicitia: plus debetis defuncto, quàm debuiſtis viventi. Neque (quod abſit) ulli veſtrum impia hæc ſurrepat cogitatio: quaſi qui tantis hîc effulſit virtutibus, atque bonis operibus: prophanus in fine, nec amicus DEI deceſſerit. hoc eſt enim antiqui hoſtis: quò pia in defunctos cohibeat ſuffragia: ſerpentinum nuntium: cuncta in defunctos eradicãs humanitatis genimina. Ad hæc prorſus obſurdentes: procul illa pellite. Si enim inter omnes ullus in noſtro ſeculo Princeps: iter apprehendit ſalutis æternæ: cur non potiſſimùm ille, qui in vitâ tantâ Religione, & virtutum Majeſtate refulſit in morte?

Eberhardi Ducis Würtembergenſis mors beatiſſima.

Denique ſalutaribus devotiſſimè munitus fuit Sacramentis: integro ſenſu ad ultimum uſque perſeverans: migravit è ſeculo: homo verè nobilis, & abijt in Regionem longinquam.

De quo ſi quis hæſitaverit, cujus quæſo Principis credet ſalutem? qui cùm non longè antè de fide tenendâ Catholicâ moneretur: tàm conſtanti, quàm piâ confirmatione: tanquàm tetragonus immobilis reſpondit: quin imò ſe ſine cujuſvis dubio, tãquàm Catholicum Principem deceſſurum. Itaque bonum certamen certavit: curſum cõſummavit: fidem ſervavit: de reliquo repoſita eſt ſibi Corona Juſtitiæ: quam ei reddet Juſtus Judex: ad quam pariter nos perducat CHRISTUS JESUS DEUS noſter in ſecula benedictus. Amen.

2. ad Tim. cap. 4. verſ. 7.

Finit Oratio Funebris & Luctuoſa, ad Univerſitatem Tubingenſem,,

Digitized by Google

Tem, per M. Cunradum Summenhart de Calvv, Sacræ Theologiæ Profeſſorem; habita nonâ die Martij, Anno Domini, Milleſimo, quadringenteſimo, nonageſimo ſexto, in exequijs Illuſtris Principis Eberhardi, Primi Ducis in Württemberg & Theckh. Impreſſa in oppido Tubingenſi, per Magiſtrum Johannem Othmar: Anno Christi M. CCCC. XCVIII.

EPITAPHIVM DVCIS EBERHARDI Senioris: quod ad tumbam eius poſitum eſt: per Henricum Bebelium Juſtingenſem.

Qui fueram quondam Suevorum gloria prima,
Hâc jaceo triſti contumulatus humo.
Cervigera genti merui virtute Ducatum,
Signiferum Imperij Cæſar & eſſe dedit.
Martis opus tractans non victus ab hoſtibus ullis,
Suntq́ procul pulſi quos ſcelera atra fovent.
Pacis at imprimis ſtudioſus triſtia bella,
Teutonicis pepuli ſæpius ipſe plagis.
Relligionis amans Templum hoc fundaſſe juvabat,
Hîc ubi pòſt obitum corpus inane cubet.

ΤΈΛΟΣ.

DE LAVDIBVS EJUSDEM Principis apud tumbam.

Aſpice fatorum ſeriem quicunque viator
Tendis ad hanc tumbam: quia mors non abſtinet ullis
Terricolis: jacet hîc Eberhardus præda lacertis
Eheu Suevorum columen: qui pacis amator, Aetempto.
Mars erat in bellis: Ithacus ſermone diſerto,
Pectore & Alcides ſuperans gravitate Catona.
Te alter Mecœnas ſummo dilexit amore,
O quem Relligio traxit, vel Caſtra Minerva.

Telos.

AD DIVAM VIRGINEM MARIAM pro defuncto Principe.

Virgo per æternum ſummo dilecta tonanti,
Atque per æthereos nunc veneranda Choros.
Unica peccantum Spes atque Salus miſerorum,
Manibus Ebrardi confer ad aſtra viam.

ORATIO SECUNDA

DE EBERHARDO DUCE WüRTtembergenſi, recitata à Doctore Johanne Schneidewein Juriſconſulto, & Inclytæ Wittembergenſis Academiæ Anteceſſore quondam celeberrimo, cùm gradus decerneretur Doctori Georgio Müllero Mansfeldenſi, Anno M. D. LII. & extat inter Declamationes Melanchthonis, Tomo Secundo.

Pauli navis divinitùs ſervata.

UT navis Pauli in medijs fluctibus, rapido Typhone agitatis, qui & antennas & remos fregerat, verè tamen divinâ ope ſervatur, donec in portum venit: ita non dubium eſt, inter tantos diabolorum & hominum furores, qui diſſipare & delere genus humanum conantur, quantum Politici Ordinis, & humanæ ſocietatis, educationis, inſtitutionis, legum & judiciorum reliquum eſt, à DEO ipſo conſervari, & Legum vocem verè eſſe ſapiētiam DEI, rectricem vitæ humanæ, de quâ dicitur: per me Reges regnant, & Judices juſta decernunt, & quidem, ut propter Paulum laceratio navis impeditur, ita ut colligi Eccleſia, & hereditas filio DEI poſſit, pars generis humani à DEO ſervatur.

Politicus Ordo à DEO ſervatur.

Hæc cùm ſint veriſſima, valdè dolendum eſt, pauciſſimos homines agnoſcere conſervationem vitæ Politicæ, Leges ac Judicia, verè eſſe opera DEI, & teſtimonia præſentiæ DEI inter nos, & in ipſâ Curiâ,

& in

& in familijs noſtris; pauciores verò amare & venerari hæc divina munera. Sed multi & DEUM removent à gubernatione, & caſu omnia volvi putāt. Leges verò, Judicia, pœnas, oderunt tāquàm carcerem, & cogitant vincula eſſe potentum arbitrijs excogitata.

Etſi autem ſemper multi cæco furore DEUM & res divinas horribiliter contemnunt: tamen DEUS in hanc nos ſtationem collocavit, ut furores illos conſtanter taxemus, & veritatem illuſtremus, ut extēt de ipſo teſtimonia, ac ut aliqui ſanabiles, noſtrâ commonefactione flectantur ad virtutem. Sæpè igitur repetimus hanc veriſſimā doctrinam, quæ adfirmat, totum ordinem Politicum, Sapientiam DEI, opus divinum, & teſtimonium præſentiæ DEI inter nos eſſe, & beneficia divina ſalutaria nobis, plurima complecti, & præcipuè propter DEUM authorem, venerandum, & reverenter tuendum eſſe. Deinde etiam eò amandus eſt Ordo Politicus, quia maximè convenit homini intelligere, & amare ſapientiam, & diſcernere eam à furoribus & mēdacijs. *Politicus Ordo eſt divinū opus.*

Sed magis moventur homines utilitatis conſideratione. Quæ res autem alia vitæ utilior eſt, quàm hæc Civilis Societas? Nam vita hominum ſine multorum officiorum communicatione, & ſine communi defenſione retineri nequaquàm poteſt. Sunt autem nervi ſocietatis Leges, Imperia, Judicia, pœnæ. Et cuſtos eſt hujus utilitatis etiam ipſe Deus. Nam tūc quoque, cùm Magiſtratuum autoritate compeſci homines violenti ac ſcelerati non poſſunt, Deus ipſe adeſt vindex, & punit ſcelera, ſimul ut oſtendat ſe eſſe juſtum, & ne diſſipetur, ac deleatur genus humanum, ſicut inquit Filius DEI: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Nec dubia eſt Regula: Atrocia delicta comitantur atroces pœnæ in hac vitâ. *Civilis Societatis utilitas.* *Matth cap. 26. verſic. 52.*

Cùm igitur manifeſtum ſit, Ordinem Politicum DEI opus eſſe, cumq́ue ſit in conſpectu utilitas, exſuſcitemus animos ad conſiderationem, & amorem tanti boni, & frenari cupiditates noſtras hâc normâ divinâ patiamur. Sæpè etiam cùm intuemur furores hominum turbantium hunc ordinem, ut in navi Paulus faciebat, nos quoque DEUM conditorem generis humani oremus, ne fluctibus opprimi has noſtras politias, noſtras familias, noſtra tuguriola, Templa & Scholas ſinat.

Te igitur Omnipotens DEUS, Aeterne & Unice Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, cōditor cœli & terræ, & hominum & omnium creaturarum, unà cum Filio tuo, Domino noſtro Ieſu Chriſto, & Spiritu Sancto, Sapiens, Verax, bone, Juſte, Vindex, Caſte, liberrime, oro, ut propter Filium tuum, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, crucifixum pro nobis, & reſuſcitatum, ſemper Eccleſiam æternam inter nos *Precatio.*

 colligas,

colligas, & gubernes, & propter eam ſerves & protegas hęc hoſpitia, & hos nidulos noſtros, & Leges, & diſciplinam.

Hæc vota quotidiè veris gemitibus repetenda ſunt, quæ quãquàm magnis fluctibus noſtra navis quaſſatur, tamen non erunt irrita. Nota eſt enim juramenti vox: Amen, Amen dico vobis: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

Iohan. 16. cap. Verſ. 24.

Hanc commonefactionem de reverentiâ debitâ ordini Politico, breviter nunc repetivi, quia ſæpè aliâs eâdem de re copiosè dicitur. Et tamen in his congreſſibus, in quibus præcipuè legum dignitas ornãda eſt, non prorſus omitti poteſt. Nunc exemplum addam Juſti & Salutaris Principis, & qui Leges, & Legum cuſtodes, viros doctos ſummâ reverentiâ coluit. Recitabo enim Hiſtoriam Principis Eberhardi, Ducis Württembergenſis, qui cùm excelleret Sapientiâ & Juſtitiâ, primus dignitate Ducum in eâ familiâ, quæ tamen vetuſtate, & rebus geſtis clariſſima erat, ornatus eſt. Nec miremini de Peregrino Principe dici. Nam & omnium virtus ubicunque ſunt, aut fuerunt, laude digna eſt, & turpitudo digna odio & vituperatione, & exempla ad omnes pertinent. Deinde nos in hâc Academiâ non prorsùs alienum eſſe ducamus. Cùm enim ſit οἰκιστὴς Academiæ Tubingenſis, undè quaſi Colonia deducta eſt hæc noſtra Academia, decet nos ipſius quoque gratam memoriam retinere.

Eberhardus Dux Würtembergẽſis.

Deindè & quandam habeo privatam hujus officij rationem. Fuit excellens virtus Comitis Stolbergenſis, qui Pater eorum fuit, qui nũc vivunt. Hunc Eberhardus ille natum ex ſorore ita educavit, & adſuefecit ad Juſtitiam, & ad alias virtutes, velut Chirõ, aut Phœnix Achillem, ut poſtea gubernatio eius patriæ ſalutaris fuerit. Et quia Comes Boto in hunc virum, tanquàm in exemplum intuebatur, multa ipſius dicta & facta recitabat, quare adhuc eius Principis memoriâ noſtri delectantur.

Stolbergenſis Comes.

Optârim autem nos copioſiorem eius hiſtoriam habere. Sed cùm hæc pauca exempla, quæ audivi, literis digna ſint, & vitæ utilia, ſatius eſt, mutilam hiſtoriam extare, quàm nomen tanti Principis in oblivionem venire. Nec dubito, vobis omnibus hanc veram commemorationem gratam fore. Etſi enim ſemper pauci boni ſunt: tamen propter gloriam DEI celebranda eſt virtus, & naturę non monſtroſæ, intuentes honeſta exempla, virtutem magis intelligere diſcunt, & amore eius accenduntur.

Ac priùs quàm de familiâ dicam, initiò fines deſcribam, quibus propemodùm nunc incluſa eſt univerſa ditio Würtebergenſis. Penè quadrangula eſt Regio, ac Latus Meridianum eſt à fontibus Danubij

Würtẽbergenſis ditionis fines.

ad Ulmam

ad Ulmam uſque. Latus Occidentale à fontibus Danubij Sylva Martiana eſt, ut Scriptores depravato nomine appellant, ad Oppidum uſque, cui nomen eſt porta Harciniæ, vulgò Pfortzen. Latus Septétrionale à porta Harciniæ, ad Neccarum, & vicina juga Sylvæ Franciciæ. Flumen Coccharus penè latus quartum ad Ortum conſtituit. Ferè ubique Regio gignit frumentum & vinum, & magna eſt oppidorum & pagorum frequentia. Naturæ hominum beneficæ ſunt, & in victu mediocris mundicies eſt, & ſi rectè regantur, non contumaces ſunt. Württeberga Arx.

Arx eſt non procul ab Eſslingâ, cui Württeberga nomen eſt, undè Comitum vetus adpellatio eſt. Oppida in extremis oris olim partim ad Francicum Ducatum, partim ad Suevicum pertinuerunt: media pars quæ eſt uberrima, fuit Comitum Württebergenſium, indè uſque ab Imperatoris Henrici V. tempore. Apud hunc enim fuit Ductor exercitus excellens conſilio & virtute, Comes Württebergenſis, qui tenuit oppidum Groningen Wernherus, à quo deinceps orti ſunt Comites, qui in hâc familiâ recenſentur. Vetus adpellatio huius Regionis apud Ptolomæum haud dubiè eſt Charitini, quod à nomine Germanico, quod hortos ſignificat, factum eſſe videtur, ac ſignificat, veteres etiam ubertatem & amœnitatem loci celebrâſſe. Wernherus Dux Württebergenſis. Gärtner.

Vſitatum autem fuit ante hunc Eberhardum, de quo dicam, cùm duo fuerũt fratres, ita dividere patriam, ut alter teneret Stutgardiam, & cœtera oppida Franciæ propiora, alter Urachium, & vicinam Tunam Tubingam. Hanc horridiorem partem tenuit Comes Ludovicus, qui conjugem habuit ſororem Palatini Friderici, cujus nomen celebre eſt, propterea quòd in uno prælio tres Principes non procul ab Heydelbergâ cepit. Württebergenſis Ducatus diviſus.

Ex his Parentibus Nobiliſſimis nati ſunt Eberhardus & Mechtildis, poſtea nupta Landgravio Haſſiæ, & Eliſabetha nupta Comiti Stolbergenſi. Sed de Eberhardo nunc dicam. Cùm Pater immaturâ morte extinctus eſſet, mater & præcipui viri ex Ordine Equeſtri gubernârunt & patriam & adoleſcentem. Sed excellens in matre fuit virtus, quæ filias ſummâ gravitate rexit. Adoleſcens filius pædagogum habuit virum honeſtum, Johannem Nauclerum, cujus adhuc extant monumenta, de quo poſtea plura dicam. Sed narrat ipſe, tutores prohibuiſſe Latinam Linguam doceri adoleſcentem, fortaſſis ne diu in ſtudijs literarum retineretur. Ac ſcribit Nauclerus, ſæpè Eberhardum, cùm poſtea conventus Imperij, & exteras nationes adiret, cum inſigni ſignificatione doloris improbaſſe hæc mandata tutorũ, ac dixiſſe, nemini magis opus eſſe cognitione doctrinę, & linguarum, quàm Principi. Et poſtea ſibi doctiſſimos homines adjunxit, à quibus Johannes Nauclerus. Linguarum cognitio Principibus neceſſaria.

& Eccleſiæ doctrinam integrè, quantum poſſet, diſceret, & fontes doctrinæ Juris, & Hiſtorias cognoſceret, ut deindè dicam.

Eberhardus Dux Hieroſolymã profectus.

Egreſſus ex adoleſcentiâ, in ipſis initijs gubernationis ſuæ profectus eſt Hieroſolymam, & quia ſtudio tenebatur videndi veſtigia filij DEI, impreſſa illi Religioni, in quibus Illuſtria teſtimonia cœleſtis doctrinæ edita ſunt, & quia Reſpublicas alibi, & peritorũ hominum ſenſus, & mores cognoſcere cupiebat. In eâ peregrinatione & multa didicit, & virtus eius in periculis, & laboribus perferendis crevit, & cùm in omnibus deliberationibus & actionibus jam diligentior & gravior factus eſſet, reversũ magis admirari, & diligere patria cœpit.

Bellum Ulrici Ducis Vuirttebergenſis, cum Friderico Palatino.

Inciderunt autem exordia gubernationis ipſius in tempora ſatis triſtia. Agnatus Comes Ulricus geſſit bellum infœlix cum Friderico Palatino, incitatus ab Alberto Marchione, à cujus belli ſocietate ut abſtineret Eberhardus, mater perfecit, in quâ erat excellens prudentia & virtus. Intereà & Carolus Burgundus Germaniam turbabat, & Mahometus captâ Conſtantinopoli, & vaſtatâ Græciâ bellum transferebat in Pannoniam, & aliquantò pòſt Maximilianus Gallicis artificijs captus eſt.

Principis præcipua officia.

In his publicis Imperij periculis non adjunxit ſe ullis factionibus. Sed hæc duo præcipua eſſe Principis officia dixit ipſe: Primùm adjungere ſe ad Imperatorem, & ad Imperij Senatum, & cum his velle tueri communem Patriæ ſalutem, ut in animantibus ſingula membra toti corpori opem ferre conantur. Deindè conſulere & ſaluti ſubditorum. Quare auxilia Imperatori Friderico, & deindè Maximiliano fideliter miſit: duxit & ipſe exercitum in Belgicum magno ſumptu ad Maximilianum liberandum: & cùm frugalis eſſet, hos ſumptus ſine magnis expilationibus ſuſtinuit.

Eberhardus Dux Vuirttebergenſis Doctorũ virorum Fautor.

Liberato Maximiliano, cùm jam mediocris in Germaniâ tranquillitas eſſet, & in eo, ætate & uſu rerum prudentia creviſſet, & poſt Agnati mortem, Comitatus utramque partem regere cœpiſſet, præcipuè hoc egit, ut ſibi viros ſapientes & eruditos adjungeret, quorum audiret Conſilia de maximis rebus. Viderat enim & Imperatoris Aulam, & Venetam gubernationem, & Aulas Ducum Saxoniæ, Ernesti & Alberti, ubi ad negocia docti homines adhibebantur. Quare & ipſe viris Nobilibus addidit Doctores, inter quos excelluerũt Petrus Arlunenſis, & Johannes Nauclerus, & poſt hos Capnio.

Tubingenſis Academia conſtituta.

Ac ut tota Regio ornaretur doctrinâ, & fieret cultior, & in Eccleſijs major lux eſſet doctrinæ de DEO, Academiam conſtituit Tubingæ, Anno Milleſimo, Quadringenteſimo, Septuageſimo ſeptimo, in quam accerſivit multos doctos viros in Doctrinâ Eccleſiæ, Jure & alijs

alijs artibus. Fuerunt ibi Juriſconſulti, Uranius, qui etiam ex Italiâ cõſulebatur, Gregorius Lampaiter, Imperatori Maximiliano admodùm familiaris. Theologi clari fuerunt, Gabriel Biel, Summenhart & Wendelinus, qui Duci Eberhardo familiariſſimus fuit. Erãt autem horum omnium mores caſti & ſancti. Et Wendelinus, cùm aſſiduus Lector eſſet Sacrorum librorum; & Auguſtini, agnoſcebat, multa errata eſſe in Scriptis Thomæ, & Scoti, & ſimilium, & ſatis liberè in Scholis doctrinam de gratiâ ſynceriorem tradebat. Hic Principem audiebat petentem abſolutionem: hic eum de beneficijs Filij DEI erudiebat, collectâ etiam Germanico ſcripto ſummâ doctrinæ.

Capnio Hiſtoriam continuam de Monarchijs contexuit, & Elementa Juris Civilis, quæ utcunque viam ei monſtrarent in judicãdo. Capnionis Hiſtoria.

Quanquàm autem Latinè ignorabat: tamen & Theologorum, & Juriſconſultorum Diſputationes adibat, & ſciſcitabatur ſuos, quâ de re Diſputatio inſtituta eſſet: & ſi quid dignum conſideratione propoſitum erat, jubebat ut Germanicè interpretarentur. Interdùm & ipſe ſuas cogitationes inter Doctores palàm proponebat, ut controverſia magis explicaretur.

Plerunque cùm Tubingæ fuit, dimiſit Comitatum in Arcem, [illegible] ſe divertit ad Naucleri domum exiguam, ſed vicinam Templo. Fuit enim hujus viri & eximia eruditio, & ſumma integritas, & ut Capnio de eo prædicabat, in judicando ſingularis rectitudo. Ibi cùm antè lucem ſurgerent, dictâ precatione, poſtea tribuebantur tres horæ deliberationibus, & aderant Scribæ, quibus mandata dabantur de formãdis reſponſionibus: deindè ibant in Templum. Pòſt Sacrum uſitatâ horâ prandebant ſimul in illâ ipsâ Naucleri domo, & vocabãtur duo aut tres alij, tùm Doctores, tùm viri Nobiles. Nec adparatus ſplendidior erat quàm ſolent ibi mediocrium Civium prandia eſſe. Sed colloquia tantis viris digna, erant plena Sapientiæ de Eccleſiâ, de doctrinâ divinâ, de gubernatione publicâ, de præſentibus periculis.

A prandio patebat aditus ad ipſum omnibus, qui eum alloqui volebant, aut ſupplices libellos adferebant. His placidè reſpõdebat, ac tempora eis conſtituebat petendi reſponſa. Cùm frumentum aut ligna pauperes petebant, mandabat fidelibus hominibus, ut ſtatim dari curarent, quantum jubebat. Etſi enim parſimoniam & amabat, & tuebatur: tamen erga pauperes beneficentiam exercebat. Poſtea tribuebat aliquantulum temporis quieti aut ſomno. Deindè ad veſpertinas preces accedebat, in quibus plerunque legebat Scripta de Doctrinâ Eccleſiæ. Deindè ante cœnam rurſus conveniebant ad deliberationes, aut recitabantur literæ priùs formatæ.

Digitized by Google

Cœnam volebat eſſe hilariorem, conditam dulcedine ſermonum, ne ſomnus impediretur, quem ſæpè ei moles curarum excutiebat. Talis erat Aula in illo tuguriolo ſenis Doctoris, quę modeſtiâ, ſobrietate, caſtitate, par erat Eremitarum Pauli & Antonij congreſſibus: utilitate antecellebat, quia horum deliberationibus regebatur tota ditio, & Juſtitia, Pax, Diſciplina conſervabantur.

Eberhardus Dux Würtembergẽſis Romã proficiſcitur.

Conſtitutâ formâ gubernationis in Patriâ, deindè Romam profectus eſt. Ubi cùm in Templo, proximè adſtans ipſi Cardinalis interfectus eſſet, poſtea non diu manſit. In itinere honorificè exceptus eſt Florentiæ à Laurentio Medices, ac valdè admiratus eſt eius viri Sapientiam, & in omni ſermone & actione gravitatem. Poſtea Mantuæ

Eberhardus uxorem duxit.

uxorem duxit filiam Marchionis Mantuani, natam matre Germanicâ, filiâ Marchionis Brandeburgenſis, ex quâ ei filia tantùm nata eſt. Et quanquàm poſtea non peperit, tamen ſemper cum eâ amanter vixit: & adfirmabat Doctor Wendelinus, fidem, & caſtitatem conjugalem nunquàm ab eo violatam eſſe.

In communibus Imperij negocijs, conferebat pecuniam, & mittebat milites officioſè, quoties opus erat. Sed domi bella non movebat, & quanquàm ſæpè injuriæ dolore valdè accendebatur, tamen populi ſalutem iræ anteferebat.

Eberhardus ſeverus in latrones.

Ac ut erat in privatâ vitâ, & in totâ gubernatione ſeverus cuſtos Juſtitiæ: ita adverſus latrocinia vigilans & acer fuit. Cumque propter Suevica bella, ante ipſius gubernationem, multi latrunculi paſſim graſſarentur, brevi ſuo labore, & ſuis periculis perfecit, ut nulla Regio minùs eſſet infeſta latrocinijs, quàm iſta.

Nam ipſe cum delectis Equitibus ſuſpecta loca adibat, & aliquoties magno cùm periculo deprehenſos cepit, & poſtea ſupplicijs affici curavit, nec metuit cognatorum Nobilium odia, nec ambitioſis interceſſionibus eripi eos pœnæ ſinebat.

Sæpè tempore Francofordiani mercatus, ipſe ſe inter Equites in viâ, & in oppidis oſtendebat Mercatoribus, ut eius vigilantiam cognoſcerent. Salutabat etiam, & jubebat ſibi indicari, ſi quâ injuriâ in viâ, vel in diverſorijs afficerentur. Hæc penè ſervilis aſſiduitas videretur nunc parùm Regia. Sed illi optimi viri, Juſtitia & virtute erant magni, non Perſico faſtu.

Eberhardus arcem propè Ulmam evertit.

Semel omninò bellum movit, ac juſto exercitu oppugnavit arcem non procul ab Ulmâ ſitam, quæ ab altis corvis nomen habet, quam & expugnatam diruit ne receptus eſſet latronum.

Hohentrác-

Diligebatur ergò & à ſuis, & ab Urbibus Imperij, & à vicinis Principibus, ac de benevolentiâ populi erga ipſum, recitabatur hæc ipſius narratio.

Digitized by Google

narratio. In Conventu Wormacienſi cùm Saxoniæ Duces vocaſſent ad cœnam Duces Bavariæ, Palatinos, & ipſum, & ſinguli ſuarum Regionum ornamenta prædicarent, alij venas metallicas, alij urbes, frumenta, vinum, ſedit tacitus Auditor Eberhardus. Ibi tandem Albertus Saxoniæ Dux, cur non jubemus etiam Ducem Württebergenſem de ſuâ patriâ loqui? Reſpondet hic modeſtè: ſcio, veſtras familias potentiâ, authoritate & opibus antecellere, nec vobiſcum certare poſſum, ſed contentus ſum meo, & ſcio, me DEO gratitudinem debere. At unum hoc prædicare me poſſe exiſtimo, ſecurus in medio æſtu in campo, & ſolus, in gremio cujuslibet meorum civium dormire poſſum. Quid ſignificaret, non obſcurum erat. Eberhardi prædicatio de ſuis ſubditis.

Augebat ei benevolentiam apud Principes, & Civitates, quòd in Conventibus ipſe multorum cauſas dicebat. Cùm enim & facundus eſſet & haberet apud ſe homines doctos, à quibus armatus, ſuæ partis jus exponere, & illuſtrare poterat, & ſcirent multi delectari eum hâc Oratoriâ laude, libenter ad eum cauſas deferebant. Has cùm recepiſſet, petebat à Doctoribus fontes Argumentorum, & ornamenta, exẽpla, Hiſtorias, aut alias narrationes convenientes ſuo negocio. Poſtea tantâ facultate expoſuit, ut cum admiratione audiretur. Cùm igitur eſſet Aulæ diſciplina plena honeſtorum exemplorum, multi Comites ad eum filios mittebant. Hos ipſe interdùm audiebat recitantes Catechiſmum, & precationes: & dictata non rectè reddentes, non ſolùm objurgatione ſuâ commonefaciebat officij, ſed etiam alijs exemplis caſtigari jubebat. Sæpè inculcans junioribus hanc ipſam ſententiam: Initium Sapientiæ eſt timor Domini. Eberhardus facundus. Eccleſiaſtic. cap. 1. verſ. 16.

Etſi non teneo integram ipſius Hiſtoriam: tamen multa addere poſſem ſapienter ab ipſo dicta & facta. Sed nunc de ultimo vitæ actu. Maximilianus initio ſuæ gubernationis multùm ipſius conſilio utebatur, cumque judicaret Imperio honorificum eſſe, talem virum in conſeſſu Principum dicere ſententiam, & Regionis amplitudo ſuſtinere Ducum ſumptus poſſet, auxit hanc familiam dignitate Ducum. Quâ de re cùm deliberatio eſſet, & intelligerent Sapientes, magnum onus imponi patriæ, vicit tamen & Maximiliani voluntas, & publicę utilitatis ratio, quia exiſtimabant æquum eſſe, ut talis Regio ferè in medio Germaniæ ſita, plùs oneris ſuſtineret in communibus Imperij negocijs.

Cùm ingreſſus eſſet annum alterum & quinquageſimum, veſicâ ſauciatâ à calculo aliquandiu ægrotavit, & morbi ſævitiâ tandem extinctus eſt. Sed digna eſt memoriâ narratio de eius agone. Triduò viſus eſt ipſe ſecum valdè luctari, tantumque certamen fuit, ut loqui Eberhardi Ducis Würtembergenſis mors.

non poſſet. Amici tamen interrogant, an ſumptione corporis Domini confirmari velit, nutu reſpondit, ſe velle. Cumque reverenter ſumpſiſſet, hîc tanquam eluctatus ex morte, erexit ſe in lecto, & clarâ voce Deo gratias egit, remiſſionem omnium peccatorum, & donationem ſalutis æternæ propter filium petivit, & ſe Deo commendavit, inquiens: Scio Domine Iesu Christe, fili Dei, te velle, ut tibi credamus. Cùm igitur hæc tua vox ſit: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, ego vos reficiam, te invoco, tibi me commendo, à te peto, & exſpecto ſalutem æternam. Et errata mea in gubernatione, & alios lapſus mihi remittito.

Matth. cap. 11. verſ. 28.

Poſtea triduo placidè cum amicis collocutus eſt, & de quibuſdam rebus mandata dedit. Adfuit morienti Wendelinus Theologiæ Doctor, vir Sanctus, quem audio hanc Hiſtoriam, tanquàm ſingulare exemplum, ſæpè recitare ſolitum eſſe. Videmus autem ſigna animi verè à Deo illuſtrati. quare judicandum eſt, hanc eius mortem verè fuiſſe iter ad cœleſtem Eccleſiam.

Tales cùm audimus Hiſtorias bonorum & ſalutarium Principum, multa cogitanda ſunt. Primùm cùm Imperia ſint Dei opus, aliqui etiam ſalutares Principes à Deo in hoc faſtigium collocantur, ne totum hoc opus Dei fruſtrà conditum ſit. Deindè agamus Deo gratias, quòd propter ſuam gloriam, & propter conſervationem generis humani non ſinit prorſus diſſipari honeſtam ſocietatem, & in tantis furoribus diabolorum lacerari omnes nervos honeſtæ ſocietatis: & quòd interdùm fideles & felices cuſtodes Legum Juſtitiæ, & Pacis aliquibus Regionibus tribuit: & ardentibus votis oremus, ut etiam hæc noſtra tuguriola protegat, & nobis det ſalutares Principes. Omninò enim vera vox eſt: Niſi Dominus cuſtodierit Civitatem, fruſtrà vigilat, qui cuſtodit eam. Dixi.

Precatio.

Pſalmi. 127. verſ. 2.

ORATIO

ORATIO TERTIA

DICTA à Dn. JOACHIMO CAMERARIO, cùm Illuſtriſſimi Principis, Eberhardi Ducis Württembergenſis, &c. oſſa è Schönbuchiano Cœnobio Tubingam allata, & in Choro Templi humata eſſent, Anno 1537. Cruſius, *Annal. part. 3. libr. 11. cap. 12.*

SI tanta eſſet facultas dicendi hoc tempore, & hâc de re noſtra, quanta eſt promptitudo atque cupiditas, bonam vel potiùs certam in ſpem veniremus, pulcherrimam vos atque eximiam quandam Orationem audituros eſſe.

Nunc voluntas quidem eſt maxima, ſed minimè huic par ingeniũ, ut nullâ re adjuvari, ſublevarique videamur, quàm quòd ſtudium noſtrum in conſcientiâ virium nullâ, tali tamen oblato argumẽto efferri exultareque paſſi ſimus, quod omnium curam & operam mereretur, cuique officium nullius ſine ſcelere deeſſe poſſet. Quare ſic me audietis, ut dicturum ſtudioſiſſimè in hâc mediocritate, vel potiùs parvitate ingenij, de re magnâ & excellenti, meamque debilitatem veſtrâ benevolentiâ, atque favore ſuſtentabitis atque fulcietis. Hoc quidem me inter has difficultates non parùm tamẽ conſolatur, quòd in hac causâ, quam ſuſcepimus, Oratio verbaque deſtituere neminem poſſe videantur. Dicendum enim eſt de ſingulari, & omnibus virtutibus ornatiſſimo Principe, bonarum artium atque literarum, legumque ac Reipublicæ Fundatore. Quem non ſolùm ſui Cives, ſed omnium gentium atque nationum homines venerantur atque colũt, memoriâ & prædicatione ſuâ, cui nuper apud nos monumentum, translatâ hûc externâ ſepulturâ, inſtaurari, & juſta funebria perſolvi vidimus. De hoc nunc ipſum tempus nobis dicendi planè neceſſitatem imponit, niſi humanitatis & gratitudinis opinionem negligere velimus. Quomodò enim hanc retinuerimus? ſi ei vocem literarum noſtrarum ſubtraxerimus, cujus divino ſtudio atque mente curatum eſt, ut in hac urbe illæ omninò his miſeris & calamitoſis temporibus loqui exaudirique poſſent. Quomodo ad huius nunc illę conſpectum

ſilebunt, cujus vultus ipſis quondam illuceſcens, eam claritatem addidit, ut tenebris ijs, quas ſubortas poſteà ſcimus, nunquàm obſcurari, neque obrui potuerint. Vidiſtis enim nuper oſſa afferri, vidiſtis monumentum extrui, cognoviſtis ſtudium Principis noſtri in celebrando patruo ſuo. Cujus conſilium atque factū multiplici laude dignum eſt, in quâ tamen nunc non conſumetur noſtra Oratio, ſed illa data nobis, publicè facienda præconia peraget, jam ſepulti Maximi Principis, in quibus eò majore alacritate verſabitur, quò minùs dolore animus, qui in novis luctibus valdè ſolet perturbari, veteri causâ impeditur.

Cur autem placuerit Principi noſtro, transferre huc Patruum suū, (liceat enim hoc modo de oſſibus, vel cinere tanti viri loqui,) etſi cuivis facilè in mentem venire certè ſcio, exponendum tamen noſtrâ quoque conjecturâ viſum eſt, ut ſaltem brevi mentione factum hoc à nobis honeſtari, neque prorsùs ſilentio prætiriri videretur, præſertim cùm hoc noſtram quoque & famam augere, & ſpem invitare appareat. Quòd enim maluit conſpici & frequentari monumentum illud ab hominibus, ijsque pleriſque, aut excellētibus & claris doctrinâ optimarum artium, aut illarum ſtudioſis, quàm à feris & volucribus, cui tandem non juſtiſſima translationis cauſa videatur? Quod verò eo in loco conſtituere & reponere voluit, in quo ille quondam omnium artium atque diſciplinarum ſedem atque domicilium condidiſſet: an non & cum ſummâ noſtrâ gloriâ geſtum eſſe credendum, & certiſſimam ſpem afferre debet, ſimilis noſtri Principis in his ſuſtinendis ornandis, amplificandis, animi atque propenſionis, quæ illius olim in fundandis fuiſſet? Eſt igitur hoc Conſilium hujus translationis ejuſmodi, ut & prudentiſſimè initum, & nobis eſſe gratiſſimum, jucundiſſimumque debere videatur. Mos autem transferendi ſepultos, neque ſine optimâ ratione, neque nuper uſurpari cœptus. Nam & ſapientiſſimum virum Neſtorem introducit Homerus, ſuadentem, ut cæſorum, corpora poſtquàm exuſta fuerint, oſſa recondātur, in urnâ, & revehantur in Græciam, atque ibi ritu patrio humentur. Neque aliud idem Poëta innuere voluit, cùm fecit Sarpedona Jovis filium in bello interfectum Patris voluntate rapi in patriam, miniſterio conſanguineorum Ducum lethi & ſoporis, quàm illius oſſa fuiſſe translata de externo ſolo in patriam. Ipſis autem etiam Oraculis quondam translationes ſepultorum ad ſalutem aliquorum demōſtratas fuiſſe, memoriæ proditum eſt. Ut hoc apud Herodotum de Oreſte:

Eſt locus Arcadiæ Tegeæ in campeſtribus arvis,

Hic duo ventorum magnâ vi flamina ſpirant,
Et reſoni incurſus,ſe damnaq; damna fatigant.
Hoc Agamemnonides tectus tellure quieſcit,
Quem nactus vinces Tegeæ Marte cohortes.

Et Imperatorum quoque corpora translata alia in loca legimus: nam invenitur ſcriptum, cùm ruinam minaretur ædicula, ubi Conſtantini oſſa jacerent, tranſpoſita ea fuiſſe à Pontifice, quamvis cùm alijs de cauſſis, tùm quòd ſeſe inſcio factum eſſet, ferente periniquè Conſtantio filio illius. Et ut ad noſtratia veniamus,traditum eſt,eum, cujus filius primus ab Ludovico Caroli Magni filio, callidè obtinuiſſe dicitur Bavaricam ditionem,cùm jaceret in locis deſertis, ſepultus annis non multò paucioribus trecentis fuiſſe ab uno de poſteritate ſuâ translatum cum magnâ ſollemnitate ad Nantuates. Quin etiam unum de Principibus Miſnenſibus,Cunradum nomine, cùm abſente ſe mortuam conjugem ſuam alibi,quàm vellet, humatam fuiſſe cognoviſſet, incredibili indignatione commotum tradunt, erga curatorem illius ſepulturæ nobiliſſimum virum,neque priùs potuiſſe placari, quàm corpus vitâ defunctæ uxoris ſuæ relatum, & in Templo eo,in quo extare hujus monumentum cupiebat,eſſet repoſitum. Neque in re ipsâ, ſi ritè & ordine adminiſtraretur,aliquid ineſſe ſceleris putandum. Non enim hoc facto ſepulchra violantur, ſed ornantur, non evertuntur, ſed inſtaurantur, neque verum eſt, nihil intereſſe, quo cujuſque loco conditum corpus ſit, ut quendam dixiſſe ferunt, ita ratiocinantem,undique ad inferos eſſe tãtundem viæ. Quid enim ad ſepulturam hoc attinet? At illa ſive Melitenſis Catella,ſive Moloſſus Epiroticus; Quid ait? Vos verò inhumatum me me proijcite, & baculum juxtà apponite, quî abigam feras & volucres: nugatus quidem non infacetè in propoſito vitæ inhumaniſſimæ. Nos verò quod de ſepulturâ ipsâ, idem de monumentorum conſervatione, cultu atque honoribus teneamus Nihil enim intereſt. Atque in hæc translationes ſæpè incidere poſſunt,cùm magnâ & gravi de cauſsâ ſepulchrũ vel non ferendum omninò magis mutato tempore, ibi, ubi primùm conſtitutum erat,vel alibi rectiùs futurum eſſe videatur.

Sed ab his,in quibus fortaſsè etiam fuimus longiores, quàm oportuit,ad id,quod propoſitum eſt, nunc accedamus, & commemoremus, quæ fando maximè memorabilia de hoc Principe accepimus, cujus jam funeris inſtaurationi ſollemnem diem, & quem poſteritati anniverſariâ feſtivitate ſemper repetendum tradere nos par fuerit,celebramus,atque honoratum exequimur.

Hoc loco libet nonnihil de Jure ſepulchrorum dicere, quod non

 introdu-

Digitized by Google

introductum ullarum gentium excogitatione, ſed à naturâ ſcitum eſſet. Sunt enim quidam, nimiùm in hâc etiam, ut audio, parte Stoici, vel potiùs Cynici, qui inhumaniſſimi homines impiè Religionem & ritum ſepulturæ contemnant & violent. Quos & ipſos qui audiant, & probent reperiuntur, neque mirum, cùm in vulgus omnia novâ abſurditate inprimis commendari ſoleant. Nos autem à naturæ ſenſu non diſcedamus, qui quidem declaratur etiam hâc in parte omnium populorum conſpiratione, neque illorum ſanè, qui vivis exceſsêre, ſed ſuperſtitum & poſteritatis id eſt, noſtrâ cauſsâ hoc jus ſanctè tueamur. Quamvis enim ſepeliendi mortuos diverſis temporibus, & apud diverſas gentes, non fuerit eadem conſuetudo ſervata: ſepulturæ tamen & ſemper, & apud omnes Religioſæ habitæ, & ad Jus Pontificium, id eſt, Religionem pertinere creditæ ſunt. Non loquor de rogo, urnâ, porco, piaculo, circũportatione, acerrâ, uncturâ, lectulis, ludis, epulis, lavatione, conditurâ, nænijs, loco publico aut privato ſepulchri, quorum eſt & temporibus, & locis varietas: de ſepulturâ loquor, cujus approbatio eſt omnium ſeculorum atque populorum. Itaque & Sapientiſſimi veteres opinione etiam inferorum & manium hanc confirmârunt, cùm illam trajectionem Acherontis, & errorem in ripâ nondum ſepultarum animarum propoſuêre. Ex hoc illud eſt Maronis:

Eripe me his invicte malis, aut tu mihi terram
Inijce. namque potes. Et hoc.
Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta,
Tranſportare priuſquàm ſedibus oſſa quierunt.

Et Sapientiſſimus vir apud Homerum, hoc maximè nomine futurum in mari interitum (ut metuebat) deplorat, malletque occidere ad Trojam, ubi & funus duxiſſent, & honores mortuo habuiſſent Achivi. Neſcio profectò, an etiam ipſorum causâ, qui mortui eſſent, hæc teneri vetuſtas voluerit. hoc certè manifeſtum eſt, totam hanc rationem & curam ad vivos pertinere, quam nemo poteſt evertere, aut labefactare, niſi unà naturæ ipſius Leges, hoc eſt, Jus Divinum convellat, & immanitatem quandam in vitam hominum inducat. Contra quos (longè enim ſi qui ſunt, certè abſunt) non eſt cur incitare velimus Orationem noſtram: & audiviſtis hâc ipsâ quoque de re nuper luculentam Diſputationem, ſed alterius cujuſdam modi. Qui ut illius melior multò, ita noſtrę fuit paulò, ut in hâc linguâ eruditior. Quare neque fruſtrà pugnandum in causâ, quæ vobis omnibus probatiſſima ſit, neque de re explicatâ plus verborum eſt faciendum. Atque hæc monuiſſe ſatis fuerit, non vos doctiſſimos viros, qui adeſtis, à

quibus

quibus ego moneri debeo,& diſcere, ſed adoleſcentes adhuc, neque doctrinâ, neque uſu rerum ſatis inſtructos, ut & in hâc parte, & omnibus in rebus conſervent & cuſtodiant ſententiam & judicium naturæ incorruptum atque ſyncerum, ad vitæ decus atque ordinem, contra enaſcentem paſſim his temporibus veſanum & impium furorem, qui in mores, diſciplinam, inſtituta, ſtudia, Religionem, ſeſe inſert, & atrociſſimè graſſatur, perturbatione & confuſione, atque etiã convulſione quorumcunque licet atque conceditur. Adverſus cujus vim jam nunc munite animos veſtros, & inſtruite intelligẽtiam corroboratione ſenſus, & judicij naturalis, cui repugnare, ipſum eſt cœlum, & Omnipotens Numen cœli oppugnare.

Sed & hæc audiviſtis, & audietis ſæpiùs. Redeo igitur ad datum mihi præconium, de eo Principe, cujus ſepultura & monumentum nuper ad nos traductum eſt, de loco deſertiore in hujus urbis celebritatem atque lucem, deque Eberhardi (ut tandem memorare incipiam divinum & immortale nomen ipſius) plerisque veſtrum nequaquàm ignotis virtutibus magnitudine, præſtantiâ.

Conſtat hunc ortum majoribus Principibus Württembergenſibus, qui Comites dicerentur, non quidem perantiquâ, ſed vetuſtiore tamen appellatione, quàm Imperij Romani aliarum dignitatum, neque ſignificare hoc loco verbum videtur, id quod Romanis olim, ut iſtud,

—— Cui fidus Achates
It Comes, & paribus curis veſtigia figit.

Sed curationem & commiſſionem innuere, ut propemodùm tamen & in hoc,

Tùm Comitem Aſcanio Pater addidit.

Cui etiam Teutonicum verbum reſpondet. Patrem habuit Ludovicum, qui hunc ſuſcepit ex Palatinâ Conjuge, ut in eo clariſſimarum gentium nomen, fama, ſplendor confluat. Pater quidem non ſolùm in vitâ ad honeſtatem atque virtutem educari curavit filium ſuum, ſed moriens etiam accerſitum illum adhuc planè puerum ad laudem & decus copioſè traditur cohortatus, ut facilè intelligi poſſet, amantiſſimum patriæ Principem non ſolùm in hoc laboraſſe, ut territorium liberum & expeditum filio traderet, ſed etiam hunc ut ſe dignum & civibus ſalutarem relinqueret: inter has curas pulcherrimas & planè divinas, cum optimâ ſpe poſteritatis mortem oppetijſſe fertur, quæ non modò non fefellit illum, ſed eventus proſperitate ſuperata etiam eſt. Nam in adminiſtratione relictarum rerum à patre, Eberhardus eum ſe confirmatâ ætate præſtitit, ut patris ſummum ſtudium, & im- *Eberhardi Parens.*

Digitized by Google

Qui jubet acceptum poſt ſeſe Agamemnona ferre,
Et pelagus premere Imperio, & dominarier Argis.

De quibus eſt nobis naturæ judicium, atque ſenſus corroborandus, ne non dico, furorem & veſaniam illam probemus contemptionis nobilitatis, ſed in Principibus maximè, & ijs, quorum ditioni alij ſubjecti ſunt, tanquàm divinitatem quandam veneremur, neque qui ipſi imagines habent majorum ſuorum, illis ad ſtolidam quandam ſuperbiam & dementem faſtum efferri, ſed & agnoſcere magnâ cum gratitudine divinum nobilitatis beneficium, & ſummâ curâ, omniq; ratione exercere honeſtatem, & virtuti ſtudere debent, ut & ipſi ulteriùs genus ſuum proferant, & majorum laudi ſi nihil addere poſſint, ne quid ſaltem detraxiſſe videantur. Non enim putandum, ad flagitia & ſcelera, ad labes & damna Rerumpublicarum quaſi propelli generum pernicies atque peſtes, cùm decori & dignitati, atque etiam ſaluti vitæ humanæ hoc quaſi adjumentum atque ſtabilimentum divinitùs adjunctum ſit: itaque quos in illa ferri rapique cernemus, eos ſui generis antiquitatem atque famam non ſolùm inquinare putandum, verùm etiam hoc agere atque conari, ut convellere, vel potiùs funditùs evellere & extirpare poſſint. In quibus & ipſis conatibus nimis ſecundâ permultos fortunâ uſos eſſe cernimus, & ut res ire cœperũt, plures uſuros eſſe etiam verendum. Nunc verò redeo ad Principem Eberhardum, qui, ut dixi, à Patre diligenter & magnâ cum curâ ad pietatem & honeſtatem educatus, & quem pater moriens cohortatione ſuâ ad virtutem invitatum reliquiſſet heredem potentiæ & gloriæ ſuæ, etſi admodùm puer, mirificè tamen patris ſermone inflammatus ad virtutis cultum fuiſſe fertur. Sed mater in aliam paulò pòſt familiam enupſit, & Princeps puer in tutorum poteſtate fuit. Qui quantoperè bellicâ gloriâ excelluiſſent majores pueri, cùm ſcirent, quæ autem utilitas eſſet doctrinæ, ipſi indocti ignorarent, cujus gentis opera hæc maximè cognita & perſpecta eſt, illius Linguam tradi puero noluerunt, cumque Magiſtros accerſiſſent, qui illum erudirẽt præceptis ſuis, Latini ſermonis ſcientiâ inſtrui vetuerunt. Non quidem hoc improbitate, ſed imperitiâ accidit, hominum fortiſſimorum quidem illorum, ſed qui ut Lacedæmonij quondam aut Cretenſes, nihil vel nôſſent, vel ſpectarent, quàm bellicam laudem. Ipſe quidem Princeps nihil in vitâ tulit moleſtius, neque indignius: & ſæpiſſimè auditus eſt, hanc infelicitatem ſuam graviter deplorare. Cùm proponerentur puero diſcenda, quæ vulgò ſolent, per ille celeriter omnia comprehendit, quòd eſſet naturâ acri, & ingenio facili, memoriâ autem admirabili, quæ & in ætate provecto incredibili vi perduravit,

Digitized by Google

tùm citò à Magiſtris eſt abductus. Cùm autem animus vigens atque vegetus quieſcere eum non ſineret, neque oſtenderentur aut proponerentur illi bonarum artium, rerumque occupationes & ſtudia, delapſa ętas lubrica & imbecillis dicitur ad nonnullas vitioſas actiones, in ſodalitate æqualium ablata ad vitæ licentiam, cùm citiùs fortaſſe, quàm decuit ſummam rerum ipſe adminiſtrandam ſuſcepiſſet. Aiunt illo tempore & luxui & aleæ aliquantulùm indulſiſſe, potiſſimùm autem ſervijſſe ijs luſibus, quibus adoleſcentes maximè capiuntur, ut equitare, currere, ſaltare, luctari, pugnare, venari vellet. Inter hæc requiri Patris illius erga Cives cura atque dilectio cœpta, quo ſanè nomine audijt adoleſcens deteriùs. Sed nemo inventus eſt, qui in hac libertate vitæ, cùm & ætas & potentia improbitatis adjutrix eſſe potuiſſet, neque careret fortaſsè ipſe parùm rectè monſtrantibus. Denique cùm pax & otium ad omnia adoleſcenti abblandirentur, nemo tamen repertus, qui comperiſſet ignominiæ aliquâ eum labe aſperſum fuiſſe. Ubi non poſſum non vehementer dolere & perturbari animo tàm repentinâ mutatione in ſummam turpitudinem ſeculi noſtri. Non enim certè anni adhuc ſeptuaginta præteriêre ab eo, de quo loquor tempore. Tùm verò me hoc maximâ triſtitiâ complet, cùm cogito, in optimarum artium copiâ, quâ certè prior ętas caruit, hanc vim improbitatis & vitiorum enatam eſſe. Videte enim per DEUM immortalem, quæ ſit iſta tanta diſſimilitudo, quantum inter nos eruditi & exculti doctrinâ ſeculi, & illos rudes atque Martios homines interſit! Quòd adoleſcens Princeps non abſtinuiſſet alea: quòd convivatus eſſet lautiùs: quòd cùm æqualibus hilariùs viveret, quòd voluptatis illecebris interdùm caperetur, reprehenſio ac penè infamia non abfuit. Quis non hæc iſto tempore ridet, ac veteres deliràſſe judicat? Non fit hoc verbis, quanquàm haud ſcio ut eſt audacia, an fiat, ſed fit reipſa. Quid? quod etiam laudatiſſimi quondam & planè virtutis luſus, campi, inquam, & venationum, in quibus verſaretur immoderatius, & cum exultatione quadam juvenili, probro illi dati ſunt, in quę ô utinam noſtra ſe adoleſcentia totam immittat atque immergat! Sed ſunt ſapientes, nolunt defatigari, & ſibi parcunt. At quomodo? profectò ſic, ut abſtinendo laboribus animum ipſi atque corpus debilitēt atque conficiant. Quò enim prolapſi mores ſint, & conſuetudo vivēdi quò evaſerit, in quæ turpitudinis flagitia inhæſerit, manifeſtum eſt. Nullus enim reliquus eſt pudor, nullus metus, nulla verecundia, nulla denique ratio, aut reſpectus honeſti. Quod ipſum miſerrimum & exitioſiſſimum putādum. Nam non ſolùm ab hoc fonte interdum facinora mala oriuntur, ſed non deficientium, neque unquàm ceſſantium.

tium ille eſt vitiorum fons & origo, animorum videlicèt error & pravitas, qua fit, ut in ſummâ turpitudine & deformitate opinio tamen pulchritudinis retineatur. Quis enim omnium ex adoleſcentiâ horum temporum, atque etiam pueritiâ non egregium atque pulchrum ducit eſſe arrogantem, ſuperbum, audacem? Cui non egregia res videtur licentia vitæ & ferocia? Quis non luxum libidinemque in optatis habet? Ubi ulla cogitatio recti atque decoris? Profectò non eſt iſta tantùm voluntatis & propoſiti, ſed naturæ ipſius corruptio, ut non ſolùm animi iſtorum vitijs, ſed corpora etiam inſaniæ morbo laborare videantur. Cùm autem hoc dolendum, tùm verò ſingulariter deplorandum, in ijs potiſſimùm hanc pravitatem efferre ſeſe ac oſtẽdere, qui ad eam deponendam & exuendam ſeſe contulerint, in tractatione, uſu, exercitio optimarum diſciplinarum & artium, qui cùm longiùs à ſanitate, id eſt, conſtantiâ & gravitate abſint, quàm inaniſſimum & leviſſimum vulgus, an non palàm eſt, ea hos ſtudia quæ remedium afferrent dementiæ ipſorum, non attingere, neque amplecti, degereque vitam non in literarum atque artium, ſed deſidiæ & ſocordię cultu? Itaque in non optimis plerorumque animis celerrimè vanitas & vecordia aucta atque alta indulgendo ingentia facit incrementa, & maximos progreſſus improbitatis. Tùm cœci opinionum ſtultitiâ in ſummâ ſecuritate vivunt, ſeque eſſe beatos exiſtimant, formoſos, elegantes etiam, ſi dijs placet, doctrinæ aliqui falſiſſimâ illâ quidem perſuaſione induuntur. Hæcque eſt ipſa concluſio miſeriæ & infœlicitatis ipſorum. Nam omnium eſt in errore & deceptione atq; lapſibus ſecuritas deterrimum malum. De quo ſtultitia ad otium & quandam quietem tàm agendi, quàm cogitandi devolvitur, atque ita in ſe ipſa conſumitur ac tabeſcit. Ut enim Plato vir ſapientiſſimus improbat murorum ſepta, quòd & ignaviæ profugium efficiant, & latebras ſuppeditent ignaviæ atque pigritiæ: ita nihil in vitâ magis contrarium virtuti arbitrandum, quàm ſecuritas, quaſi cingens & muniens otia, quietemque imperitorum. Neque ullâ unquàm verâ tranquillitate, atque quiete animi poterunt componi, niſi perenni agitatione virtutis, quemadmodùm pueros motu conſopire matres ſolent. De hac autem pravitate, futilitateque ac cœco errore magis magisque increbeſcit morum perverſitas, ut omnibus præceptis honeſti ſpretis contemptisque, diſciplinæ non ſolùm ſeveritate, ſed omni uſu amiſſo atque extincto, in ſummâ arrogantiâ, libertate immoderatâ, ſive potiùs infinitâ licentiâ, omnes res, actionesque publicæ, privatæque confuſæ, veluti quodam torrente veſaniæ ferantur atque rapiantur. Itaque ut quondam dictum fuit, quicunque Athenienſes

boni eſſent, eos oppidò eſſe tales, quia nullâ diſciplinæ ſanctitate à vitijs abſtraherentur, ſed ſuâ ſponte planeque divinâ impulſione amplecterentur virtutem. Idem de noſtri temporis adoleſcentiâ, adeoq; omnium ætatum & generum hominibus veriſſimè dicere licet, bonos, pios, temperantes, quicunque ſint, mirificè eſſe tales, ſublatâ nimirùm omni diſciplinâ, omniqúe jure divino, atque humano labefactato & diſſipato. Quos igitur accuſo? Temporáne, an homines? Ita nimirùm ſe res habet, temporis probra ſunt hominum flagitia atque ſcelera horum autem impunitas, tolerantia: etiam, dictu audituque indignum, approbatio temporis eſt, ita homines tempus infamare, ipſum horum miſeriam complere palàm fit. Nunc igitur qui vitæ cultus victusque, qui ornatus, habitusque corporis, quæ ſtudia & occupationes teneantur atque vigeant, ſi placet, conſideremus. Aſpicite enim jam animis veſtris eos, quos oculis ſæpè vidiſtis, qui aliquâ de causâ præferri ſe cœteris oportere cenſent, & recordamini, quæ ſit & quàm immanis epularum & poculorum ingluvies: quàm omnem liberalitatis & excellentiæ opinionem in hac profuſionum oſtentatione collocent. Quid ego dicam de ebrietatis fœdiſſimis fœditatibus, quâ propè ſolâ virtute gloriantur? Neque enim fortis jam habetur, qui hoſtem in acie percuſſerit, ſed qui in convivio propinationibus alios obruerit & proſtraverit. Quid ego illa prælia horum fortium virorum exponam, cùm inter ſe ut Centauri quondam pinguntur & Lapithæ digladiantur, cumque in omnia ruunt, labuntur, rapiuntur? Sed in cyathos, matulas, urceolos, feneſtras, & quicquid fragile eſt, in ea potiſſimùm furor evadit. Hæc contundunt, frangũt, comminuũt, dentibus etiam ſæpè veſani corripiunt. Quid ſimile, obſecro, in circeis poculis fuit his venenis? Apud quam ebrij, ut videtur in beſtias illi Ithaceſij degeneraverant, exutâ ſcilicèt humanitate, ſed mente tamen conſtabant, inquit Poëta, & agnoſcebant ſuos, ut mediocriter veſani fuiſſe videantur: at noſtri beſtiæ tantùm ſunt, neque alios modò, verùm etiam ſeipſos ignorant. Quid quod etiam cùm illa vis vini remiſerit, ebrij tamen adhuc & titubãt, & incerta loquuntur, & tanquàm dormientes vigilant. Itaque nihil eſt in moribus, totaque vitâ, domi foriſque, in ſtatu, inceſſu, allocutionibus, congreſſibus, quod fiat conſtanter, atque ordine, omniaque ſunt petulantiâ, protervitate, ſive magis vecordiâ & dementiâ plena. Atque hi, ſi Dijs placet, in illis majoribus & altioribus diſciplinis occupari ſtudereque dicũtur, & mox de his rudimentis ad Reſpublicas capeſſendas proficiſcuntur. O miſeriam atque calamitatem ſeculi noſtri! Quid nũc ſpei, obſecro, bonæ relinquitur? cùm non ſolùm vulgus perditum ſtoliditate & temera-

rium,

Digitized by Google

tium, ſed moderatores hujus tales habeamus, quales deſcripſi, vel his etiam deteriores: nam hac unâ ratione videtur noſtra Oratio mendacij convinci poſſe, quòd ea, quæ commemoravi, non ad hũc, ſed multò flagitioſiorem, & magis nefarium modum fiant & gerantur. Quæ tamen ſunt profectò ejuſmodi, ut mitiorum gemitu ac lachrymis, ſeveriorum irâ & indignatione maximâ digna eſſe videantur. Cùm igitur cogitate hæc mihi, & abſentia animis veſtris intuemini, tùm verò contemplamini etiam in præſentibus, & animadvertite veſtitus ridiculam & pannoſam cùm mutationem ſubitam, tùm peregrinam varietatem. Videre interdum mihi videor, veſtitos ſimiolos, aut aves pictas Indicas, in quibus & ipſis neſcio quid eſt humanæ ſimilitudinis, ſed qui ſunt, vel ſe videri volunt, aut generis, aut divitiarum quaſi gradu altiores, illi verò præcipuè inepti ſunt, in quadam ferociâ cũ mollitudine tamen commiſta, ut muliebris potiùs, quàm virilis hæc habenda ſit. Et mihi ſæpè illa ſubeat intuenti

Penthesilea furens,
Aurea ſubnectens exertæ cingula mammæ.

Quàm enim comptuli & venuſtuli in dilaceratione & religatione, atque diſſuturâ veſtium incedunt? cum bullis etiam argenteolis jam non ut virgines, ſed planè ut pueri ſuſpenſis de collo crepundijs. In caput autem ſerico de filo, aut bombycinio pileolus imponitur, qui non jam magis ut mitra alligatur, ſed potiùs tanquàm orbiculus impendet & adhæret. At ijdem horriduli etiam volunt videri, lacinias veſtium in ſcabulas infligunt, & enſes grandes ſuſpendunt, ſic ut ſi relinquantur, humum verrant, quare ſuſtinendi manu & dirigendi ſunt, ita illi ponè ſequentes vibrantur, ipſi ambulant coruſcè & minaciter, ſed ſic ut dubitari optimo jure, quærique in multis poſſit, ad ipſos ne gladij, an ad gladios ipſi annexi atque devincti dicendi ſint? Hæc vident alij ſtulti pueri, & imitari ſtudent: bella enim eſſe putant, ut non ſolùm facto iſti ſibi, ſed exemplo quoque alijs noceant. Sed hæc ſcilicèt fruſtrà à nobis deplorantur, quin etiam non deeſſe certũ eſt, qui iſta omnia defendere auſint. Quid enim alterius, inquiunt, refert, qui meus veſtitus, qui inceſſus, qui cibus ac potus? an definienda iſta præſcriptione aliquâ fuêre? priſcum hoc eſt jam & abjectum, neque cum ſeculi noſtri libertate conſentaneum. Egregios verò defenſores vanitatis. Quid enim? nobis ne curandum inquiunt, quid majores noſtri fecerint, aut approbârint? Hinc iſtæ ſunt ruinæ profectò Rerumpublicarum, quòd ſtultiſſima & amens juventus vetuſtatem aut ignorat, aut deſpicit atque irridet. Quid enim eſt in communibus moribus, & quotidianâ vitâ, quod audacia juniorum ſi convellat, non

Digitized by Google

locum det multò deterioribus, & vitioſioribus, quàm ipſum fuiſſet? Quanquàm profectò non propter rerum bonitatem, aut vitia majorum inſtituta diligenter retinenda, ſed multò magis ordinis & quietis causâ conſervanda ſunt. Placuit majoribus noſtris, ut nuptæ non niſi velato capite, poſtquàm ad viros deductæ, matres familiarum eſſe cœpiſſent, in publicum prodirent, virgines autem eum morem retinuêre, ut aperto capite, & crinalibus redimitæ conſpicerentur, placuit eiſdem, ut in forum & cœtus civium toto corpore contecto, veſte longiore boni viri procederent, & pileos geſtarent impoſitos capiti, intrà ædes quoque coràm alienis, maximè fœminis præſentibus, ſine tunicâ eſſe, nunc quoque apud honeſtiores probro ducitur. Poſſum permulta hujuſmodi commemorare, neque quiſquam veſtrûm eſt, cui non plura his in mentem venire credam. Dicamus, ſi placet, omnia ſtultè, & temerè inſtituta, obſervataque eſſe. Quid enim refert, quo quiſque modo, colore, futura veſtiat? Non hoc quidem ipſum fortaſſe ſingularem incommoditatem habet, ſed illa pernicies ac peſtis eſt confuſionis, & diſiectionis boni moris, diſciplinæque omnis ſubverſio, atque perturbatio ordinis. Tùm fontes horum venenis illis tincti ſunt vanitatis, audaciæ, procacitatis: denique etiam amentiæ atque furoris. Quæ enim conſtantia eſſe poteſt animi eius, qui tàm levi momento ad aliena, & ea futilia, atque abſurda iſta impellatur? Quę moderatio & verecundia in deformitate & uſurpatione eorum, quæ ab omni ratione honeſtatis abhorrent? An ſapere illum, vel non deſipere potiùs arbitrabimur, quem omnia ad ridiculum & ſtolidum quendam modum comparare videamus? Aperiamus feneſtras libidini, pandamus fores licentię. Solutas ferri ſinamus cupiditates, nullius factum, nullius dictum animadvertatur, quod à manifeſto ſcelere & maleficio abſit, ei pœnam nullam ſtatuamus infligendam, brevi omnia, ut nunc fit, flagitijs, peccatis, ſcelere compleverimus. Etſi autem me clam non eſt, fruſtrà hæc à nobis diſputari, & materiam tantùm ſuppeditari quibuſdam riſus ac joci tempeſtivis atque etiam intempeſtivis in convivijs ſuis, dicere tamen volui in teſtimonium judicij noſtri, & omnium bonorum de ſtultitiâ, vel magis inſaniâ, atque calamitate hujus ſeculi, quæ ipſa de ſe ſibi maxima quondam, atque miſerabiliſſima ſupplicia datura eſt. Tùm quidem fracti malis fruſtrà recordabimini fideliſſimarum ſubjectionum eorum, qui in viam virtutis revocare vos ſtuduerint, tum gemetis atque flebitis, cùm reminiſcemini, quam felicitatem præterlabi veſtrâ neglectione paſſi ſitis: tùm vidiſſe nos multùm dicetis. Sed ita uſuvenit in monitionibus ferè, atque caſtigationibus, ut illę tùm demùm moveant eorũ, quibus

adhibentur,

Digitized by Google

adhibentur, animos, cùm utilitatem jam res illa habeat nullam, ut in Tragœdiâ quapiam querens de ſuarum prædictionum infortunio, Caſſandra introducitur hoc modo:

Fructum Deus vaticinio invidit meo,
Nam quotquot in fatalibus jam ſunt malis
Miſeri, dolore ſapere me in ſero autumant.
Sed antequàm miſeria, cladesq; ingruit,
Inſana videor atque furioſa omnibus.

Permittamus igitur eventum Deo. Quid enim facere poſſumus aliud, & ab omni humanâ ſpe deſtituti, illius opem imploremus, ſi fortè naufragia Rerumpublicarum exoratus colligere atque conſervare bonitate ſuâ velit. Nos autem Orationem noſtram eò, undè diſceſſit, reducamus.

Eberhardus igitur Princeps cùm adoleſcentiæ quaſi ludos videretur ludere licentiùs, ſubitò divinâ quadam mente convertit ſtudium & voluntatem ſuam ad conſtantiam atque decus virtutis, quaſique puderet eum præſentium, quos teſtes habere ſe ſciret, nonnullius levitatis ſuæ delectis ſocijs, quibus maximè & ſalutem, & dignitatem atque famam ſuam charam eſſe crederet, nauem conſcendit, & trans mare vectus eſt ad ea loca Judeæ, in quibus Ieſum Chriſtum liberatorem de mortis nexu humani generis, verſatum viventem conſtat, & ſepulchri illius nunc etiam monumenta viſuntur. Quò ut proficiſceretur, Religione equidem motum optimi Principis animum nequaquàm negârim, ſed & pœnitentia, pudorque, ut dixi, anteactæ vitæ pauliſper ut è patria diſcederet, repuliſſe, & aſpiciendarum urbium externarum, atque conſuetudinum cognoſcendarum, denique comparandi ſcientiam, & peritiam variam, plurimarum rerum cupiditas ad hoc eum iter impuliſſe mihi videtur. Reverſus de peregrinatione ſuâ non ita diu pòſt uxorem duxit Barbaram Mantuani Principis filiam. Tum verò totâ vitæ ratione converſâ, ſoli virtuti atque decori omnem mentem atque cogitationem intendit. Tùm adoleſcentiæ quaſi diſſolutionem conſtantiâ, ferociam manſuetudine, licentiam gravitate, luxum temperantiâ, nequitiam frugalitate, incuriam diligentiâ compenſare. Omnibus alijs ſalutem, commodaque civium anteponere. Cumque meminiſſet, ſuccedere ſe in Württembergenſis ditionis adminiſtratione, Principibus omni laude celeberrimis, quiq; non modò belli famâ, ſed humanitate quoque & benignitate inclaruiſſent, externorum etiam favorem, civium autem charitatem ſummam conſecuti, ſtatuit ſibi non ſolùm Patris, patruique, & majorum ſuorum memoriam colendam, ſed etiam illorum quandã imaginem

Peregrinationes Eberhardi Ducis Württẽbergenſis.

Eberhardus uxorem duxit.

O imita-

Digitized by Google

imitatione ſuâ repræſentandam eſſe, ut quæ ab illis accepiſſet, ea ſi poſſet, aucta cumulataque poſteris ſuis traderet, cumque teneret majorum ſuorum virtute defenſam pacatamque ditionis, non ſolùm ſuā partem ipſe, ſed etiam alij quiſque ſuam (nam & patruum habuit Ulrichium, cui incredibilis omnium amor cognomentum amati dedit. Et hujus filios fratres patrueles, quorum Henricus Illuſtriſſimū Principem noſtrum Ulrichium procreavit. Nam ſuum ipſe fratrem majorem ſe, puer amiſerat, & ditio tota Würtembergenſis in Regiones aliquandò tres diſtributa fuerat.) Cumque metus belli omnis remotus, curam ſtudiaque armorum ſecum abſtuliſſet, cõvertit cogitationes, mentemque ſuam totam ad pacis artes, & ferociores cives ſuos, cùm naturâ, tùm diuturnâ bellorum uſurpatione, ſalutaribus inſtitutis, & optimis diſciplinis mollire ſtuduit, ut & Religione manſuetos redderet, & Legibus inſtrueret. Neque diligentiorem curam utriuſq; rei ferè noſtrâ in gente uſpiam habitam comperias. Ipſe quidem, quādo ardore recti, honeſti, juſtitiæ, totius virtutis ſectam ſecutus fuerit, vel de cognomento manifeſtum fit. Nam ut de facie oris barbatum, ita de animo ornato pulcherrimis dotibus pietatis, fidei, veritatis, cõſtantiæ, probus appellatus eſt. Cùm autem Religionem eam amplificârit, quam quidem cultam à majoribus ille ſciret, ſed nunc vitioſa fuiſſe cognoſcatur, de ipsâ quidem re dici non oportet. Voluptas autem & judicium ſingularis Principis nobis & conſiderandum, & inprimis admirandum eſt: nam ſi quis Religionem à rebus humanis removeat, quid omnium illarum conſiſtere, permanereque poſſe ſperandum. Declarant innumerabilia exempla, quid calamitatis inflixerit Rebuſpublicis Religionis contentio & labefactatio: ipſa autem rerum natura cùm Deum eſſe propemodùm clamet, cumq; omnium mortalium aſſenſio hoc teſtetur atque comprobet: quid facit aliud, qui Religionem evertit, quàm quòd aut impietate nefariâ Deum eſſe negat, aut ſcelerato furore illius ſeſe hoſtem profitetur? Neque mihi quiſquam objiciat nunc falſas Religiones, neque quærat, has ne etiā conſervandas, tuendasque cenſem? De re enim non diſputo, de volūtate hominum loquor. Sicut enim Leges & Jura præclarè parricidæ, quoque parricidij pœnam ſanxêre: Quid enim refert? quid hominis fuerit, qui interemptus ſit, cùm cædem per vim & injuriam factam conſtet, ita Religionis pravitate profanatorum contemptus, & ſcelere obſtricta voluntas excuſari nequit. Longè enim eſt aliud, cum ratione & modo conveniente Religiones vel corriguntur, vel mutantur, vel etiam penitùs tolluntur, ut parricidæ non ſolùm licet, verùm etiam oportet pœnam infligi, ſed Jure & Legibus. Itaque dubium non

eſt.

eſt, quin abijciendis & ſubvertendis Religionibus, interdum pietas atque religioſitas magis atque meliùs cuſtodiatur, quàm illis tenendis atque inſtaurandis. Sed de re non eſſe nobis diſputandum aiebã. In hâc autem de Religione mentione, non fortuitò, ſed de induſtriâ fui longior: quòd ab illâ bonarum artium atque literarum, & doctrinæ ſtudia non exiſtimem ſeparanda. Quibus & conſerendis, atque rigandis, ac fovendis, nec non protegendis & conſervandis, eum ſe Eberhardus præbuit, ut non ſolùm benigniſſimi atque liberaliſſimi Principis, ſed planè manſuetiſſimi & ſuaviſſimi parentis famam reliquerit, non ſuis modò doctis, eorumque poſteris, verùm exteris quoque & hominibus & nationibus. Nam ut Patres non modò originis vitæ autores ſunt liberis ſuis, ſed etiam durationis & ſtabilitatis illius, ſic à Principe noſtro non ſolùm in hac gente quaſi procreatus eſt uſus cultusque bonarum artium ac literarum, ſed etiam ad firmitatem & diuturnitatem perductus atque fundatus. Quin ipſe quoque hãc voluntatem erga Studioſos ſuam cùm alijs clariſſimis ſignis prolixè declaravit, tùm nunquàm illos aliter, quàm filios appellando. Ipſe quidem quoties Scholæ Rectorem, qui creari Magiſtratus ſemeſtris ſolet, à ſe dimiſit (primates autem Scholæ, & facilè & pleroſque ſine internuncijs dimittebant) ſed Rectorem confectâ re, quamobrem advenerat, quoties dimiſit, vix unquàm traditur non finijſſe ſermones ſuos clauſulâ commendationis eorum, qui in ipſius Scholâ literis operam darent, additâ ratione honeſtiſſimâ, quòd diceret, filios ſe ſuos ideò fideliter & accuratè inſtitui, docerique velle, quòd qui genuiſſent parentes, hâc ſpe illos in eam Scholam miſiſſent, optimeque eis proſpectum eſſe confiderent. Quin ipſum Rectorem, quiſquis eſſet, nunquàm aliter, quàm dignitatis & honoris nomen præfatus, compellâſſe perhibetur. Neque infimo quoque de numero ſtudioſorum prætereunti, non aliquo geſtu ſignificaſſe benevolentiam ſuam fertur. Cum ijs autem, qui eſſent in opinione doctrinæ præcipuâ, & illâ dignitatem ſibi atque honores comparâſſent, feciſſe, ut multùm & ſępè verſaretur, quorum ędes etiam ipſe veniendo frequentare conſueviſſet. Tradunt hunc illi morem fuiſſe, ut audiret de gravibus & arduis rebus dicentes attentiſſimè, & ſententias præcipuas partim memoriæ mandaret, partim in pugillaribus, quos ſemper ſecum geſtaret, perſcriptas annotaret. Sed ſi fortè illi viderentur ſegniores, quaſique torpentes, neque ſatisfacerent ardori in audiendo ſuo. Irritâſſe contentiones eorum aliqua dubia & ambigua, neque trita vulgarive materiâ, tanquàm pomo diſſenſionis objecto. Quod ſciret ita comparatum eſſe naturâ, ut ingenij & mentis quaſi formæ laude atque famâ

Digitized by Google

eò minùs homines concedere alijs ſolerent, quò magis ſibi debere, ſeque illam vendicare jure ſuo poſſe ſperarent. Atque hujus veluti commiſſionis mirificas eum artes tenuiſſe memorant. Quid ego autem de inſtitutione Scholę dicam, quâ nihil ſapientius fieri potuiſſet. Quid eſt ſtudio illius in hâc locupletandâ & augendâ, quo omnium liberalitas ſuperari videtur? Quid? quod apparet, illi maximæ curæ fuiſſe, ut ſi poſſet, hæc ad æternitatem firmata fundataque relinqueretur. Quo conſilio nihil habeas commemorare divinius. Tradidit igitur, & verè conteſtatione ſuâ tanquàm in manus tradidit opus iſtud Scholaſticum præclarum & ſpectabile, poſteris, ita integrum atque ſolidum, itaque communitum & tectum, ut ſolâ ſequentium Principum defenſione, & mediocri ſuſtentatione indigeret. Hoc unum factum Principis Eberhardi inter multa præclara alia maximum atque præclariſſimum exiſtimandum. Hoc uno ille ſempiternam gloriam eſt adeptus. Hoc ipſum profectò tale ab eo monumentum exactum eſt, quale Horatius deſcribit:

AEre perennius,
Regaliq; ſitu Pyramidum altius,
Quod non imber edax, non Aquilo impotens,
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, & fuga temporum.

Ac quæ ſequuntur, omnia de ſe ipſe, vel nos de eo potiùs veriſſimè atque meritiſſimo accidere poſſimus, accommodatis his ad noſtram conſuetudinem atque gentem. Nunquàm iſtum Principem totum moriturum, ſuique ſemper parte maximâ, hoc eſt, famâ atque gloriâ extra buſtum in ore ſermoneque futurum omnium Doctorum, quique literarum bonarum ſtudia ſequantur, hujus laudes diem atque tempus nunquàm obruturum, neque imminuturum, ſed illas permãſuras dum non modò in honore & precio ſit doctrina, ſed quoad omninò nomen illius extet atque teneatur. Et reliqua ad ſimilem modũ: De bonarum autem literarum, artiumque, quibus Eberhardus benignitate ſuâ ſedes, tectum, larem, copias inſtruxit, atque contulit: quas ampliſſimas, ornatiſſimas, auctiſſimas eſſe voluit: in quibus conſtituendis, provehendis, erigendis, extollendis, omnibus viribus elaboravit: de harum igitur magnitudine, atque bonitate, quâ probata, & ad altiſſimum faſtigium verbis evecta, & ſi factum hoc Principis & ipſum ingentius, illuſtriusque videretur, apud vos tamen ſi diſſerere velim, ridicula propemodùm oratio mea futura ſit, certè ſupervacanea & inepta. Quid enim agerem aliud, quàm ſi agricolis frugum curam & arvorum cultum dicendo reddere commendatiorem conarer? quorum

quorum in hoc ſpacio tota vita decurritur, & quibus omnes illorum ſenſus intenti ſunt. Quare benè longâ Oratione liberat me omnium veſtrûm & conditio & ſapientia. Neque enim Profeſſoribus optimarum artium non illa notiſſima eſſe poſſunt: neque apud ſtudioſos harum non præconia creberrimè fiunt. Docere autem me velle, quod meliùs vos teneatis, quàm ego, aut me ſperare diſcipulis hæc, quàm veſtram omnium eloquentiam luculentiùs explicaturum, ſummæ fuerit profectò audaciæ, vel magis impudentiæ: quare ad alia pergamus. Non enim unam hanc partem quamvis eximia, & propè totius inſtar ſit conſtituendæ, & benè regendæ Reipublicæ, accuratè eum perpoliviſſe & abſolviſſe, ſed ſtudium & aſſiduitate quoque illius in jure atque Legibus deſcribendis, & Civitatum ſtatu vel emendando, vel ad Civilem tranquillitatem dirigendo, verè prædicare poſſumus. In quâ re non tantùm ipſe acerrimo ingenio, & mentis ſuæ perſpicaciæ, atque planæ ſapientię, neque prudentiſſimorum hominum, quorum cupidiſſimè conſilijs uti ſoleret, monitis atque ſubjectionibus confidere auſus, operam dedit, ut veterum ſcripta tàm Pręceptorum, quàm exemplorum, atque Hiſtorica cognoſceret. Quæ cùm de Linguâ Latinâ transferenda eſſent, quam ipſe non intelligeret, traduci in Teutonicum ſermonem præcipuos libros Auctorum Latinitatis curavit, illisque legẽdis ſtuduit animum, judiciumque ſuum inſtruere & erudire, ne imparatus à doctrinâ ad capeſſendam, regendamque Rempublicam videretur acceſſiſſe. Atque his occupationibus non parùm laboris impendit, ſeduloque in illis induſtrieque verſatus, cùm eſſet naturâ ingenioque celeri & prompto, hoc eſt conſecutus, ut dicta ſua, cùm facetus eſſe vellet, præſertim quæ pungere & ſalſa perhiberi cuperet, eruditionem doctrinæ, atque literarum redolerent, nonnullosque imperitiores admodùm interdùm læderent. Quod in hoc genere accidere neceſſe eſt, neque tęmperari, aut offenſio effugi facilè poteſt, non amiſsâ famâ ingenij. Itaque hoc nomine & Ciceronem nonnullorum invidiam erga ſe commoviſſe accepimus. Cùm autem Eberhardus voce ſonoque non adjuvaretur, ea tamen laus fuit eloquentiæ, quæ non aſſentatione, ſed veritate celebraretur ſermone omnium. In rebus agendis, ſi ſua inventa exequeretur, fervidiorem, ſi aliorum conſulta, leniorem fuiſſe perhibent, videlicèt in naturâ optimâ, non modò vigente & emicante judicio & intelligentiâ, ſed etiam obſequente & maturante factum voluntate, quæ quaſi vento propriæ deliberationis, & conſilij deficiens eſſet ſegnior. Non defuêre, qui reprehenderint in hoc Principe non quidem avaritiam, ſed certè parſimoniam. Quos requiſiviſſent profuſionem & prodigalita-

Digitized by Google

tem apparet, cum benignitatis ac liberalitatis non ſignificationes hîc clariſſimas dederit, ſed ſpecioſiſſima & admirabilia opera ediderit. Quantæ autem curæ ſibi eſſe paſſus fuerit Rempublicã, & optimum ſtatum Civium, quantumque operæ conſumpſerit, de his cogitandi, quærendi, lectitandi, indicat & libellus ab eo compoſitus & publicatus de adminiſtratione Rerumpublicarum. Non enim ſcriptiones à negligentibus neque ſomnolentis aut remiſſis ullâ de re confici ſolent. Beneficia facilè tribuiſſe negant: credo quòd haud temerè in multos, ſed dignos cum cura conferenda eſſe arbitraretur laudabiliter utrumque: nam ſublato hoc diſcrimine, neque boni verè illis devinciuntur, & malitia quaſi fovetur in ſpe præmiorum, promiſſionũ, neque harum tantummodò, ſed affirmationum cunctarum ea fuit certitudo atque fides, ut nullum præterea firmamentum quiſquam expeteret. Quare multi excellentes virtute, nobilitate, doctrinâ, viri huic Principi propè gratuitam operam nullâ exſpectatione mercedis dare, quàm alijs nonnullo cum fructu ſuo collocare maluerunt. Cõjugium ſanctiſſimè & caſtiſſimè ſervavit, inque domeſticæ diſciplinę ſeveritate dulcedinem tamen maritalis copulæ præſtitit, debitâ ſuavitate complectendo eam, cum quâ corpus & res ſuas conſociâſſet. Suſcepit ex laudatiſſimâ fœminâ, uxore ſuâ filiolam, quæ ſtatim morte ſublata fuit. Interea fratri patrueli naſcitur de primo connubio Illuſtriſſimus jam noſter, quodque omnes precamur, in diuturnitate vitæ longo tempore Princeps futurus Ulrichus, cui enitendo pariendoq; cùm mater vitam impendiſſet ſuam, (paucis enim, poſtquàm in hunc lucem edidiſſet, diebus mortem obijt) delatus infans ad Eberhardũ, cujus eſſet fratris patruelis ipſe filius, diligentiâ conjugis illius enutritus, & ſtudio, curaque & attentione Eberhardi educatus in eum virum evaſit, ut nobilitatem generis, multiplicibus virtutibus ſuis in magnâ fortunæ varietate non modò teſtatus atque tutatus fuerit, ſe magnitudine animi ſui atque gloriâ, tàm pacis, quàm belli, majorem clarioremque reddiderit. De quo non ita ſunt tenues & exiles res, ut breviter dici, & quarum mentio quaſi emblema alteri operi immitti poſſe videatur. Sed proprius labor, peculiaris opera, ſua extructio atque fabrica requiritur, cui & conveniens tempus, & integræ vires reſervandæ ſunt. Hoc nunc dicam, maximum eſſe argumentum, Principis noſtri naturæ præſtanti, & ingenio ſummo Eberhardi diſciplinam non parùm tamen profuiſſe, cùm ille relictus ab hoc moriente annos natus decem, non pluribus annis quinque quaſi in manu aliorum fuerit, ſed Divi Maximiliani juſſu atque voluntate in ſuam ſimul [illegible] adminiſtrationis poteſtatem venerit. Cui autẽ ignota eſt, aut

Ulrichus Dux Würtẽbergenſis.

Maximilianus Primus, Romanorũ Imperator [illegible]

aut ſaltem inaudita Maximiliani admirabilis cùm ſapientia, tùm perſpicacia & vis mentis? qui profectò nunquàm propemodùm puero tantarum rerum gerendarum jus liberum concederet, niſi ab adoleſcentiâ unius plus bonæ ſpei haberet ad ſalutem & augmenta civium, quàm in multorum ætate grandiori. Quo tanti tamque divini & cœleſtis viri teſtimonio, eoque ut apparet, judicij non amoris, quæ laus amplior contingere potuiſſet Principi noſtro non video: ſed Eberhardus, ad hunc enim revocanda Oratio eſt, cùm intelligeret atque cogitaret, maxima Regna in diſtractione & ſeparatione per levi momento dilabi atque diſſipari, & ſcire ab antiquo diſtinctam fuiſſe Württembergenſis ditionis adminiſtrationem, nullâ aliâ re & creſcere ad majorem altitudinem, & coaleſcere ad pleniorem granditatem, & ad firmiorem ſtabilitatem corroborari rem Württembergenſem poſſe ratus, quàm conjunctione & unitate illius. Hoc elaboravit atque perfecit, ut omnia illius quaſi membra in unum corpus colligerentur, & quibuſdam pactionibus atque Legibus tanquàm nervis devincirentur. Quod cùm ſucceſſiſſet ex animi ſententiâ, habente tùm fortè Comitia Maximiliano Imperatore apud Vangiones, eò ſe quoque contulit, ut actionum ſuarum quaſi operibus illius quoque approbationem ac autoritatem, & velut extremam manum adderet. Hujus tùm Maximilianum conſilio operaque multùm & libenter uſum eſſe comperimus, cujus ſæpenumerò divina de Principe Eberhardo teſtimonia audirentur, neminem cum hoc integritate, ſapientiâ, fide conferendum eſſe, eidemque cùm alios præ cœteris honores habuiſſe, tùm ut ſingulare beneficium videretur in eum contuliſſe, altiore quaſi in gradu dignitatis, in Imperio ſuo collocâſſe, neque magis Comitem, ſed Ducem eſſe, diciq; voluiſſe. In his de ſollemni more peragendis maximum fertur Imperatoris ſtudium & ſumma prõptitudo, cupiditasque fuiſſe, itaque omnia magnificè & ſplendidè curata, confecta, tranſactaque eſſe. Principis autem Eberhardi in hoc ea præcipua laus ineſt, quòd non impetratam dignitatis, honorumque acceſſionem obtinuerit, ſed oblatam meritis ſuis acceperit. Non ipſe ad hoc faſtigium ambiendo eniſus, ſed voluntate Imperatoris Maximiliani (quo ſolo nomine pronunciato nihil maximæ laudationis obtinuiſſe mihi videor) cùm duceretur atque raperetur, ſecutus ſit. His rebus geſtis commendatus Eberhardus judicio Maximiliani, evectus ſuâ virtute, honorum & dignitatis progreſſionibus factis, in Patriam revertitur, atque hîc animus terrore & metu perculſus trepidat: nam inauſpicato & infelici ſucceſſu melioris fortunæ uſus Eberhardus, nondum ſatis aſſueſecerat, placidiſſimas aures ſuas compellatione

Conjunctio & unitas Ducatus Würtembergēſis perpetua.

Digitized by Google

tione quaſi ſuperbiore,cùm audire omninò,quod ut eſſet, ſuâ virtute perfecerat,deſijt,& terras reliquit morte ſuâ. O incertam ſpem! ô miſeram conditionem humani generis! ô fallaces cogitationes,& exſpectationem inanem! Ad ipſam metam vita Eberhardi adhærens occidit atque defecit priùs omninò,quàm omnia,quæ incepiſſet, quæque agitaret,animo abſolvere & conſummare poſſet. Fuit hęc,fuit Achillea alacritas atque eminentia: nam ut huic victoria Hectoris, qui ſe Jovis filium eſſe gloriaretur,ſempiternum nomen, ita eadem celerem interitum attulit: ſimiliter & Eberhardum ſcilicèt fata à ſplendoris acceſſione & excellentiâ ad mortem abſtrahebant. Occubuit igitur Sapientiſſimus Princeps, atque Fortiſſimus Dux, & naturæ debitum perſolvit, Civibus ſuis lachrymas, omnibus mortalibus admirationē & memoriam ſui reliquit. Mortuus apud nos, Anno à ſalutifero partu Chriſti,milleſimo,quadringētesimo,nonageſimo ſexto, ſexto Calendas Martij,corpore ſanè morbis vexato,quos juventutis immodicâ agitatione conſcivіſſe credebatur. Medici ſuaſerant, cùm valetudo affligi vehementiùs cœpiſſet, ut Tubingam ſeſe conferret, quòd locum minùs illi contrarium & magis ſalubrem eſſe judicarent. Quibus obſecutus huc venit, & quanquàm curari ſe non difficulter, neque contumaciter aut contemptim pateretur, officio tamen erga ſuos non deeſſe, cum aliquâ irritatione morbi voluiſſe exiſtimatur, cùm ita tempore unius ex ſuorum numero, cujus fidem & prudentiam perſpexiſſet, ferente, in publicum, ipſe corpore exili & morbis attenuato prodijſſet, illius honoris gratiâ, in maximo & præter communem temporis modum intento frigore, notum autem, quod de Tragœdiâ Cicero adducit, inimiciſſimum eſſe frigus exili corpori. Cùm autem fieri ſenſiſſet morbum graviorem animo, ut in præcipuis & heroicis naturis accidit, præſagiente interitum, non ſolùm non fractus hoc metu dicitur,ſed forti pectore etiam obviam eundum morti, curationemque omittendam ſtatuiſſe. In quo tamen ſuorum voluntati ut tamdiu vellet vivere, quàm ullâ ratione liceret, paruit atq; obſecundavit. Totâ deindè mente ad Deum converſus, cùm adſtantibus Conſiliarijs & præfectis Cives ſuos & Rempublicam diſertâ & accuratâ Oratione, exquiſitiſque ſententijs commendâſſet & commiſiſſet: cumque flentē ac ejulantem conjugem ſuam præſentiſſimo animo longiùs ſanè locutus, quàm fieri omnes tùm potuiſſe crederēt, conſolatus fuiſſet: nihil admittere alienarum rerum mentionis poſtea quicquam voluit: tùm ita vehementer morbi ingruère, ut totum jam corpus corriperetur, & vox deficeret atque retineretur. Ita ille cùm aliquantiſper quaſi moriens jacuiſſet, ſubitò cum maximâ omnium

Eberhardi Ducis Würtembergenſis mors.

Digitized by Google

omnium admiratione, Deo gratias agere, & ſeſe in lectulo erigere, quaſique recuperato animo aſſidere. Ubi auditam Orationem graviſſimam, & expreſſam ſummâ erga Deum pietate aiunt, teſtem etiam odij ſcelerum, ac injuriæ, & amoris innocentiæ, Utinam, inquit, omnibus facultatibus meis, ſi quid eſt à me violentè injuſtéve in ullum mortalem commiſſum, ſarciri atque reſtitui queat. Sed nunc mihi aliud nihil relinqui video, quàm ſpem miſericordiæ à benigniſſimo Numine divino: huic igitur quod reliquum habeo, corporis atque vitæ offero ac dedo. Neque diu pòſt extremum Spiritum duxit, & animam reddidit Deo, undè acceperat. Tùm fuit ſepultus eo in loco, undè nuper hûc oſſa eius tranſportata ſunt. Hic finis ſapientiſſimi, atque fortiſſimi, & pietatis, honeſtatis, omnium artium, rerumque bonarum amantiſſimi Principis, cùm vixiſſet annos quinquaginta & unum. Corpore non magno, ſed nequaquàm conſtitutione ſuâ infirmo aut molli, potiusque valido & nervoſo. Barbam alere conſuevit, ut diximus, viri præcipuum & minimè impendioſum ornatum, quæ cognomentum huic dedit. Sed neque hîc finis illius fuit, cujus nomẽ & memoria ſuâpte virtute, non ut multorum in contentione vitioſorum, magnum atque præclarum, nullo unquàm tempore in omni ſeculorum poſteritate intercidet, aut extinguetur. Vivet ille, vivet ſemper, neque ulla dies delebit, neque oblivio obducet hoc Württembergenſis familiæ lumen. Habet enim hoc magnorum, & virtute atque ſapientiâ excellentium virorum conditio proprium & peculiare, ut non ijſdem finibus vitæ horum atque gloriæ curſus determinetur, ſed cùm illius naturæ lege ſpacium, quod longiſſimum eſſe poſſit, breve tamen his etiam præſcribatur, campus aperitur hujus immenſus ad poſteritatem, neque illi unquàm cum corpore nominis ſui commemorationem dimittunt ac deponunt. Atque hâc ſpe optimus quiſque inprimis afficitur, ſentitque his ſtimulis excitari ſe ad omnia ea conãda, tentanda, facienda, quibus laudis atque gloriæ præmia propoſita eſſe videat. Hoc & laborum & periculorum, illud tantum incitamentum eſt, ut non ſolùm animum, corpusque ad curarum, vigiliarum, dolorum, moleſtiarum, & mox patientiam, erigat, ſuſtineat, conſolidet, verùm etiam in dimicationes de vitâ voluntarias impellat atque conijciat. Ac ſuppetunt quidem innumerabilia externorum ab antiquitate exempla, ſed nobis ſtudio & diligẽtiâ ſummâ jam noſtra ſunt conquirenda, quorum inveſtigantibus ingens ſe oblatura eſſe copia videtur. Quòd ideò fieri à nobis par fuerit, quia ea nunc habemus adjumenta literarum atque artium, quibus majorum noſtrûm laudes, externorum laudibus non modò adæquare, ſed anteferre etiam poſſe

P videamur:

Digitized by Google

videamur: quid eſt enim, quod horum ſummæ atque ampliſſimæ gloriæ hactenùs defuerit, niſi literarum ſplendor & lumen? Quàm parva autem & humilia in multis priſcis illis heroibus, ad quantam magnitudinem veterum doctiſſimorum hominum eloquentia eduxit atque exaggeravit? Sed & in noſtris rectiſſimum, atque utiliſſimum fuerit, quàm recentiſſima & proxima, vel noſtræ, vel Patrum noſtrorum memoriæ colligere: quò longiùs, propter conſcientiam ſuperſtitum, prædicationes hæ ab omni ſuſpicione vanitatis abſint, quoque magis juventus ſimilis quaſi mercedis exſpectatione ad imitationem, & ſectā virtutis atque decoris inſtigetur atque inflammetur, operamque det, ut non ſolùm ipſa priorum exempla ſecuta, verùm poſteritatis aliquādò etiam exemplum eſſe dicatur. Ego verò neque hāc celebrationem functorum vitâ ſuâ ab omni ſenſu ipſorum abeſſe arbitror, ſed in hoc non occupabo me, neque diſſerendo, neque contendendo cum ullo vivorum, maximè illam cauſsâ frequentandum dico atque affirmo, & exempla virtutis, honeſtatis, recti, Juſtitiæ, laudis, proponenda ad imitandum poſteris, quorum quidem cùm familia Württembergenſis ita plena ſit, ut non modò à multis ſeculis abundet plurimis, ſed etiam viventium adhuc nullo priorum, potiſſimùm Illuſtriſſimi Principis noſtri Ulrichi inferiora complectatur: tamen in hoc & propter occaſionem, & abſque metu aſſentationis, potuit liberiùs & verſari, & vagari Oratio noſtra: quæ utinam ejuſmodi à me ſit habita, ut non ingrata auribus veſtris: neque tanto Heröe, quem celebrare ſtuduit, illiusque maximis virtutibus atque meritis indigna fuiſſe videatur. Nam & veſtræ eruditioni, & illius ingētiæ atque magnitudini dignâ Oratione ſatisfacere, haud ſcio, an nemo facilè qui poſſit, inveniatur: ego certè me eum non eſſe & ſentio, & ingenuè confiteor. Sed utcūque ſit, meum ſtudium & voluntatem probatam vobis acceptamque eſſe confido. Sed ne quid omninò prætermittamus ſtudij, officijque noſtri, utque funus hoc translationis & inferias omni à parte peragamus, & exequamur: jam etiam Oratione noſtrâ monumentum ponamus Eberhardo Principi, & marmora, vel potiùs æra inſigniamus verſibus, quibus ſepulti laudes celebrentur, & Epitaphia carmina proponamus. In quo quidem ipſo à vobis, qui adeſtis, plurimis & doctiſſimis viris ac adoleſcentibus peto contendoque, ut exemplū noſtrum ſequi, & ipſi ſimiliter ornare Principem illum ſtudio & doctrinâ veſtrâ velitis: eos autem, qui in diſcendo adhuc verſantur, neque eos profectus fecerunt, ut hoc in genere famam ſperare auſint, hortor & cupio digniſſimum & pulcherrimum argumentum, in quo exerceantur, ubi quæ periclitentur vires ſuas, libenter & avidè arripere, ut imitati

tati nos & ipſi vel componere, vel tentare hunc ad modum, quo nos viderint, aliquid annitantur & ſtudeant. Atque has ſolummodò ob cauſſas, non quia elegantes & nitidos, atque velut de Caſtaliæ fonte hauſtos eſſe credam, in hoc conſcriptos verſiculos meos vobis recitabo, atque ita dicendi finem faciam.

EBERHARDO, LUDOVICI FILIO, Probo, Barbato, Principi Sueviæ, Duci Primo Württembergenſi, Q. V. A. L I.

Conditur hâc parvâ Princeps Eberardus in urnâ,
Oſſaq; non nimiùm grandia buſta tegunt.
Nil tamen eximio deeſt his quoque Principe dignum,
Sed pro laude viri nil ſatis eſſe poteſt.
Hunc cupis hac qui fortè legis jam ſcire viator?
Quæris adhuc? titulo nomen habente PROBI.
Si tamen explicito peragi ſermoneq; longo
Omnia vis, quemvis de populo ipſe roga.
Principis eſt nulli non gloria nota ſuorum,
Mirificè & cunctos commemorare juvat.
Sed vis perſcribi. Parias huc advehe cautes,
Cunctáque Cypriaci totius æra ſoli.

Eidem.

Conditur exanimum hâc Eberardi Principis urnâ,
Et tegitur patriâ nobile corpus humo.
Mundi in cœruleas evaſit Spiritus arces,
Claraq; terrarum per loca fama volat.
Non potuit ſemper neque vivere ſcilicèt illud,
Ulla nec hanc fati perdere vis potuit.
Non Eberarde jaces ergò hoc in pulvere, nec te
Letifero extinctum funere buſta tegunt.
Sed purum evectus virtutis in æthera pennis,
Laude tui comples non moriente ſolum.
Poſteritas cineri monumentum grata ſacravit,
O Princeps Patriæ, nobilitatis honor.
Nec tamen hoc ſatis eſt, ſalve ô Clariſſime Princeps,
Totius æternus nobilitatis honor.

ΕΒΕΡΑΡΔΩ ΤΩΠΩΓΩΝΙΑ ΑΡ-
χοντϊ βηβῶν.

Στέψασθ᾽ ἀονίδες τοῦτ᾽ ἤριον εἴτϊ ποτ᾽ ἄλλο,
  Πορφυρέο συνίζησϊς πορφυρέοισϊ ῥόδοις.
Οἵτινα δαῦ ἐπικηδίοις θρήνησας ἄπολλον,
  Πρὸς τάφον ἐντείνας πενθαλέην κιθάρην.
Καὶ νῦν ἐνθάδι ὢν φίλε μέλπεο τύμβον ἄπολλον.
  Οἵῃ κοσμήσας ἡγεμονῆος ὀπῖ.
Κεῖται ἀνὴρ ἀρετῇ πάντων προφερέστατος ἄλλων.
  Οὐρανίδου χρυσοῦν λεῖμμα βίοιο χρόνου.
Ὅς σε μήτ᾽ εἴασεν ἀνέστιον οὔτ᾽ ἀπόβλητον,
  Ἐν πολὺ σϊδήρουστερ᾽ ῥοτέροισϊ χρόνοις:
Ἀλλ᾽ ὦναξ σοί τῇδε πεῆσϊ φίλησϊν ὀπαδαῖς,
  Εἰννέα πϊερίσϊν δώματ᾽ ἔπευξε καλά.
Γερμανῶν ἀρηϊ φίλων ἐνὶ πίοσ᾽ ἀρούραις,
  Ἔνθα ῥέει σβηβὺς νικρὸς ἀμειβόμενος.
Σπεύδων ὃν μεγάλῳ ῥείνῳ συμμϊσγέμεν ὕδωρ,
  Οὐκέθ᾽ ὅπως πρότερον κεῖθ᾽ ὀνομαζόμενος.
Ἔνθα χοροῖς τϊμὴν σοφίης ἱεροῖς τ᾽ ἐν ἀγῶσι,
  Φοῖβ᾽ ἀπελάτητον καὶ γέρας αἰὲν ἔχεις.
Εἵνεκεν ὧν ἱλαρὸς μακροῦ κατ᾽ πάντ᾽ ὀλύμπου,
  Ὄμματ᾽ ἐφ᾽ ἱλαῷ δέρκεο τήνδε πόλιν.
Του βίγγην, ὅθϊ νῦν λεῦκ᾽ ὀστέα κεῖται ἐκείνου,
  Πὰρ πολὺ καλλίστῳ μνῆμαθ᾽ ἑῆς ἀρετῆς.

Joachimus F.

EPITAPHIUM EBERHARDI, PRIMI Ducis VVürttembergenſis.

Spiritus ecquis adeſt cineri huic? Nam Carmina Muſæ
  Docta canunt, doctis concinit urna modis.
Oſſa, Eberharde, ſolo ſita ſunt tua, nobilis umbra,
  Læta fugit tumulos, læta petit ſuperos.
Ergò ſacri vates ſacratos edite cantus,
  Nec vacet omnigenis veſtra camœna modis.
Dicite iò! optatos vos nunc præbete triumphos,
  Tangite Apollineæ dulcia pleƈtra lyræ.

Nam:

Digitized by Google

Nam nunc Illuſtris Princeps Eberharde ſubîſti,
AEthera conſpicuum conſpiciende Deis.
Ornatusq; caput lauro plaudente Senatu,
Intrâſti Sanctas Sanctus & ipſe domos.
Aſcitusq; choro Divûm cœleſtibus oris,
Perfrueris ſummo perpetuoq; bono.
Hæc Muſæ ad tumulum referunt, cinis ipſe valeto,
Servari aureolo digne lebete cinis.
At vos Neccarides Muſæ pia dicite verba,
Ad tumulum & ſuavis ſpargite veris opus.

Bartholomæus Amantius, V. I. Doctor F.

EPITAPHIVM IN ILLVSTRISSImum Principem Eberhardum Ducem VVürttembergenſem.

Non humilem ſortita tua eſt, Dux optime, Muſam
Virtus, quæ vivo credita ineſſe tibi,
Quæ viget, & memori multorum in pectore fixa eſt,
Grata DEO, & magno Principe digna fides.
Scilicèt hæc grandes vivax ſuperare coloſſos,
Barbaricas poterit vincere Pyramides.
Publicus hanc amor & ſtudium, non carmina produnt,
Non quæ eſt fucato gloria tecta ſono,
Extinctum celebrant Eberhardum laude volentes
Ille ſuâ texit quos pietate viros.
Ingratum ſe quiſque putat, nimiumq; ſoluti
Moris ſi famæ Principis invideat.
Sic pariter cuncti referunt, vox omnibus una,
Dux bello magnus, nec pietate minor.
Laudatore opus eſt haud illi, quem ſua laudat
Inq; altum virtus ſuſpicienda vehit.
Namq; Poëtarum creſcunt mendacia fuco,
Paginaq; in fictis neſcit habere modum.
Ipſe etiam errores memorans redeuntis Homerus,
Cùm Laërtiadæ mille pericla canit,
Fabula quàm longo narratur carmine? paucis
Cùm poſſet dici verſibus Hiſtoria.

Creditur uſq; in Achille ſuo verboſior æquo,
Ardua cum vanis compoſuiſſe jocis.
Quare non multis verborum ambagibus illi
Pro meritis laus eſt contribuenda ſuis.
Artes, quæſitis aliundè ornata figuris,
Calliope, debet abſtinuiſſe ſuas.
Nam quod difficile eſt multis, id contigit uni,
Non populo, ut Princeps charior eſſe queat.
Hoc teſtatur enim vivi reverentia amorq;,
Hunc Patriæ Patrem plebs putat eſſe ſuæ.
Doctorum ſpes una fuit Dux ille virorum,
Qui Muſas gratâ ſedulus auxit ope.
Huic igitur fama eſt omni memorabilis ævo,
Inq; hanc exilis jus negat urna ſibi.
Cincta, novem, ferrugineis ſua tempora peplis,
Turba ſororum, illi nunc agit exequias.
Protinùs has populus ſequitur rumore ſecundo,
Et lachrymas fundit pro Duce turba ſuo.
Ipſe etiam pro me tibi nunc Clariſſime Princeps,
Pro bene tot factis carmina pauca feram.
Nam tibi debetur ſtudiorum clara Tubinga,
Quicquid habet, donis inclyta facta tuis.
Quam miro quondam ſtudiorum incenſus amore,
Iuſſiſti ingenuis artibus eſſe domum.
Muneribus tibi pro tantis optamus honores,
Cœlitùs, & mentis pace, Deoq; frui.
Vtq; animo capias æterna gaudia lucis,
Quæ non diſſimilis ſors facit una DEO.

Aliud.

Cœli Phœbe decus, qui ſydera cuncta gubernas,
Qui ſola terrarum perq; vices repetis.
En tibi ſunt, vaſto quæcunque geruntur in orbe,
Cognita, nec vultus res latet ulla tuos.
An mors ulla tibi conſpecta indignior illa?
Quàm decus hoc patriæ quæ tulit è medio.
Scilicèt hoc nato, non de meliore metallo,
Tantùm Saturni ſecula nomen habent.
Invida ſed tantos ſucceſſus parca removit,
Extulit ad ſuperas, teq; Eberharde domos.

Jacobus Scheggius. F.

ILLU-

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI, Eberhardo Probo.

Quà generi Regnoq; tuo virtute pararis,
Victurum æterno nobilitate decus.
Quæ Patriæ benefacta tuæ, quibus ipſa per Orbem,
Reddita ſit ſtudijs clara Tubinga tuis.
Exponi modico ſi talis gloria verſu,
Aut virtus poſſet Dux Eberharde tua.
Cuncta tuum pridem loquerentur marmora nomen,
Creditaq; arcanis inclyta facta notis.
Sed non tantarum capiunt præconia laudum,
Quæ fiunt noſtro carmina ab ingenio.
Quod tamen humanis te Princeps optime rebus,
Morte tuâ exemptum patria mœſta dolet.
Et non ingrato repetens tua pectore facta,
Virtutes uno prædicat ore tuas.
Manibus illa tuis pietas ſit grata tuorum,
Hoc quæ præſtari tempore ſola poteſt.

Benignus Buticamenſis, Oratoriæ Profeſſor, F.

PRINCIPI EBERARDO BARBATO, Duci VVürttembergenſi.

Hic ſitus eſt, cui barba dedit cognomina Princeps,
Princeps Teutonici gloria magna ſoli.
Quem ſua nobilitans præclaro ſtemmate virtus,
Extulit, antiquos ut ſuperaret avos.
Is cùm multorum laudes conjungeret unus,
Exemplar pacis, militiæq; fuit.
Non tamen iccircò ſævæ hujus ſtamina Parcæ,
Ante diem ut caderet, diſſecuêre minùs.
At non æternam potuêre extinguere famam,
Facta Ducis vivunt, perpetuoq; manent.
Tu ſac quiſquis ades, nunc hæc ad buſta viator,
Ore ſones grato, molliter oſſa cubent.

Sebaldus Noricus F.

Ejuſdem Hendecaſyllabi.

Quid defles pia plebs tuum parentem?
Quid translata Ducis frequens ad oſſa
Flores accumulas. quid oſculare?
Princeps non jacet hic, ad alta cœli
Duxit, quæ nequit interire virtus.
Princeps non jacet hîc, ad aſtra vexit
Inſignem pietas, nec ulla reſtat
Mortalis nota, Pallas expiavit.
Nunc luctus igitur coherceantur,
Nunc ceſſet lachrymis fluens querela.
Solennes memor inſtruat dierum,
Gaudens, feſta Ducis perennitate,
Gentis turba ſui, Polo recepti.
Nunc jam Principe quæ futura Divo,
Omni in tempore, natione, rerum
Conſuetudine, ſemper eſt celebris.

Johannis Hoſpiniani.

Splendida qui graderis præter monumenta viator,
Qui jacet hoc tumulo, quis fuit ille rogas?
Ille ego ſum, ſpectanda dedit cui nomina Barba,
Eximiaq; fui qui probitate Probus.
Qui leges duris deſcripſi & Iura Suevis,
Qui ſtudium bellis pacis & antè tuli.
Quiq; Heliconiades colui, Templumq; ſacravi,
Quo non toto aliud clarius orbe micat.
Patre Comes natus, ſed quem ter maxima virtus,
Majori dignum fecit honore coli.
Nam mihi ſponte tua das invictiſſime Cæſar,
Maximiane Ducis nomina clara novi.
Hîc Eberhardus humi poſitus cum pace quieſco,
Oſſa tegit buſtum, Spiritus aſtra tenet.

Caſparis Bruſchij Egrani.

Hoc ſita ſub tumulo ſunt Principis oſſa Eberhardi,
Qui fuit Aonij Duxq; decusq; Chori.
Qui primus Phœbum conſidere juſſit ad amnem
Nicrinum, & Muſis præmia digna dedit.
VVürtembergiacos ubi præterlabitur agros,
Irrigat & limphis pinguia rura ſuis.

Indè

Digitized by Google

Inde Lycaoniam curſum detorquet ad Arcton,
Et Rheni nomen perdit in amne ſuum.
Hanc ergò quoties venerandam aſpexeris urnam,
Debes Barbati commeminiſſe Ducis.
Atque illum meritâ ſub cœlum extollere laude,
Vix etenim vitâ dignior alter erit.

Ejuſdem.

Parvâ corpus in hâc Eberhardi clauditur urnâ,
Virtutum totus non capit orbis opus.

Ejuſdem.

Dux Eberhardus loquitur.

Hâc Dux marmorei jaceo ſub fornice buſti,
Barbatus, Patriæ cura decusq; meæ.
Quem propter ſummum caſtæ probitatis amorem,
Et ſtudium dixit Teutonis ora PROBVM.
Sola etenim probitas, pietas mihi ſola placebat,
Et fuit una mihi cura timere DEVM.
Ergò etiam poſtquàm mea Spiritus oſſa reliquit,
Putridaq; in cineres eſt reſoluta caro.
Suſcipe quæſo tui cultorem nominis, & me
Nunc gremio foveas, optime Chriſte, tuo.

Juſti Baierij Norici.

Conditur exiguâ Dux hâc Eberhardus in urnâ,
Qui veri functus Principis officio eſt.
Nam cum flagraret bello Germania tota,
Et Martis nullus finis in orbe foret.
Hîc ſolus rexit populos in pace benignâ,
Atque ſuæ genti jura quieta dedit.
Solus & hic artes fovit, ſpretisq; camœnis,
Et ſpretis ſtudijs præmia digna tulit.
Vtq; coli virtus meliùs, meliusq; doceri
Vt poſſent artes & ſtudia ingenua.
Hîc ubi cæruleus Suevorum Neccarus urbem
Alluit, egregiam condidit ille Scholam.
Ergò priùs piſcis gratas ſibi deſeret undas,
Ipſa priùs tellus gramina nulla feret.
Et priùs in terras veniens polus aſtra relinquet,
Deſeret hunc tantum quàm bona fama Ducem.

Digitized by Google

EPITAPHIUM ILLUSTRISSIMI Principis, Udalrici Ducis VVürttembergici, & ſepulchro eius affixum.

ILLUSTRISSIMUS Princeps Udalricus, Dux Württembergæ & Theckh, montiſque Pelicardi Comes, dum inter mortales fuit, varijs fortunæ procellis agitatus, & patriâ ſuâ deſtitutus, exilium quindecim annis conſtanter tulit. Quâ tandem recuperatâ, Sanctum Chriſti Evangelium ſyncerè prædicari curavit, idololatriam comminuit, potentiam Anti-Chriſti debilitavit, laudabilem Urbis hujus Inclytæ Scholam reſtituit, Doctis Profeſſoribus, juſtis ſalarijs, & ſtipendijs, avitos ſecutus mores, illuſtravit, Rempublicam prudentiâ non vulgari ſicſatis feliciter adminiſtravit: cujus gubernacula inter tot quoque graviſſimos adverſariorum inſultus, ad extremum uſque vitæ ſuæ habitum fortiter retinuit. Tandem DEO Optimo Maximo finem ærumnis dante, Spiritum cœlo, reliquum verò mortalitatis ſuæ hoc deponi voluit conditorio. Regnavit annos quinquaginta duos, menſes quinque, vixit annos ſexaginta tres, menſes octo, dies viginti ſex, Anno Chriſti quinquageſimo, menſe Novembri, die ſexto.

Hoc, Lector, potes æſtimare ſaxo,
Humani nihil eſſe non caducum,
Heroum quoniam tegit duorum,
Ebrardi Ducis oſſa, & Hulderici,
Ex ijs alter erat bonis amandus,
Ex ijs alter erat malis timendus,
Et dilectus uterque valdè Chriſto,
Corruptâ tamen hic uterque carne;
Letho depoſita, ſimul quieſcunt.

ORATIO

Digitized by Google

ORATIO QVARTA

IN LAVDEM PRAEPOTENTIS DEI, Honorem Illuſtriſſimæ Domus VVürttembergicæ, celebrationem Inclytę Academiæ Tubingenſis, à DIVO EBERHARDO, primo Duce VVürttembergico, ante annos centum fundatę, & à Principibus ſucceſſoribus clementer conſervatæ & auctæ, Habita, Anno Chriſti M.D.LXXVIII. die XX. Februarij.

A THEODORICO SCHNEPFFio, Sacroſanctæ Theologiæ Doctore, ac Profeſſore, nec non Eccleſiæ Tubingenſis Paſtore quondam vigilantiſsimo.

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI ET Domino, Domino Ludovico, Duci Würtembergico & Teccio, Comiti Montis Peligardi, &c. Domino ſuo Clementiſſimo.

ILLVSTRISSIME Princeps, Domine Clementiſſime, Ampliſſimo Univerſitatis Tubingenſis Senatui, & Cœnobiorum Præſulibus, viris ſapientiſſimis, viſum eſt, eam Orationem, quam ſuperioribus proximis diebus, de Academiæ anno Jubilæo (ut vocant) habui, edendam eſſe. Nam cùm olim annus ſecularis ab Ethnicis hominibus, non modò pompâ quadam, & apparatu ludorum magnificentiſſimo, haberetur, ſed carminibus etiam celebraretur, exiſtimârunt doctiſſimi viri, multò nos rectiùs memoriam noſtri jubilæi ſcriptis ad poſteritatem tranſmiſſuros eſſe. Et-

enim illa Ethnicorum feſtivitas, nihil præter ſuperſtitioſos cultus, & brevem oblectationem, quæ ex fictis fabulis, ludisque naſcebatur, habebat: noſtra autem illa, & ad laudem Præpotentis DEI, & ornandos eos Principes ſpectat, qui quamplurimos ad imitationem pietatis, virtutis, clementiæ invitare poſſunt. Deindè, quia nomen jubilæi, Romanenſium ceremonijs contaminatum, ijs, qui de hoc noſtro actu audiviſſent, nec qualis ille fuiſſet, intelligerent, inſolitum & cum ſuperſtitione conjunctum videri poterat, neceſſarium propè videbatur, eos hâc editione de rationibus inſtituti noſtri docere: nos in his præter gratiarum actionem, quæ in omnibus DEO immortali debetur, & gratitudinem erga Principes & Mecœnates Academiæ, nihil meditatos. Quæ cùm in nullius hominis juſtam reprehenſionem venire poſſent, ſed ad eas exercitationes referenda ſint, quæ ſtudium pietatis, & amorem literarum in animis adoleſcentum accendunt: ſperamus, bonos omnes conſilium noſtrum, ſi iſta legerint, eſſe probaturos. Optabam ſanè, ut alius, qui facundiâ ſuâ res tantas poſſet explicare, in his elaboraret: ſed quia à doctiſſimis viris, qui in Conſilio Univerſitatis ſunt, mihi hoc munus injungebatur, detrectare id non debui: nam planè mihi perſuadebam, ſi maximè in conatu deficerem, obſequium tamen meum, quod tantis viris præſtarem, nemini cordato diſpliciturum. Celſitudini verò veſtræ hanc Orationem mittendam exiſtimavi, cùm ea Illuſtri præſentiâ ſuâ actum iſtum majorem in modum exornaverit, ſumptu & conviviorum apparatu maximo commendaverit. Denique ſuam clementiam vultu, geſtu, ſermonibus ita probaverit Univerſitati, nemo ut ſit, qui non celſitudinis veſtræ illuſtrem quandam teſtificationem ſummi erga literas, literatosque ſtudij conſpexerit. Quo animo erg.. R:mpublicam Scholaſticam, ut nihil eſt præclarius, ita DEUM Optimum Maximum toto animo precamur, ut tanta nobis ornamenta clementer conſervet, efficiatque ut non modò poſteritas laudes illas celſitudinis veſtræ immortalitate dignos admiretur: ſed eos etiam eius ſucceſſores videat, qui patrium decus & ament, & imitentur. Valeat Celſitudo veſtra in Servatore Domino, qui eam Spiritu ſuo gubernet, omni benedictionum genere augeat, in omne tempus & ſervet, & tueatur, Amen.

Celſitudinis Veſtræ

Obſequentiſſimus

Theodoricus Schnepffius D.

ORATIO

ORATIO IN LAUDEM DUCUM VVürttembergicorum, & Academiæ Tubingenſis, eiusque Anni Secularis.

ILluſtriſſime Princeps Ludovice, Mecœnas Eccleſiæ & Studiorum Maxime, Domine Clementiſſime: Illuſtriſſimi Marchiones, Principes Laudatiſſimi: Rector Magnifice, Comites & Barones Generoſiſſimi: Conſiliarij Illuſtriſſimi Principis Sapientiſſimi & Digniſſimi: Abbates, Doctores, & Patres Ampliſſimi: viri nobilitate & imaginibus, doctrinâ, ſapientiâ, rerum uſu, & meritis in omnem Rempublicam Clariſſimi: concio omnibus modis ornatiſſima. Si, quod omnibus ſapientibus placuit, inprimis de noſtro, ad qué conditi ſumus, fine, cogitaverimus, nec Ethnicas, ſed Chriſtianas eâ in parte rationes fuerimus ſecuti, intelligemus, nos ad gloriam DEI conditos, quæ verâ gratitudine & veneratione, in omnem æternitatem celebranda ſit. Neque enim exiſtimandum eſt, nos, dum mortale hoc corpus circũferimus, in patriâ, proprijsque ſedibus verſari, ſed peregrinari, & quærere felicem illam & verè conſtantem Civitatem in Cœlis, undè & exſpectamus Servatorem Dominum. At verò cùm beati Spiritus illi, qui faciem Domini perpetuò intuentur, celebratione nominis divini nihil ſibi judicent eſſe antiquius, nos etiam, qui ad illud pulcherrimum Concilium adſpiramus, nullam functionem eâ majorem ducemus. Præſertim cùm DEI Optimi Maximi paternâ planè incredibilisque indulgentia, quę in tot eius beneficijs cernitur, fructum ſtudij, & conatuum noſtrorum omnium, ſuo quodam jure à nobis omnem repetat.

Et ego ſanè, cùm in congreſſibus Scholaſticis, vel Eccleſiaſticis illis concionem frequentiorem intueor, imaginem quandam beati illius cœtus, in quo ad tàm eximium opus laudationis elaboraturi ſumus, videre me exiſtimo. Facimus enim in iſtis exercitationibus Tyrocinia, ut aliquandò in æternâ Scholâ Sanctis Angelis pulcherrimi laboris ſocij adjungamur. Si autem fuit ullum tempus, quod me cœterosque omnes, de tantâ re commonefacere potuit, hodiernus certè is dies eſt, quo tot non modò Reipublicæ, ſed Eccleſiæ lumina, & in his Illuſtriſſimos Principes cõveniſſe videmus. Decet enim nos DEO bonorum omnium Autori, nomine Academiæ noſtræ, quam ipſius

clementia ad annum centeſimum non modò florentem , ſed novis ſubindè incrementis feliciorem conſervavit, auxit, amplificavit, eâ quâ poſſumus animi contentione, gratias agere. Quòd ſi ipſi Principes, ſi Illuſtri Nobilitate clari, ſi pietate, virtute, doctrinâ excellentes viri, factis etiam itineribus, hoc curant, ſi Angelorum in Cœlis ea fũctio eſt, ut laudent Creatorem ſuum, videtis vos adoleſcentes, quantum eâ in re ſtudium veſtrum, quanta cura, diligentiaque requiratur: qui cùm alia DEI innumera beneficia, tùm emolumenta etiam ſtudiorum in ſcholâ ampliſſimâ percepiſtis.

Utinam autem eam mihi natura dicendi facultatem fuiſſet largita, ut Oratione meâ ſtudium gratitudinis & acuere & accendere in animis juventutis poſſem: accederem certè ad hoc dicendi munus animo promptiſſimo. Sed cùm & ingenium tantæ rei magnitudini non reſpondeat, & ipſe intelligam, multorum me ſubiturum præjudicia, quòd unus audaciſſimus omnium, ſedentibus tot Doctoribus, Oratoribus, Poëtis, ſolus ad dicendum ſurrexerim, ſanè non leviter perturbor. Nemo enim eſt, qui non intelligat, quantum poſſit calumnia, cui ad defenſionem, vix ipſa innocentia ſufficiat. Sed cùm ampliſſimus hujus Scholæ Senatus hanc à me operam flagitaret, nec meas veriſſimas excuſationes audiret: ſic cogitavi, pluris eſſe faciendam tantorum hominum authoritatem, quàm eorum, qui ad calumniam inſtructi venirent, obtrectationes. Neque enim illi virtutis ſuę benevolentiæque (quam ſemper erga me ſummam ſum expertus) eſſe exiſtimârent, homini propè familiari, in juſtâ causâ, & eo periculo, quod & ingenij, & aliquâ ex parte exiſtimationis, creaſſe viderentur, patrocinio ſuo deeſſe. Fuiſſet autem ſuperbum, de tantorum hominum ſapientiâ dubitare, qui cùm hanc omnem Rempublicam Scholaſticam præclarè gubernent, haud dubiè ſui conſilij rationes graviſſimas ſunt habituri. Etſi autem meum non eſt, eas explicare, tamen ita exiſtimo, ſapientiſſimos viros judicaſſe, Illuſtriſſimos Principes, & tot doctos viros non indigere aliquâ commonefactione meâ, ut gratias Domino agant: (ſunt enim illorum omnes cogitationes & eruditæ, & ad veras rationes pietatis accommodatæ:) ſed meam omnem operam, ad vos adoleſcentes optimos pertinere, quos ut illi, ſuâ honorificâ præſentiâ (ſed tacitè) ad hoc opus pietatis cohortentur, ita me oratione, non illâ quidem ornatâ & calamiſtratâ, ſed planâ, hoc facere debere. Quod ſanè ipſum etiam mihi perſuaſiſſimum eſt, vos, cùm ad cœtera, quæ pietatis ſunt, ſitis dociles, in hoc quoque negocio non diſceſſuros ab ingenio veſtro. Ego verò, ne patientiâ Illuſtriſſimorum Principum, Nobiliſſimorum, Doctiſſimorumque hominum abutar, brevitati,

brevitati, quantum fieri poterit, ſtudebo.

Annus jam, quod fœlix fauſtumque Eccleſiæ Chriſti, & huic Academiæ ſit, centeſimus elapſus eſt, quòd hoc celebre omnium artium & ſcientiarum ſtudium, Dei Optimi Maximi clementiâ excitatum eſt: hunc annum, vel Secularem, vel ut Theologi, Jubilæum dicere poſſemus. Sed eum tamen nos nec more Hebræorum celebrabimus, (cùm ſciamus, ceremonias & forenſes Moſis Leges abrogatas) nec Romanenſium, qui perperàm Vetus Teſtamentum cum Novo permiſcent, & cumulant ſuperſtitiones de ſuo ingenio confictas, ſed ſecundùm rationes Chriſtianas inſtituemus. Videmus enim in naſcente Eccleſiâ nomina & dies anniverſarios quoſdam ſervatos, non ut ad veterem ſervitutem illa ſe adſtringeret: ſed beneficia, tùm vetera, tùm nova, gratâ mente renovaret. Eodem conſilio & nos uſi, centeſimi anni memoriam, remotâ omni ſuperſtitione, ad declarationem noſtræ erga Deum gratitudinis, adjũgemus. Docebimus enim, quàm luculenter Dominus clementiam, non modò in ponendis fundamẽtis hujus Scholæ, ſed eâdem etiam & conſervandâ, & augendâ, cùm præclaros ſubindè Fautores largiretur, tùm ex præſentiſſimis aſſerenda, demonſtraverit. Quod ut viâ ac ratione faciamus, ſequemur Illuſtriſſimorum Principum Württembergenſium, qui & conditores, & Patroni hujus Academiæ fuerunt, Hiſtoriam. Ita enim & ego cancellos mihi ipſi circundabo, ne mea Oratio evagetur longiùs: & adoleſcentes etiam intellecturi ſunt, quid à me in progreſſu exſpectare debeant.

Annus Jubilæus, ſive Secularis.

Tota nos Hiſtoria mundi docet, Dominum, cùm meditaretur, res mortalium generi maximè utiles, magnos & præclaros Heroas excitaſſe, per quos veluti canales maxima ad nos bona derivaret. Sic Hebræis Moſes & Aaron in ſervitute Aegyptiacâ: & iiſdem, cùm aliarum gentium jugo premerentur, fortiſſimi Judices & Bellatores, cùm ab exilio Babylonico revocarentur, Zorobabel, mittebantur. Cùm Servator Dominus patefacere vellet Evangelium ſuum toti Orbi, non ſolùm Apoſtolos Legatos & interpretes ſuos, ad genus humanum, ſed poſtea etiam Chriſtianos Imperatores, Conſtantinum & Theodoſium, dedit, quorum operâ effectum eſt, ut quàm plurimi in lucrum ipſi accederent. Cùm & Leges, & æquitatis rationes Dominus vellet à ſitu & ſqualore vindicare, Juſtinianum & Lotharium, Legum Inſtauratores, miſit. Sic cùm Barbariem & ſuperſtitionem è Germaniâ profligare, & literis ac Templis aliquandò ſuum nitorem reſtituere vellet: (neque enim longum tempus utrique beneficio interpoſitum fuit:) tales Principes dedit, qui & Religionis, & litera-

Digitized by Google

Maximilianus I. Romanorum Imperator.

rum eſſent amantiſſimi. Divus Maximilianus certè, primus ejus nominis, Princeps omni ſeculorum memoriâ digniſſimus, ita ſtudijs literarum oblectabatur, ut ipſe quotidiè aliquid commentaretur, & latus ipſius ſemper viris eximiè doctis ſtiparetur. Dux autem Eberhardus, quanquàm culpâ tutorum in primâ pueritiâ prohibitus fuerat, ne Latinam Linguam diſceret, tamẽ viros eruditos in precio habuit: & cùm ſæpè perturbaretur, ſibi in juventâ, auream illam diſcendi occaſionem negatam, ex Sacris & prophanis multa, & quidem magno ſumptu, transferri voluit, ut id quod neglectum fuerat, eâ ratione ſarciret. Et ſanè tantum ille profecit, ut non modò prudens, ſed ſapiens etiam haberetur: a : à Divo Maximiliano, graviſſimis deliberationibus Imperij adhiberetur, in quibus ſapientia & eloquentia ipſius ſingularis enituit: & quidem ita, ut, cùm Imperator Aurei Velleris ſocietatem præclaram (quam quis Concilium quoddam Heroum dicere poſſet) primus inſtitueret, Anno M. CCCC. XCII. hunc Principem, nomine ſapientiæ, & virtutis præſtantiſſimum, & qui hoc ampliſſimo ordine eſſet digniſſimus, in communitatem illius fœderis vocaret. Qui honos vel ſolus ſufficere illi ad gloriam perpetuam potuit. Sed voluit idem etiam, ut tantus Heros inter ſummos Principes numeraretur: itaque Anno Chriſti M. CCCC. XCV. XXI. Julij in Comitijs Wormatienſibus à Divo Maximiliano, primus Dux Württembergicus ſalutatur. Et ſanè eam laudem virtutis & ſapientię, non modò ad ultimos uſque Spiritus, ſed in ſepulchro etiam conſtitutus, magno omnium conſenſu retinuit. Etenim cùm Maximilianus Imperator ad defuncti ſepulchrum adſtitiſſet, ac magnam vim lachrymarum profudiſſet, in hæc verba erupiſſe perhibetur, reliquias corporis ejus Principis illo in monumẽto ſitas eſſe, quem ipſe in univerſo Imperio ſuo, virtute & ſapientiâ præſtantiſſimum habuiſſet: cujus etiam non modò fidem, ſed ſummum Conſilium in graviſſimis & impeditiſſimis rebus, magno Imperij emolumento fuiſſet expertus. Nihil certè hoc elogio majus & præſtantius, quod à Sapientiſſimo Imperatore profectum, cum ſempiternâ hujus Principis laude conjunctum eſt.

Eberhardus Aurei Velleris Eques.

Eberhardus primus Dux Würtẽbergicus ſalutatur.

Maximiliani Imperatoris teſtimonium de Eberhardo.

Eberhardus ſummus literatorum Fautor.

Sed ut ad inſtitutum ex hoc diverticulo revertar, Divus Eberhardus, (quem à promiſſiore barbâ Barbatum vocabant) cùm ſummus eſſet literatorum Fautor, ardentiſsimo ſemper ſtudio hoc egit, ut Academia floreret. Et cùm non modò Religio, ſed cupiditas etiam videndi Doctiſsimos quoſque, eum in Paleſtinam (Terram Sanctam vocamus) & Romam, aliaſque Urbes Italiæ pertraxiſſet, ac videret, bonas literas illìc magis, quàm in Germaniâ florere, etiamnum magis ipſius

Peregrinationes Eberhardi.

ipſius hàc in re ſtudium accendebatur. Quanquàm enim tùm multa erant Cœnobia, & ipſius etiam Celſitudo Synadelphingæ & Tubingæ duo excitaſſet, ac præterea novum Ordinem Divi Petri in amœniſſimâ Sylvâ Schönbuchianâ inſtituiſſet, extructo ibi magnifico Templo, & ædibus ad Cõtubernium illorum Fratrum ampliſſimis, tamen intelligebat Sapientiſſimus Princeps, non eum ſtudiorum fructum vel ad Monachos (inter tot occupationes Eccleſiaſticas) vel ab ipſis (ſi quid didiciſſent) ad omnem Rempublicam redire, quantus beneficio Scholarum in omni hominum vitâ cerneretur: quæ ſunt quaſi promptuaria optimarum rerum, imò velut ſcaturigines & fontes, ex quibus quatuor canales, Theologia, Juriſprudentia, Medicina, denique ſtudia humanitatis, in omne genus mortalium, dulciſſimas & ſaluberrimas aquas, ad benè beateque vivendum magnâ copiâ fundant. Perpendebat deindè apud animum ſuum, DEUM Optimum Maximum Ducatum Württembergenſem populi frequentiâ, copiâ bellatorum & fortiſſimorum hominum, agris & vitibus nobiliſſimis ac fructuoſiſſimis, ſalubritate aëris, metallis, thermis, præ cæteris Regionibus non modò exornâſſe, ſed ditâſſe etiam, ut ad ſuaviter vivendum nihil deeſſet, deſiderari autem præcipuum ornamentum, quod ad cultum ingeniorum pertineret.

Cœnobia duo Synadelphingæ, & Tubingæ extruxit, ac novum Ordinem Divi Petri inſtituit Eberhardus.

Eam autem jacturam maximè deplorandam, quòd, cùm his in locis omnia quàm uberrimè feliciſſimeque provenirent, animorum culturam eam, quæ exquiſitiſſima haberetur, negligi. Sed erat hujus Principis major etiam quædam ſollicitudo, quæ ſe non ad illam urbanitatis & eruditionis tranſmarinæ duntaxat, ſed pietatis etiam accuratiores rationes extenderet, quam etſi (ut tùm erat Summi Pontificis potentia & tyrannis maxima, quæ & Imperatores vellet ad oſcula pedum ſupplices eſſe) non patefaciebat omnibus, tamen certum eſt, Celſitudinem ipſius non modò in Clero, ut vocant, ſed ipſo etiam Romano Epiſcopo, multa deſideraſſe, & vitæ prorogationem gemitu votisque exoptaſſe, ut eum diem videre liceret, quo res Eccleſiæ in melius emendatæ, nitorem illum antiquitatis reciperent. Neque enim Maximus Princeps conjecturis duntaxat agebat, ſed cùm Religionis causâ anno M. CCCC. LXXXII. eſſet Romam profectus (ubi & à Sixto Pontifice Maximo, Aureâ Rosâ donatus eſt) multa vidit, quæ diſplicerent. Nam, ut alia præteream, cùm Divus Eberhardus, volente Pontifice, honoris gratiâ, à Cardinale ad Templum deduceretur, in ipsâ pompâ ad latus Principis ille à ſicario confoſſus cõcidit. Sed animadvertit & alia, quæ ipſius de rebus Romanis opinionem minuebant, ut intelligeret, illi ipſi, qui reformare cæteros vellet,

R reformatione

reformatione & correctione opus eſſe. Quæ ne de meo ingenio confingere velle videar, verba ex declamatione, quam Doctor Cunradus Summerhardus, ſummi tùm nominis Theologus (nam & Monarcham, & Phœnicem Theologorum vocabant) in eâ Oratione habet, quam in exequijs Illuſtriſſimi Principis publicè recitavit. Incomparabili (inquit) arſit deſiderio, ut eò viveret, quoad uſque Univerſale Concilium ad Reformationem Ecclesiæ fieret In Membris, atque Capite. Quis non intelligit, quanto indagandæ veritatis ſtudio Sanctiſſimi hujus Principis pectus arſerit? Quantò in illis Cimmerijs tenebris acutiùs perſpexerit, quid in Eccleſiâ deſideraretur, quàm multi alij, qui nomine eruditionis ſibi plurimùm placebant. Itaque quamvis tùm eſſent omnia quaſi erroribus & ignoratione profundiſſimâ ſepulta, tamen (ut ſuprà diximus) Dominus tùm quaſi viam quandam ſternebat, ad eam Reformationem, quam quidem Epiſcopi in Concilijs nullam fecerunt: verùm Domini conſilio, præter omnium opinionem, ſed emolumento ſummo Eccleſiæ, toti propè mundo patefacta eſt.

Cunradus Summerhardus, SS. Theol. Doctor, in Oratione de vitâ & rebus geſtis Eberhardi Ducis Württeberg.

Præſagiebat jam antè animus Illuſtriſſimi Principis, tale quid aliquandò futurum eſſe: itaque in ſpem propè indubiam erectus, ſe & Reipublicæ ſuæ, & Sacris quàm optimè conſulturum, Univerſitatem tùm Tubingenſem, Anno Chriſti M. CCCC. LXXVII. V. Nonas Julij, approbante hoc majorem in modum matre Mechtilde, Archiduciſſa Auſtriæ, & Patruo Udalrico, Comite Württembergenſi, erexit, & Calendis Octobris ejuſdem anni Profeſſores omnium Facultatum primas Lectiones dederunt. Conſilium primum in die Divi Dionyſij anni illius in Univerſitate habitum. Primus Univerſitatis Rector electus eſt Johannes Nauclerus, Decretorum Doctor. Qui & Illuſtriſſimi Principis Eberhardi Præceptor, Chronicæ Hiſtoriæ, quæ hodiè etiam habetur, Author fuit. Johannes Stein Schorndorffenſis, primus Decanus artium creatus eſt. Viceſimâ ſextâ Octobris ejuſdem anni primum examen Baccalaureis apertum eſt. Anno inſequente ſeptuageſimo octavo, XIX. Ianuarij prima fuit Magiſtrorum promotio, in Templo Divi Georgij. Primas tùm habuit Jacobus Fabri Uracenſis, inter ſeptem Candidatos. Quæ ego propter eos inſerenda Orationi noſtræ putavi, qui antiquitatis ſtudioſi, accuratam in his etiam diligentiam ad oblectationem requirunt. Quanquàm autem ut in cæteris etiam initia ſatis exilia fuerunt, tamen Illuſtriſſimus Princeps omni curâ & diligentiâ hoc egit, ut Academia ſarta tecta eſſet; itaque eam loco amœniſſimo Ducatus cōdidit: & quidem etiamnum hodiè ab exteris, qui ad mercaturam bonarum artium hûc veniunt, eo nomine commendatur. Et quia tùm

Eberhardus Academiæ Tubingenſis Fundator.

nondum

nondum erant extructæ ædes Contubernij (quas tamen Dux laudatiſſimus poſtea & amplas, & præclaras, quales hodiè videmus, à fundamẽtis excitavit) quatuor domos Contubernales curavit, quarum ſingularum inſpectio ſingulis Magiſtris, qui tùm eminebant, commiſſa fuit. Viri Docti tùm ex omnibus Univerſitatibus arceſſebantur, ac honeſtis ſalarijs conducebantur: nam Princeps redditibus annuis munificentiſſimè Scholam dotavit, ita ut Maximus Heros in hâc re & promovendâ, & augendâ, non ſolùm Clementem Principem, ſed indulgentiſsimum ſe Patrem oſtenderet. Et ſanè, ut rebus ipſis parentes propitios imitabatur: ita etiam verbis id eſt teſtatus: nam ſtudioſos filios ſuos appellabat: prætereuntes voce, & ſi aliter fieri non poterat, nutu ſalutabat: Rectorem ac Profeſſores ſæpè, maximè autem cùm ex Italiâ rediret, vocabat, & non modò clementer, ſed propè familiariter & ſalutabat, & cum eis de graviſsimis rebus deliberabat. In diſceſſu commendabat eis ſuos filios (intelligebat autem, ut diximus, eos, qui ſtudiorum causâ hûc venerant) additâ ratione honeſtiſsimâ, eos à parentibus, qui genuiſſent, ſpe profectus hûc eſſe, veluti ad alteros Patres, miſſos.

Principis Eberhardi munificẽtia atque liberalitas.

Ducis Eberhardi humanitas, & familiaritas.

Quid potuit ab eo, qui in ampliſsimâ fortunâ conſtitutus erat, fieri clementius, humanius, & ut dicam quod res eſt, demiſsius? Sed ea res ita nihil ſummis laudibus hujus Principis detraxit, ut fama clementię ipſius omnes partes Orbis terrarum pervagaretur, ac omnes docti & ſtudiorum amantes, eum non ſolùm parentem patriæ, ſed literarum & omnis humanitatis appellarent, & certatim Tubingam, veluti matrem ſtudiorum confluerent, quam celebritatem D E I beneficio, hæc Academia ad hunc uſque diem retinet. Non potuit certè ſapientiſsimus Heros tàm benè mereri de ſuis populis, ſi vel Pactoli opes, vel novas auri argentique venas reperiſſet, quàm quòd tot theſauros optimarum rerum, quibus animi ad pietatem, humanitatem, ac omnes officij rationes excoluntur, excitato tàm præclaro Gymnaſio, in Ducatum ſuum invexit. Illæ enim brevem temporis uſuram ad voluptates mox nocituras ſuppeditare paucis hominibus poterant: Academia autem rerum ad benè beateque vivendum copiam, ad innumerabilium hominum veriſsimas ſuavitates, cum æternis emolumentis cõjunctas, attulit. Quis non dicet, hæc divinitùs huic Ducatui contigiſſe? Quis non fatebitur, immortalis D E I beneficio hanc Rempublicam Scholaſticam conſtitutam? Quis tandem dubitaverit, has tantas res ipſi Numini adſcribendas? Solet enim aliâs ignoratio rerum iiſdem contemptum creare: indè fit, ut plerunque ij, qui literis humanioribus imbuti non ſunt, cultores earum deſpiciant: at Divus Eber-

R 2 hardus

Eberhardus literarum amātiſſimus.

hardus divino planè conſilio impulſus, cùm literatus non eſſet, non modò illas amavit, admiratus eſt, provexit, ſed ad omnem poſteritatem propagare ſtuduit. Quis non videt, indulgentiâ DEI ſingulari, tùm in hâc ipsâ Scholâ bonas literas quaſi renatas, & ſuo nitori reſtitutas, cùm Dominus multos præclaros viros ad ornandam hanc Academiam mitteret, & in his Doctiſsimum Capnionem, qui Latinas & Græcas literas à ſummâ Barbarie vindicavit: Hebræas autem omninò ignoratas in lucem, & hominum admirationem produxit? Quis non miretur ſubitam illam rerum Scholaſticarum commutationem, ut qui modò ex ſpinoſis Scholaſticorum Diſputationibus nihil quàm obſoleta & barbara afferebant, mox ſolidam & elegantiorem eruditionem & amare inciperent, & ad eam toto conatu elaborarent? Hujus beneficij is certè Author fuit, qui Sanctos Apoſtolos in die Pentecoſtes dono linguarum ad omnium populorum, nationum & gentium ſalutem, uno momento inſtruxit. Denique nemo non intelligit, Dominum hanc Academiam, ſtatim ab initio, non ſolùm ad incredibiles mortalium utilitates inſtituiſſe, ſed voluiſſe etiam ornatiſſimam: cùm ei ſub Divo Eberhardo initiū dederit, qui primus Würtembergenſium Dux fuit: cùm etiam circa ea tempora illam excitârit, quibus Friburgenſis, Baſilienſis, Ingolſtadiana, Moguntina, celebres Academiæ fundatæ ſunt: haud dubiè ſignificaturus, Tubingenſem fore laudatiſsimam, cùm tot ei quaſi ſorores adjungeret, eamque in his & propter politiorem literaturam, & famam novi Ducis (cujus nunquàm eſt intermoritura memoria) vellet eminere. Non poteſt certè noſter animus tãtam Domini erga Tubingenſem Academiam Clementiam capere; multò autem minùs ingenij noſtri tenuitas rei magnitudini ſatisfaciet: ſed ſatis eſt, ſi intelligatis, adoleſcentes, tot tantaque beneficia Domini acuere in nobis ſtudium pietatis, & veram gratitudinem debere. Et ſanè, ſi nulla alia Numinis in nos beneficia extarent, quàm ea, de quibus hactenus diximus, ampliſsimus nobis campus aperiretur, ad prædicandas veriſsimas Domini laudes: ſed indulgentiſsimus pater defuncto Divo Eberhardo, & Eberhardo juniore ultrò Imperio cedente, nova ſpecimina clementiæ ſuæ dedit, ſub Illuſtriſsimo Principe Divo Udalrico excellentis recordationis. Nam Celſitudo ipſius præclarum illud depoſitum non modò fideliter aſſervavit, ſed auxit etiam.. Cujus rei teſtimonium ampliſsimum perhibent tot docti & clari viri, qui ſub ipſo, & Divo Eberhardo in Academiâ Tubingenſi floruerunt. D. Cunradus Summerhardus, Philoſophus & Theologus: D. Jacobus Lemp, Theologus: D. Georgius Lamparter Cancellarius: D. Wendelinus Steinbach: Henricus Bebelius.

Profeſſores Academiæ Tubingēſis tempore Eberhardi Ducis.

lius Poëta: Johannes Stœfflerus, Mathematicus inſignis: D. Martinus Plantsch, Stipendij, quod ab ipſo Martinianum vocatur, Fundator: Philippus Melanchton, lumen illud Germaniç, & alij multi, quorum brevitatis ſtudio mentionem non facio. Fuerunt in his nonnulli, qui videbant, multa in Clero jure accuſari poſſe, itaque D. Summerhardus libellum ad Monachos ſcripſit, cujus argumentum eſt, multa in iſto hominum ordine deſiderari, inprimis autem, quòd Monachi Sacris Literis non diligenter invigilent, & ſint idololatræ, ſerviẽtes ventri, & alia nonnulla, quæ commemorare longum foret. Animadvertimus, doctos viros tùm nonnulla vidiſſe, ſed ad tantam rem non ſatis animi attuliſſe, cùm potentiæ Romanenſis Epiſcopi palàm ſe opponere non auderent. Cùm ergò Academia Tubingenſis tot doctrinæ & eruditionis haberet lumina, apud omnes ſummâ in admiratione fuit, ita ut ab eâ aliarum Scholarum coloniæ ducerentur. Inprimis autem, cùm Dux Saxoniæ Elector, Witebergæ Academiam inſtituere vellet, Tubingâ doctiſſimos Profeſſores, & in his Philippum Melãchthonem, evocavit. Quantum ergò iſti Scholæ, operâ tanti viri, ornamentorum acceſſit, id certè omne Academiæ noſtræ debet, per quam ampliſſimi illius Gymnaſij fundamenta jacta ſunt. Et cùm Clariſſimus etiam ille vir in repurgandâ Religione fideliſſimum ſe παραστάτην per multos annos Luthero adjunxerit, dubium non eſt, Tubingenſem Academiam in ſocietatem etiam illius laudis venire. Quod ſanè ita verum eſt, ut id Wittebergenſes haud ita pridem edito carmine luculenter ſint teſtati. Putârunt enim gratitudinis ſuæ eſſe, memoriam tanti beneficij oblivione non obruere. Poſtea verò quàm Domini beneficio Academia ita floruit, triſtia tempora interpoſita ſunt & periculoſa bella: tandem etiam optimus Princeps Divus Udalricus Regno pulſus, triſte ſui deſiderium omnibus ſubditis, in primis autem Senatui & Scholæ reliquit. Nam cùm exemplo Divi Eberhardi paternum planè animum erga literatos induiſſet, & omni conatu res Univerſitatis augeret, promoveretque, videbatur Univerſitas, ceu avulſo à membris capite, in ipsâ patriâ exulare. Domini tamen clemẽtiâ effectum eſt, ut abſente etiam patrono, ipſa ſarta tecta maneret, nec aliquid mutaretur; cujus divinæ protectionis nomine, ſempiternas Deo gratias debemus. Tantus autem in conſervandis beneficijs magnus ille εὐεργέτης artifex eſt, ut in illo luctuoſo Illuſtriſſimi Principis, excellentis memoriæ, exilio, novas rationes ornandæ & amplificandæ Academiæ Tubingenſis meditaretur. Etenim quemadmodùm Moſes & David exules magno ſuorum commodo ab exilio ſunt revocati: alter enim libertatem ſuo populo, alter cum libertate inſtau-

Udalricus Princeps Würtébergenſis exiliũ paſſus.

rationem verorum cultuum & totius Reipublicæ attulit: ita Divus Udalricus, cùm Domini beneficio Ducatum recuperaret, theſaurum incomparabilem purioris doctrinæ Evangelicæ ſecum attulit, & non modò Eccleſias Ducatus ſui, verùm etiam Scholam ab erroribus Romanenſium repurgavit. Sic enim exiſtimavit Sapientiſſimus Princeps, nunquàm de veris rationibus pietatis conſtare poſſe, niſi fontes illi publici (quos ſuprà diximus, eſſe Academias) ex quibus ad omnẽ Rempublicam ſalutaria conſilia emanare ſolent, purgentur. Magnis ergò impenſis undique viros doctos vocavit, ut dextrè Sacras Literas explicarent, & juvenes præpararent ad publicum munus docendi in Eccleſiâ. Quia verò optimus Princeps animadvertebat, plures ad ſtudia Juridica & Medica, quàm Theologica feſtinare, ne deeſſent Ducatui idonei homines, qui populum de Religione docerent, ſtipendiarios, ſive beneficiarios quàm plurimos in Univerſitate honeſtis ſtipendijs aluit. Quæ ſanè res ad concordiam & conſenſum doctrinæ plurimùm valet, cùm ij, qui ſub ijſdem Præceptoribus Sacra didicerunt, Miniſterijs Sacris illis præficiuntur. At cùm hoc deploratiſſimo ſeculo conſuetudo vivendi eò evaſerit, ut jam in omnia turpitudinis flagitia adhæſerit, & quidem ita, ut in ſummâ turpitudine opinio pulchritudinis retineatur, ac vitia nomina virtutum induerint; ne ſtipẽdiariorum illorum ætas lubrica ad vitæ licentiam ablata, omnẽ ſpem emolumenti Eccleſijs præcideret, unis in ædibus, quas magnificas ſanè donavit, habitare voluit, in quibus inſpectores morum & ſtudiorum oculatiſſimos haberent. Nec Celſitudinem ipſius fefellit ſpes illa, ſed evẽtûs proſperitate ſuperata eſt. Nam non ſolùm ea ratio ad innocentiam tuendam illis majorem in modum profuit, ſed etiam ad acuendam ſtudiorum alacritatem. Solomon enim Regum ſapientiſſimus prçclarè dixit: ut ferrum ferro acuatur, ita virum à viro excitari. Et Cicero inquit, magnam in diſcendo vim habere ſtudium conferẽdi, quod συζήτησιν vocat. Ita in Collegio etiam illo Principis, congreſſus Scholaſtici & exercitationes, incredibiles hactenùs quàm plurimis utilitates attulerunt. Sed non ſolùm in beneficiarios ſuos munificus fuit: verùm totam etiam Univerſitatem novâ & quidem magnâ redditũum acceſſione locupletavit. Videbat enim, in iſtis temporum difficultatibus precia omnium rerum creviſſe: itaque cùm vellet Profeſſores honeſtis ſalarijs conduci, res Academiæ majorem in modum auxit. Inſtaurationem etiam domus Univerſitatis, quæ ante annos multos conflagraverat, ſuis impenſis promovit, ne ærarium Univerſitatis, ſi ſola ædificaret, exhauriretur. Profeſſores ſub hoc Principe in omnibus Facultatibus inſignes fuerunt: quorum alij quidem jam vitâ
functi,

Digitized by Google

functi,ſcriptis ſuis vivunt, alij adhuc ſummâ laude docent: nec opus eſt,ut nomina, quæ omnibus ſunt propter inſignem ipſorum eruditionem notiſſima,cum moleſtiâ hûc congeram. Quis non dicet,hunc Principem ſtudijs humanioribus natum, & ad Rempublicam Scholaſticam augendam ac amplificandam factum eſſe? Fuit hujus in hoc pietatis & literarum ſtudio ſimillimus,Illuſtriſſimus Princeps & Dominus, Divus Georgius, Comes Württe mbergenſis & Mompelgardenſis, Dominus ſupremus Hericuriæ &c. Divi Ulrici frater conſanguineus, Princeps immortali gloriâ dignus, qui non modò ſummâ laude ſubditos ſuos rexit, ſed pietatis ac purioris doctrinæ ſtudio ita flagravit, ut pro eâ omnia fortunarũ & incolumitatis pericula ſubire non dubitaverit. Non quidem fert inſtitutæ brevitatis ratio, ut de eâ re dicam prolixiùs: ſed loquuntur de eâ ſubditorum ſtudia; & veriſſimæ pietatis & virtutum laudes, quæ nunquàm intermori poterunt. Commendant etiam præclarum hoc deſiderium promovendæ Religionis,ſtipendia, aliquot florenorum millibus, in Academia Tubingenſi à Celſitudine ipſius fundata, quibus etiamnum hodiè beneficiarij Mompeligardenſes,ſtudijs Theologicis dediti,fruuntur. Quis non animadvertit,divino propè Conſilio (ut interim de ſummâ munificentiâ verba non faciam) hæc ab Illuſtriſſimo illo Principe inſtituta? Videbat enim, quantum ad conſenſum doctrinæ, quantum ad animorum conſpirationem, & optatam in Eccleſiâ pacem faceret, ſi tenera ætas, à primis ſtatim annis, ſub Præceptoribus communibus, ad puram ſolidamque pietatis doctrinam erudiretur. Quo ſanè loco, ſine nefario ſcelere præteriri non poteſt Celſitudinis ipſius filius, Princeps Illuſtriſſimus,Comes Fridericus,qui patrem in omnibus illis ornamentis præclarè imitatur:tantoque literarum ſtudio ardet, ut in hâc Academiâ,percipiendi ingenij cultus gratiâ,per triennium, & ampliùs,verſatus ſit: Philoſophiam utiliter & eleganter Theologicæ permiſcuerit:cum viris doctis de Religione,& alijs graviſſimis rebus contulerit:Recturam etiam Scholæ ſummâ laude geſſerit. In ea enim clementiæ & præter ætatem, prudentiæ, ſtudijque ſui erga omnem Rempublicam Scholaſticam,præclara ſpecimina dedit. Quorum omnium memoriam nulla unquàm ex animis Doctorum delebit oblivio. DEUM Optimum Maximum precamur, ut Celſitudinem ipſius ad emolumenta Eccleſiæ, quàm diutiſſimè conſervet incolumem.

Georgius Comes Würtẽbergenſis, Divi Ulrici frater conſanguineus.

Stipendium illuſtre.

Fridericus Comes Würtẽbergenſis Divi Georgij filius.

Verum,ut ad Divi Udalrici tempora redeamus,cùm ſub ipſius Celſitudine DEI beneficio, tantus bonorum cumulus in hanc Scholam conferretur,grave & periculoſum bellum Germanicum exortum eſt: quod videbatur non modò hujus Academiæ, ſed cæterarum etiam,

Bellum Germanicum.

quæ Chriſtum profitentur, res omnes everſurum. Nam Romanenſes, cùm victoriam jam exploratam habere ſe exiſtimarent, fulmina anathematum jaciebant, & hoc agebant, ut omnes pij Doctores in Templis & Scholis, præcipuè autem noſtra, proſcriberentur. Et profectò ea tùm erat rerum facies, ut multi de totâ re deſperare velle viderentur. En autem DEUS Optimus Maximus, cui meritò omnes noſtros conatus ad gratitudinem & obſequium offerre debemus, ὡς ἀπὸ μηχανῆς nobis adfuit: puriorem doctrinam & in Eccleſiâ, & Scholâ clementer ſervavit: & quamvis Hiſpani, qui paſſim in Ducatu miſeros Cives affligebant, majorem in modum cuperent amœniſſimam Tubingam perturbare (quod ſanè abſque detrimento Univerſitatis maximo fieri non potuiſſet) tamen Numinis providentiâ & benignitate effectum eſt, ut eorum nullus hûc pedem ferre auderet. Quis non palparet in his luculentiſſima indicia præſidij divini? Cujus mẽs non ad gratitudinem perpetuam accenderetur? Cui Studioſo non rapiatur animus ad celebrandas Domini laudes, qui tãtopere pro hâc pulcherrimâ ſede & ſtatione ſtudiorum evigilavit?

Divus Chriſtophorus Dux Würtembergẽſis.

Quanquàm autem ea beneficia tanta ſunt, ut nullius hominis, vel eloquentiſſimi etiam, oratione explicari poſſint, tamen ſcimus, Dominum excellentiora etiam nobis largitum, cùm delitias illas generis humani, Divum Chriſtophorum, Illuſtris memoriæ, nobis poſt Udalricum daret. Non dicam jam id, quod in Oratione noſtrâ Funebri prolixè antè hæc tempora propoſitum fuit, Divum Chriſtophorum Principem fuiſſe incredibili Sapientiâ, Juſtitiâ, Gravitate, Conſtantiâ, Excelſitate & moderatione animi præſtantiſſimum: (nam & res ipſa loquitur, & gloria rerum præclarè ab ipſo geſtarum ad omnes partes Orbis terrarum divulgata, & omnium ſermonibus percelebrata eſt) ſed paucis tantùm id, quod propoſiti noſtri eſt, oſtendam. Celſitudinem ipſius in hoc præclaro ſtudio promovendarum literarum tanto intervallo, & Fundatorem, & patrem pòſt ſe reliquiſſe, quanto illi cæteros Principes eâ in parte laudis ſuperârint. Nam cùm Sapientiſſimus Princeps plurimùm intereſſe inter pecuarium, & gubernatorem Reipublicæ judicaret, quòd ille curet, ut pecus corporibus quàm optimè habeat, hic autem, ut ſubditi paſtu illo animorum ad immortalitatem reficiantur, omni curâ & attentione hoc egit, ut ſalutaris doctrina in Scholis & Academiâ ſonaret, & removerentur omnes corruptelæ, quas obtrudere Epiſcopus Romanus jam multis locis cœperat. Videbatur enim Pontifex jam in plenam poſſeſſionem omnium Germaniæ Eccleſiarum collocatus, cùm & victorem ſe ad omnia obſequia paratum habere ſibi perſuaderet, & Anathemata Tri-

denti

denti jam eſſent cum pompâ promulgata. In eo ergò extremo periculo, cùm de Ducatu, & omni Republicâ Württembergenſi ageretur, Illuſtriſſimus Princeps, invicto planè animo, omnia pericula priùs adire voluit, quàm committere, ut & Templa, & Tubingenſis Academia, opinionibus ſuperſtitioſis contaminarentur. Sunt inter plebejos multi, qui propter Eccleſiæ & purioris doctrinæ profeſſionem, ne ligulam quidem exarmatam vellent amittere: Divus Chriſtophorus, conſtantiſſimus Heros, cùm de ampliſſimo Ducatu, & omnibus fortunis ageretur, Eccleſias & Scholam negligere noluit. Pauca, mihi credite adoleſcentes, tùm talia exempla Conſtantiæ apud Magnates extabant, cùm omnes ferè trepidarēt, Romanenſibus palàm ἐπινίκιον & Claſſicum canentibus. Sed erat tùm animus Principis etiam ita excelſus, ut nō modò veritatis doctrinam profiteretur, ſed Academiam Tubingenſem vellet eſſe miſerorum exulum Aſylum, ita, ut qui alibi à ſuis propter animi conſtantiam neglecti, carceres & pericula vix evaſiſſent, Tubingæ Sacra profiterentur, & à Principe honeſtis ſalarijs conducerentur. Ergò quod de vitâ urbanâ, & adminiſtratione Politicâ Architas quidam, referente Ariſtotele, dixit: idem eſſe bonum Principem, quod aram, quia ad utrumque confugiant, qui injuriâ & vi opprimantur: id in negocio Religionis verè de Divo Chriſtophoro dici poteſt, ad quem tùm omnes injuſtè oppreſſi & exules, veluti ad ampliſſimum libertatis campum, confugiebant. Deum Immortalem, quot in illâ æternâ & beatâ vitâ coronæ, quot triumphi iſti Principi decreti ſunt, qui tot membra Chriſti egena ſuſcepit, recreavit, aluit, honoribus & opibus auxit: cùm Servator Dominus in hoc genere beneficentiæ, potum etiam frigidæ aquæ, qui ſuis exhibeatur, remuneraturum ſe polliceatur? Diximus de unâ re, quam Divus Chriſtophorus, aut cum nullis, aut certè paucis Principibus communem habuit: ſed hûc accedit illud alterum, non minùs admirandum, quòd Princeps iſte, de alijs etiam Eccleſijs ita ſollicitus fuit, ut non modò pro ipſis intercederet, ſed Legatos etiam mitteret in Gallias, & alia multa loca: imò etiam Tridentina fulmina non reformidaret: ſed ex Scholâ & Ducatu homines idoneos mitteret, qui ſe palàm Antichriſto opponerent: quæ res multorum animos confirmavit. Dies me deficeret, ſi ordine percenſere duntaxat vellem, quot Miniſtros (quos Celſitudo ipſius magnis impenſis in Academiâ aluerat) Principibus, Comitibus, Baronibus, Civitatibus Imperialibus, Academijs, Scholis miſerit, & operam ipſorum ipſis donaverit. Quis non laudaret ex animo & Deum Optimum Maximum, & tàm pium Principem, à quibus ex Academiâ Tubingenſi tot ſalutares fontes ad multorum ſalu-

tem ſunt derivati? Quid quòd prælum Tubingenſe ijs etiam profuit, qui in extremis finibus Styriæ & Croatiæ vivunt. nam beneficio doctorum virorum,& impenſis Illuſtriſſimi Principis, & aliorum, Sclavonicâ linguâ,Typis antea non expreſſa,nunc multis populis, & Teſtamentum Novum,& Catecheſin Brentianam,ac alia multa, incredibili utilitate piorum ſuppeditavit. His ornametis Illuſtriſſimi Principis & hoc accedit,quòd multi ea, quæ à majoribus ad pios uſus collata ſunt,in privatos avertunt. Dux Chriſtophorus Cœnobia priſtino nitori reſtituit, dum officinas illas ſuperſtitionum, ac fœdiſſimarum voluptatum, in Gymnaſia convertit, ex quibus ſeminarium habet Academia Tubingenſis. Præterea Stipendium à Domino Patre inſtitutum, annuis redditibus, & numero Studioſorum majorem in modum auxit: ædes magnificas prioribus illis ſumptu maximo adjunxit: & quod ſanè admiratione eſt digniſſimum,ipſe intereſſe voluit, cùm de ſtructurâ eius domus ageretur, ut omnia non modò ad commoditatem Studioſorum, ſed amœnitatem etiam extruerentur.

Adeò verò flagravit animus ſummi Principis, ad amplificandam Academiam, ut exterorum etiam Profeſſorum operam conduceret, quibus ex ſuo ærario ſalaria honeſtiſſima conſtituit. Etſi autem non omnes exſpectationi Celſitudinis ipſius reſponderunt, nihil defuit tamen ei ad ſummum conatum in re tàm honeſtâ & præclarâ.

Habuit putereà,quæ diximus,Princeps ille ſingulare donũ,quòd & ipſe eſſet pacis,concordiæque amantiſſimus, & beneficio Domini eam etiam ad ultimos uſque Spiritus retinuit in Ducatu. Itaque quẽadmodùm Divus Eberbardus Probi nomen, ita ipſius Celſitudo Pacifici,conſenſu omnium, & quidem adverſariorum etiam eſt conſecuta. Et ſanè tranquillitas illa mirificè profuit ſtudijs. Ut enim inter arma leges,ita & literæ ſilent. Multa prudens prætereo, quæ de ſtudio ipſius erga Rempublicam Scholaſticam ſingulari luculenter dici poterant, ne patientiâ veſtrâ abutar: ſed unum duntaxat addam, quod ſanè dignum eſſe, & memoriâ, & attentione noſtrâ ſummâ judico. Dixi ſuprà,Maximilianum Imperatorem,eius nominis Primum,Ducem Eberhardum ſapientiæ nomine cæteris omnibus antepoſuiſſe, ac acerbiſſimum dolorem ex funere tanti Principis cepiſſe: idem planè divino conſilio per Maximilianum Secundum Divo Chriſtophoro contigit, niſi quòd encomia Principis alijs etiam verbis auxit. Nam cùm nuncium de morte ipſius accepiſſet,& illachrumaſſe, & prolixo animo teſtatus dicitur, hunc unum Principem Sapientiâ & Pietate reliquis antecelluiſſe, & maximo diſpendio Imperij Romani præmaturâ morte abreptum, id quod poſtea etiam ad alios Principes ſcripſit.

ſcripſit. Mirum ſanè, utrumque Principem ab Imperatoribus laudatiſſimis, & quidem Maximilianis, interpoſitis tot annis, teſtimonium virtutis & pietatis tàm luculentum, quod ad omnem poſteritatem meritò valere debet, datum eſſe. Prædicavit Alexander Magnus fortunam Achillis, quòd Homerum laudatorem habuiſſet: noſtri autem Principes non ſolùm à Poëtis, ſed Sapientiſſimis etiam Imperatoribus Sapientiæ nomine celebrantur, quod in magnâ parte laudis & fortunæ ipſorum ponendum eſt. Imò verò tota ea res ad verum Authorem referenda eſt, DEUM Optimum Maximum, qui corda iſtorum Heroum ad præclara illa conſilia, & favorem ſtudiorum flexit: nec unquàm committendum eſt, ut tanta beneficia oblivione obruatur.

Reſtat poſtrema Orationis meæ pars, ut de eâ Domini Clementiâ dicam, quam hodiè nobis, qui in hac Univerſitate vivimus, luculenter demonſtrat. Nam ipſius ineffabili bonitati debemus, quòd nunc Illuſtriſſimum Principem patris ſimillimum habemus. Neque enim nobis cum Ethnicis ſentiendum eſt, in majoribus & poſteritate non modò ſanguinis, ſed virtutum & pietatis cognationem eſſe. Niſi forſan reprehendendus Auguſtinus eſt, qui dixit, pios parentes, non eâ parte, quâ regenerati ſunt, ſed quâ vetuſtatem Adami ſequuntur, liberos procreare. Certè ſæpè magnorum Heroum filij virtutes parentum non modò non imitantur, ſed vitijs etiam ſuis obſcurant. Et ex Sacris certum eſt, bonos & pios Principes donum eſſe DEI ſingulare: quemadmodùm cùm ira ipſius exarſerit, eoſdem è medio tollit, & ſubſtituit pueros, gerendæ & adminiſtrandæ Reipublicæ inutiles. Quòd ergò pòſt tanta ornamenta Reipublicæ, & tres præclaros Principes, quartum etiam largitur, id ad ſingularem curam, & paternam Numinis erga nos indulgentiam referendum eſt. Quâ de re mihi ſanè dicere difficile eſt, tùm quod ea omnium opinione major, vel Ciceronianam eloquentiam requirat, tùm quòd præſentia veſtra, Illuſtriſſime Princeps, me non ſolùm ſollicitum, ſed trepidum etiam reddat. Novi enim, veſtram Celſitudinem veriſſimas laudes coràm non velle audire: itaque in eâ parte Argumenti, quæ curam Oratoris maximam requirit, video mihi à Celſitudine veſtrâ ſilentium imponi. Quod cùm ipſi placere unicè ſentiam, nihil de ſummâ pietate, quâ veſtra Celſitudo Dominum Patrem præclarè refert, nihil de prudentiâ, quæ ſupra ætatem ſe præclarè in eâ oſtendit, nihil de Clementiâ erga bonos, æquitate erga ſubditos, curâ erga pauperes & miſeros, Juſtitiâ erga univerſos, munificentiâ in omnes, in præſentiâ dicam: loquuntur enim ipſæ virtutes veſtræ, Illuſtriſſime Princeps, prædicant illa dona præclara ſubditi, admirantur exteri, laudant & docti & indocti,

Digitized by Google

quæ fama & gloria, ut à me explicari nequit, ita nullo unquàm tempore in omni ſeculorum poſteritate intercidet aut extinguetur. Hæc cogitatio facit, ut nos omnes veſtræ Celſitudinis ſubditi hodiè ſeriò exultemus, quòd audiamus, eam jam ad pleniſſimam Regni ſui adminiſtrationem acceſſiſſe. Etenim cùm Tyrocinia Celſitudinis veſtræ in gubernandâ Republicâ tàm pręclara fuerint, antequàm ea ſecundùm Teſtamentum Domini Parentis Chriſtophori (à quo ne ad latũ quidem unguem pro ſuâ ſingulari pietate diſcedendũ ſibi putavit) ſummæ rerum præficeretur, quis non videt, quantum univerſa Reſpublica in poſterum de veſtrâ Celſitudine ſibi promittere debeat? Gratulamur ergò Celſitudini veſtræ, Heros maxime: gratulamur Eccleſiæ: gratulamur Reipublicæ & Scholæ noſtræ, tantam ſpem patriæ poſt Divum Chriſtophorum redditam, tantum decus divinitùs nobis cõtigiſſe: tàm præclarum ὑπερασπιστὴν Eccleſiæ donatum. Teque Chriſtum Optimum Maximum, Servatorem generis humani, in cujus manu ſunt omnes Principatus, ardentiſſimis votis precamur, ut initia & progreſſus pientiſſimi hujus Principis divinâ tuâ Majeſtate proveshas, miſericordiâ complectaris, ſapientiâ gubernes, divinâ tuâ ope ſemper tuearis. Da Clementiſſime Deus, ut tãto bono quàm diutiſſimè fruamur: neque nobis noſtra intemperies obſit, ut quod clementer nobis exhibuiſti, antea nobis eripiatur, quàm fructum eius percipiamus. Largire Miſericors Deus, ut tantum præſidium humani generis ad multos annos, plurimorumque ſalutem, ad tuam inprimis gloriam amplificandam, conſervetur, & aliquandò filios ſui ſimiles ad perpetuam ſpem Eccleſiæ & Reipublicæ relinquat. Quanquàm autem nemo eſt bonus, qui non in ſocietatem hujus voti nobiſcum venire debeat: tamen inprimis hæc cura nobis, qui in hâc Univerſitate vivimus, incumbit: cùm jamdudum videamus Celſitudinem veſtram, omnia ornamenta & virtutum, & fortunarum ſuarum, ad hujus Academiæ utilitates & augmenta adjungere. Et quidem cùm illius præclari animi luculenta documenta pridem extant, tùm verò vel hic ſolus dies locupletiſſimus teſtis eſt, quanti Celſitudo veſtra faciat literarum ſtudia, cùm in hâc hyemis aſperitate, factis etiam itineribus, ad hunc actum venire dignata ſit. Et non ſolùm Illuſtri præſentiâ ſuâ hanc concionem exornaverit: verùm etiam maximo ſumptu Profeſſores omnes, & eos, qui huic ſollemni feſtivitati hoſpites interfuerunt, in arcem ſuamque menſam vocaverit. Nihil autem Celſitudo veſtra à ſuâ conſuetudine alienum facit: nam aliâs etiam homines doctos non ſolùm libéter in colloquium admittit, ſed etiam ultrò vocat: clementer de graviſſimis rebus cum ipſis confert, abſentes ſalutat:

lutat:

tat: exercitationibus Scholaſticis, Muſicâ, præſertim eâ, quæ in Pſalmis nunc accuratior habetur, gaudet: carminibus, veluti alterâ Muſicâ, elegantiore illâ, admodùm delectatur. Quid, quòd ea privatim etiam non modò in bonis literis, ſed optimis quibuſque Authoribus, in Jure Civili, Lectione Hiſtoriarum, inprimis autem Sacrorum curâ, non modò ad elegantes profectus elaborat, ſed ipſa etiam commentatur, diſputat, ſcribit. Quâ ſanè in parte Fundatorem Scholæ hujus ſuperat: is enim cum gemitu haud raro deplorabat, ſe circa initia neglectum. Veſtra verò Celſitudo & literas amat, & in ijs ſummâ voluptate verſatur, cùm à primâ pueritiâ his imbuta fuerit, Deique beneficio, accuratâ & diligenti inſtitutione Præceptorum ſit uſa. Quemadmodùm autem perpetua illa ſtudiorum admiratio, in animo Celſitudinis veſtræ inſidet, ita alios etiam in eam pertrahit. Quâ ſanè de re dicere prolixum foret: verùm Illuſtriſſimorum Marchionum, &c. Principum laudatiſſimorum præſentia luculenter docet, neminem cum Celſitudine veſtrâ verſari familiariùs, qui non ſtatim illum ipſum amorem literarum animo concipiat. Neque enim Celſitudines ipſorum comparuiſſent, nec honoris noſtri causâ ſe comites Celſitudini veſtræ adjunxiſſent, niſi perſuaſum ipſis eſſet, in ornandis ſtudijs non modò plebejos, ſed Principes etiam elaborare debere. Cujus clementiæ ſummæ nomine, ut Profeſſores omnes & Studioſi, qui magnâ copiâ hûc convenerunt, intelligunt, ſe Celſitudinibus veſtris æternâ beneficij memoriâ, & ad omnia obſequia obſtrictos eſſe: ita non vident, quomodo animi & gratitudinis ſuæ rationes explicare poſſint. Certè agnoſcunt, ſe quaſi obrui luce quadam incredibilis benignitatis Celſitudinum veſtrarum. Quam ſanè omnis poſteritas, & nos, quantum quidem perfici ſtudio & curâ noſtrâ poterit, prædicabimus, extollemus, & perpetuâ gratitudine proſequemur.

Unum eſt, in quo præcipuè laudes Celſitudinis veſtræ, Princeps Illuſtriſſime, cum celebratione Numinis conjungere debemus, quòd ea tantâ curâ & diligentiâ ad emolumenta Eccleſiæ contendit: de quo ſi dicere aliquantò prolixiùs vellem, opus mihi Iliade majus naſceretur. Nihil certè Celſitudo veſtra magis exoptat, quàm ut Eccleſia ſarta tecta ſit: cujus rei vel hoc ſolum indicium eſt, quòd jam aliquot Univerſitates ſint, quibus ea Profeſſores miſerit, ac multæ Eccleſiæ, etiam à nobis remotiſſimæ, ijs Miniſtris, quos veſtra Celſitudo clementer ipſis ex hâc Academiâ conceſſit, quàm commodiſſimè utantur. Et ſanè eius loci præſtantiſſimi viri palàm teſtantur, ſe nunquàm eſſe commiſſuros, ut nos, qui in Ducatu ingentia beneficia à Clementiâ veſtrâ accepimus, ardentiùs pro eâ & hâc Academiâ preces fundamus,

damus, quàm ipſi: ſe enim intelligere, quantum ornamenti & commodi ſuis Eccleſijs ex iſtâ Celſitudinis veſtræ Clementiâ acceſſerit, cùm ea promptiſſimo animo viros literis & Theologiâ egregiè eruditos, ex hâc Univerſitate ad ipſos ablegaret. Verùm non ſolùm in hâc Academiâ Sacræ Literæ ita florent, ut infiniti propè homines fructum ex ijs ſummum capiant: ſed Dei benignitate & cæteræ profeſſiones ſummæ in eâ ſunt. Eæ enim non modò incomparabiles viros, Conſiliarios Celſitudinis veſtræ, Abbates, Præſules, & multos alios in dignitatibus conſtitutos (quos honoris causâ hûc veniſſe gaudemus, & pro honorificâ ipſorum præſentiâ gratias, quantas quidem animi noſtri capere poſſunt, maximas agimus) dederunt: ſed Imperatoribus & ſummo Conſilio Imperij, quod Cameram Imperialem vocant, Adſeſſores, Advocatos, ac Cauſidicos, alijs Principibus Cancellarios, Jureconſultos Doctiſſimos ſuppeditârunt: hæ multis Rebuſpublicis Medicos præſtantiſſimos, quorum nonnulli in Academijs publicè ſummâ cum laude docent, alij Medicinam cum admiratione faciunt, ſubminiſtrârunt: hæ Gymnaſijs Scholarchas variè Doctos, Poëtas egregios miſerunt. Florent Immortalis Dei clementiâ hîc bonæ artes & linguæ, ita ut Græci etiam homines, viri doctiſſimi, qui Byzantij ſunt, id admirentur, ac ſcriptis ſuis teſtétur, famam ingenij & eruditionis è Græciâ in Germaniam, & hâc inprimis Academiam, tranſvolâſſe. Dies certè me deficeret, ſi conarer omnia ornamenta, & veriſſimas laudes Procerum hujus Academiæ explicare, & Clariſſimi viri, qui hîc aſſident, quâ ſunt prudentiâ & modeſtiâ, vix hoc paterentur: malunt enim ſuas laudes ex lucubrationibus ſuis, & meritis erga omnem Rempublicam cerni, quàm verbis celebrari. Ego ergò, ut aliquandò vela Orationis meæ contraham, in quâ de rebus ſummis & maximis, paucula pro meâ tenuitate dixi, ad eum me convertam, à quo & meæ Orationis initium ſumpſi: à cujus ineffabili benignitate omnia bona mortalibus contingunt, eique unà vobiſcum gratias agam pro ſummis beneficijs, quæ in nos, & hanc Scholâ clementer contulit: ſimul etiam precaturus, ut ea pro ſuâ paternâ bonitate conſervet & augeat.

Gratiarum actio, cũ annexâ precatione.

Gratias tibi agimus æterne Deus, quòd non modò nos condidiſti, ſed Filium etiam Unigenitum, Dominum & Servatorem noſtrum Ieſum Chriſtum miſiſti, ut is profuſo Sacro-ſancto ſanguine eſſet noſter μεσίτης καὶ ἱκέτης. Qui cùm magnum illud & ſalutare opus Redemptionis noſtræ abſolviſſet, de anno favoris & Clementiæ ſuæ, veroque Jubilæo omnes homines certiores per tubam Evangelij ſui facere voluit. Tùm Clemẽtiſſime Deus, nos à nexu ſervitutis abſolviſti:

tùm

tùm libertatem veram promulgâſti: tùm nos bonis & patriȩ, à quibus noſtrâ culpâ excideramus, reſtituiſti, & theſauros omnes tuæ Clemẽtiæ in Filio aperuiſti, cùm per viſcera miſericordiæ tuæ nos viſitares. Lucem hanc ſummæ Clementiæ tuæ nobis quoque oſtẽdiſti, ut dulcis illa vox paternæ indulgentiæ tuæ apud nos non modò in Templis, ſed Academiâ etiam ſonet. Quæ beneficia majorem in modum cumulaſti, cùm tot Principes Chriſtianiſſimos veritatis ὑπερασπιστὰς largiaris, ſub quibus & vinea illa tua floret, & ex Scholâ noſtrâ operas quàm plurimas ad colendam eam conducis. Tu hactenùs pacem, tu literarum ſtudia, tu idoneos Doctores, tu omnia, quæ ad benè beatéque vivendum ſpectãt, cumulatiſſimè dediſti. Quid poteſt à nobis, Domine, qui ſumus pulvis & umbra, proficiſci, quod tantæ tuæ Clementiæ, ullâ ex parte reſpondeat: cùm nihil habeamus, quod tu non antè dederis? Quòd ſi omnia, nosque ipſos impenderimus, nihil tamen tibi dediſſe videbimur, niſi Clementia tua id tibi gratum acceptumque fecerit. Cùm autem per tuos Legatos oſtenderis, vitulos tibi labiorum eos placere, qui non in ſupremis labijs, ſed corde naſcantur: toto animo gratias tibi, unà cum Filio & Spiritu Sancto agimus, pro ineffabili bonitate tuâ, & tot beneficijs, quibus nos indignos affeciſti. Et quia nec ad illas quidem gratitudinis rationes parati ſumus, niſi tu & animum & linguam ad hoc obſequium erudieris: oramus, ut ad prædicandam tuam bonitatem non modò verba, ſed gratiam etiam Spiritus Sancti tui largiaris: quò grata tibi & loquamur, & faciamus, ſimusque vaſa miſericordiæ. Quamvis autem innumeris peccatis noſtris dudum meriti fuerimus, ut his bonis, quibus nos cumulâſti, exueres: tamẽ te ſupplices per Mediatorem Dominum oramus, ut Illuſtriſſimos noſtros Principes, & alios etiam, qui ſunt nutritij Eccleſiæ tuæ, clementer ſerves, & novis acceſſionibus & ornamentis augeas: congreſſus etiam iſtos ſcholaſticos tuearis, ne hoſtis ille mortalium eos vel diſſipet, vel perturbet. Denique, Miſericors DEUS, tubã illâ verbi tui ita noſtras mentes accendas, ut cùm tuba illa extrema inſonuerit, erecto hilarique vultu te intueamur, & in illo verè perfecto Jubilæo, ubi omnis & peccati & mortis ſervitus penitùs abolebitur, te in omnem æternitatem cum Filio Unigenito, & Spiritu Sancto laudemus, extollamus, prædicemus, Amen.

Digitized by Google

Carmen Seculare,

IN LAVDEM ACADEMIAE TUBINgenſis, ab Illuſtriſſimis Principibus ac Dominis: Dn. Eberhardo Barbato, Dn. Huldersicho: Dn. Chriſtophoro: & Dn. Ludovico : Ducibus Württembergicis & Teccenſibus : Comitibus Montis Peligardi , &c. Dominis noſtris Clementiſſimis, fundatæ, reſtitutæ, auctæ, & hactenùs ultrà annos centum conſervatæ.

GENTIS humanæ Pater atque cuſtos:
Lucidum cœli decus: ô colende
Semper à nobis : cedò, quæ precamur
Tempore feſto:

Quo novus denos decies per annos
Orbis exactus, celebrare ludos
Admonet magno patria Lyceo,
Vrbe Tubingæ.

Nam modò hinc anni periêre centum:
Cùm Scholam Princeps Eberhardus illâ
Sede fundavit Pater, ad vadoſum
Neccaris amnem.

Antè cùm diro micuiſſet igne
Nuncius belli, geminus Cometa:
Et ferox armis quateret Mathias
Pannò Bohemos,

Vrbe tùm Sixtus ſolium tenebat
Quartus: & Cæſar Fridericus orbem
Tertius, claro Dominus regebat
Auſtrius ortu.

Ille ubi colles Libani vetuſtos
Vidit: & celſum Solymæ Sionem,
Ac ſacrum Chriſti trepidâ ſubivit
Mente ſepulcrum.

Vim

Vim Saraceni fugiens doloſi,
Voce ſervatus tenui & Latinâ,
Ex pio voto dedit hac Latinis,
Tecta Camœnis.
Supplicum Tutor, ſcelerumq; vindex,
Tardus ad pœnas, inopumq; portus,
Subditis Clemens Pater, & paterna
Plebis Aſylum.
Vivet extentum hic Eberhardus ævum:
Notus in Muſas animi benigni:
Illum aget penna metuente ſolvi,
Fama ſuperſtes.
Non minor virtus fuit Hulderici
Principis: quando patria receptis
Vrbibus, Muſas ſtudiumq; avitâ
Sede locavit.
Creſcit, ad puras velut arbor vndas,
Fama Divi Chriſtophori: micatq;
Teccium ſidus, velut inter ignes
Luna minores.
Nil Deo majus generatur illo:
Nec viget quicquam ſimile aut ſecundum:
Proximos illi licèt occupâris
Natus honores.
Vtilis paci Ludovice Princeps:
Vtilis bello trucibusq; caſtris:
(Arbitror) rerum quoties tuarum
Exiget uſus.
Serus in cœlum redeas, diuq;
Latus interſis populo, Scholisq;:
Hîc ames dici Pater, & benigno
Nomine Princeps.
Te fides, & pax Duce, honor pudorq;
Priſcus: & neglecta redire virtus
Audet; apparetq; beata pleno
Copia cornu.
Chriſtus æterni ſoboles parentis:
Omnium qui res hominum coërcet:
Qui mare & terras, varijsq; mundum
Temperat horis.

Lumen accendat, ſtudiumq́; verbi:
Iura conſervet: Medicumq́; cœtum:
Qui ſalutari levet arte feſſos
Corporis artus:
Det probos mores docili juventæ:
Det ſenectuti placidam quietem,
Hasq́; diſcentum tegat & docentum
Vndique ſedes.
Hæc Deum ſentire, Patrem benignum,
Spem bonam certamq́; domum reporto:
Doctus & Chriſti chorus & virorum
Dicere laudes.

Academiæ Tubingenſis ἐπίστιχον.

Anno ſapoſVIt PrInCeps hoC Vrbe LyCeVM
BarbatVs: terra Cara propago ſVa.

Conflagrantis Academiæ ἐπίστιχον.

MVLCIber erIpVIt ſapIentI teCta LyCeo:
Fata TVbIngensIs qVà rIgat arVa NICer.

Inſtauratæ Academiæ, & Aulæ Novæ ἐπίστιχον.

Igne prIor perIIt, ſapIentIa DICta, TVbInga:
QVa noVa nVnC VIrIDI CernItVr aVLa LoCo:

Nicodemus Friſchlinus, Comes Palatinus Cęſareus, Poëta Laureatus, Academiæ Tubingenſis Profeſſor Ordinarius, XX. Februarij, Anno M.D. LXXVIII. quo die Feſtum Seculare agebatur.

Epigramma,

DE JUBILÆO ANNO,

MAGNIFICO DOMINO RECTORI, & Ampliſſimo Inclytæ Univerſitatis Tubingenſis Senatui: XX. Februarij, Anno Chriſti M.D.LXXVIII.

Scriptum à M. Valentino Cleſſio.

Scilicèt immensâ Dominus bonitate tuetur
Templa, Magiſtratus, culta Lycea, Scholas.

Id ſpe.

Id ſpectare licet præſentis imagine pompa,
Dum Proceres gaudent, dum Ludovicus orat.
Dum ſic Relliquias, diviniq́ offa Parentis,
Dum Cineres Proavi, dum veneratur Avi.
Noverat Ebrardus, quàm ſint pretioſa Scholarum
Commoda, divinam condidit ergò Scholam.
Condita centenos ſolidâ cum laude per Annos
Creſcit, & immenſum condita robur habet.
Inclytus Vlricus generoſo pectore Princeps,
Divitijs auxit facta Lycea ſuis.
Nec non Chriſtophorus, condigno munere, Sanctus
Hanc voluit Princeps amplificare Scholam.
Cognoſcens verum Princeps Ludovicus honorem
Hoc decus ut patrum nunc veneretur: adeſt.
Hic Ducis Adventus præſens teſtatur abundè,
Quâ pietate Scholas, quaq́ Lycea colat.
Ergò agite hunc cuncti lætum celebremus honorem,
Cum Proavo, Patri, ſacra feramus, Avo.
Cuſtodiq́ DEO ſolvamus pectore grates,
Vt regat hæc ſancta cum Duce fulcra Schola.

ORATIO QVINTA

DE LAVDIBVS ILLVSTRIS Academiæ Tubingenſis: X. Ianuarij, Anno Chriſti M.DC.XI. Herrenbergę, cùm ibidem Juridicum & Medicum Collegium, propter luem peſtiferam Tubingæ graſſantem hoſpitium haberent; publicè recitata à Jacobo Ehingern VVürttembergico, Juris Utriuſque Cultore; à Chriſtophoro Beſoldo, JCto & Anteceſſore, nunc denuò luculenter aucta.

DOCTRINAM atque Literaturam; Patres conſcripti, voſque cæteri, genere, eruditione, & virtute præſtantiſſimi Domini Auditores;

Digitized by Google

tores: Literaturam, inquam, atque Doctrinam, inſtrumentum eſſe ad omnem vitam, rectè ſcripſit, omnium ferè qui Latinis literis Chriſtianam tradidêre Religionem, Author antiquiſſimus Tertullianus. Nihil enim hâc ipsâ ad benè beateque vivendum aptius, nihil ad cõmunem humanitatis ſocietatem, tùm conſervandam, tùm ornandam utilius, nihil ipſo homine dignius eſſe, nil omni hominum ordini magis convenire videtur. Eruditio & Literarum Studia adoleſcentiam ſobrietate alunt, ſenectutem ſolatio oblectant; ſecundas res ornant, adverſis perfugium præbent: paupertatem, generiſque illuſtrant obſcuritatem: opum ac Nobilitatis verum edocent uſum; pluresque ex tenui fortunâ, ad famam dignitatesque perduxêre, quàm opibus & genere pollentes, prçclarè aliquid ſine litteris perfecerunt. Adeò, non aliqua in mundo poteſt eſſe fortuna, quam litterarum non augeat notitia glorioſa. Caſſiodorus, *lib.* 10. *variar.* Et abſq; litteris incompta videantur naturæ bona. (Addatur Max. Tyrius, *ſe. m.* 37. *quòd Philoſophia omni conveniat ſubjecto.*) Vidit hoc, ut multa alia, Author graviſſimus Plutarchus: ideoque eos, qui aut generis valent Nobilitate, aut opibus abundant, parùm interim vel literis tincti, vel politi moribus ſunt, ſtatuis Coloſſicis ſimiles eſſe autumat; quæ foris Heroicâ, propè divinâ formâ ornatæ, terrâ intùs, lapidibus, plumbo refertæ ſunt. Hinc & Socrates interroganti cuidam; quodnam eſſet pulcherrimum animal? Homo doctrinâ ornatus, reſpondit. Ergò inſtitutione, literiſque carens homo, ſapientiſſimi illius Socratis judicio, informe, diſtortum, monſtroſumque animal erit. Quam certè prodigioſam, monſtroſamque deformitatem, multò manifeſtiùs is prodit, qui propter luculentas opes, nataliúmve claritatem cæteris magis conſpicuus exiſtit: pariter ut in pulchrâ facie inſignis nævus.

Cicero in Orat pro Archia Poëtâ.

II. Sed quid hîc emendicatis Ethnicorum ſuffragijs indigemus? quid opus eſt Plutarchi, Socratiſve teſtimonio? ſi ipſe Spiritus Sanctus, Doctrinæ ac Scientiæ nobis commendat dignitatem, fructuſq; uberrimos oſtendit? Fili, inquiens, à juvẽtute tuâ excipe Doctrinam, & uſque ad canos invenies Sapientiam: quaſi is qui arat, & qui ſeminat, accede ad eam, & bonos fructus ab eâ exſpecta. Si inclinaveris aurem tuam, excipies doctrinam, & ſi dilexeris audire, ſcientiam adipiſceris. Fons vitæ eruditio poſſidentis, ſtultorum diſciplina ſtultitia eſt. Id quod etiam Salomon, Rex omnium, quos Sol unquàm aſpexit, Sapientiſſimus, non opes ac divitias, ſed cor docile ac Sapientiam à Domino petendo, magno ſanè cum fructu intellexit.

Eccleſiaſtici, cap. 6. verſ. 18.

3. Regum cap. 3. verſ. 8. & ſeqq.

III. Studia autem univerſo humano generi tàm neceſſaria, florere minimè poſſunt; ſi non bonis ingenijs, velut egregijs plantis,

certa ſint loca deſtinata: in quibus ſemotis impedimentis, præſignia Sapientiæ culmina inoleſcere poſſint. Hincque Scholarum & Academiarum inſtitutio, vetuſtate antiquiſſima eſt. Etenim in Oriente (undè omnia bona & pulchra) jam ante Ioſuæ tempora, ſpecimen aliquod Academiarum fuiſſe, ex eo apparet, quòd is *capite* 15. mentionem facit loci cujuſdam, Cariat Sepher dicti, quod interpretantur, Civitas Literarum. In Ægypto olim Sais & Heliopolis, cœtus & exercitia habuerunt doctrinæ, & fuêre artium ibi Doctores Sacerdotes: Homerus eò diſcendi causâ, Solon, Thales, Plato, alijque iverunt. Ibidem poſtea Alexandria enituit; in eaque ſplẽdidiſſimâ Civitate, adeò Medicinæ præſertim Studium florebat, ut Ammiano Marcellino teſte, Medico olim, ad commendandum artis auctoritatem, pro omni experimento ſufficiebat; ſi Alexandriæ ſe dixiſſet eruditum. Non omittendæ hîc ſunt illæ omnium doctrinarum inventrices Athenæ, quæ Minervam Sapientiæ Præſidem, cum Choro Muſarum ex Judçâ, Phœniciâ, Ægyptoque adventantem, liberali quodam hoſpitio exceperunt, & mercaturam humaniorum literarum ac diſciplinarũ præſtitêre toti Orbi. Nec Athenienſis ſola Civitas Literarum maximi fecit, fovitque Studia: hujus ſed hâc in parte exemplum imitatos eſſe quàm plurimos, Aſiæ & Europæ populos; hoc ipſum Romanos minimè neglexiſſe, Scholasque publicas in Italiâ, omnibusque ferè Colonijs ac Provincijs aperuiſſe, nemo qui Hiſtorias legit, neſcire: ſed nec ullum hominem, quanta Scholarum publicarum, ſeu Academiarum utilitas ſit, atque neceſſitas, latere poteſt. Quanti enim illud unicum faciendum eſſe putatis omnes, quòd in hiſce Studioſorum, & aliorum Doctorum virorum jucundiſſima ubivis obvia converſatio eſt, quæ plurimùm prodeſſe quovis tempore ſolet. Paulatim enim cõverſatio talium in pectora deſcendit, & ut graviter quodam in loco Seneca ſcribit: Præcepti vim obtinet, frequenter audire, frequenter aſpici, etiam occurſus Sapientum juvat; & eſt aliquid, quòd ex viro magno, vel tacente quis proficiat.

Academiarum inſtitutio vetuſtate antiquiſſima eſt.

IV. Auditur ibidem viva docentium vox, quam qui contemnũt, damnum haud leve adferunt Studijs ſuis. Certè qui αὐτοδίδακτοι, in umbrâ, & privatos inter parietes Doctores erati, ſuis nimiùm ingenijs, librorúmve optimorum (quorum noſtro hoc ſeculo mirabilis copia eſt) freti, ab alijs edoceri atque inſtitui turpe ſibi ducunt: dum novâ & à ſeipſis excogitatâ viâ, ad eruditionis culmen atq; faſtigium properant; nec veritatem in artibus ac ſcientijs ab alijs demonſtratam vident; neque propter variorum Authorum infinitas, concertationumque plenas Diſputationes, proprio Marte perveſtigare poſſunt.

Vivæ docẽtium vocis utilitas inſignis.

Cicero, *lib.* 7. *Epiſt.* 19. Nùm Jus Civile veſtrum ex libris agnoſci poteſt? qui quàmquàm plurimi ſunt, Doctorē tamen, luménque deſiderant.

Sed vaſto velut in mari dubij, varijs ac lubricis opinionibus circumdati hærent, nec ubi pedem firmiter figant, reperiunt: opiniones ut plurimùm pravas & concipiunt & alunt: non raro quoque, cùm in manus ſumendum eſt opus, (veluti ad Solis lumen noctuæ) caligāt; & præteritos tandem annos, audiendique in Scholis occaſiones neglectas, dolent ac deplorant fruſtrà. (adde Fachinæum, *libr. controverſ.9.cap.ult.*) Ipſa optimorum librorum multitudo, quæ optionem dubiam facit; diſtrahit magis, quàm adjuvat, Studioſos incipientes, ac ſi quis eo prætextu profeſſoriam contemnat Linguam; quòd nil adferat novi: ſanè ea vel ideò haud videtur negligenda, quòd contrahat, quæ à plurimis, locis diverſis, perſcripta, & quaſi clavem cudat, aliorum quæ aperiat ſcripta.

V. Quid, quæſo, impulit Platonem, Socrati operā ut daret? Nùm ingenij imbecillitas? At divinum hoc judicatum ab omnibus fuit. Quid item Euclidem movit, ut etiam capitis poſtpoſitâ pœnâ, noctu veſte mutatâ, ad eundem audiendum Socratem, Athenas ſe conferret? Nùm ingenij tenuitas? At quàm hoc præſtans eximiumque extiterit, eius monumenta teſtantur, admirantur ingenioſiſſimi. Quid cauſæ extitit, ut annos viginti integros Platonem Ariſtoteles audiret? Nùm quòd is ingenij dexteritate deſtitutus, lectos Authores intelligere non potuit, vel quòd tùm nullæ in publicum adhuc exierant Philoſophorum Commentationes, ex quibus eruditionem potuerit hautire? Quorum tamen Authorum quàm plurimorum, ipſe paſſim in ſcriptis ſuis mentionem facit; ac qui idem primus omnium (quos Strabo, *lib.13.Geogr.* ſcivit) libros congregavit, & Ægypti Reges ordinem edocuit Bibliothecæ. Cur item alios alij audire publicè docētes voluerunt? Viderunt hi ſcilicèt, ut ad fructus copioſos, uberesque proferendos, ſoli bonitas non ſufficit ſola, ſed & ſemina requiruntur, & cultore opus bono eſt: ita ingenij felicitatem, naturæque vim ac præſtantiam, ad doctrinam perfectam adquirendam, niſi præcepta idonea, Doctores item periti atque fideles accedant, nil quicquam poſſe.

Exercitationum Academicarum finis.

VI. Quam ſanè ad rem haud parùm momenti, adjumentique adferunt, omnifaria quæ in Academijs frequenter & quotidiè inſtituuntur exercitia literata, & collocutiones, ac dicendi diſſerendique neceſſarijs de rebus exercitationes & συζητήσεις. Difficile nāque eſſe, aiebat ille, ea quæ acceperis, tenere, niſi hæc ipſa firmaveris exercitatione jugi: imò difficile quoque, tradita ab alijs, aſſequi & intelligere rectè; niſi in his ipſis, quid & quantum profeceris, prætentaveris non unâ vice: non fieri poteſt, quin trepidet ipsâ in re, qui ante rem non ſeſe

ſeſe exercuerit ſtudioſè. Credo ego (liceat Petronianâ exclamatione paululùm inflexâ hîc uti) adoleſcentulos illos ſtultiſſimos fieri, quia nihil ex ijs, quæ in uſu habemus, aut audiunt, aut vident.

VII. Hæc aliaque commoda, perquàm maximi momenti, quia ex Scholis publicis, tanquàm perenni omnis boni fonte promanant; ideò cùm poſt occaſum, interitumque Imperij Romani, ſævitiâ temporum, & Barbarie invadente, omnes ferè in partibus obeuntis Solis, extinctæ eſſent ſimul Scholæ Univerſales; nunquàm ſatis laudato conatu Carolus Magnus doctrinam vindicavit, ab illoque Pariſienſis Schola, mater penè dicam cæterarum, inſtituta, & in ferè hodiernum noſtrum morem diſpoſita fuit. Hujus verè Magni Imperatoris exemplo, ſuperioribus, hocque noſtro ſeculo præſenti Principes multi, ut & Magiſtratus in Rebuſpublicis præclarè inſtitutis; in id incubuerunt certatim, ut in ſuis Civitatibus, vel Provincijs, auctoritate Superiorum, talia pariter erigerentur conventicula Studioſorum.

Lipſ. Lovanio. Rodolph. Botereus 7. *Hiſtor. ſub anno 600.*

Carolus Magnus Imperator.

VIII. Et ſanè quis ignorat, illas Reſpublicas diutiſſimè floruiſſe, in quibus Artium, Scientiarum & Facultatum domicilia extiterūt: contrà verò minùs feliciter gubernatas fuiſſe eas, ubi ſpretæ, contēptæque jacuerunt Scholæ. Etenim in Academijs benè conſtitutis & florentibus, non modò multùm ornamenti, ſed & adjumenti, præſidijque plurimum Reipublicæ eſt. Illæ quippè ad Fidem, Religionemque propagandam, & ad finem ultimum, quem politica ſocietas reſpicit, conſequendum, conducunt ut maximè. Et hinc Etymologiâ congruenti, Academiæ vocabulum deducunt eruditi, ab ἄκος & δῆμος, quaſi Scholæ ſint publica medela, rudis & inepti populi Medicina, nebulas ignorantiæ abſtergens, caliginemque inſcitiarum velut expurgans. Hincque non ullam acerbiorem pœnam Mytilenæi infligi poſſe putaverunt, quàm cùm ijs, qui rebellârant, bonarum diſciplinarum uſum ademerunt: ſiquidem nullum gravius ac pernicioſius jugum populo imponi poteſt, quàm ſi ad meram Barbariem obligetur, & nullâ diſciplinâ liberali excolatur. Et meminimus, Ariſtotelem ijs in libris, quibus nomen fecit de civili diſciplinâ, inter cæteras Tyranni notas, & hanc referre, quòd nihil priùs appetat, quàm ſubditos rudes eſſe, & literarum imperitos.

Academiæ vocabulum undè derivetur.

Middendorpius, *libr. 1. de Academ. cap. 1.*

IX. Et idcircò, cùm ultima Monarchia, ita diſponente Providētiâ Divinâ, Germaniæ noſtræ, ſine tamen legitimæ detrimento libertatis obtigiſſet; ſtatim ibi paſſim literæ, unà cum Imperio efflorеſcere inceperunt: nec Imperium ibi diutiùs manere potuiſſet, niſi literis firmatum, atque temperatum. Hocque in causâ eſſe puto; nunc in Europâ ſeptuaginta & ultrà cùm numerentur Academiæ, noſtra quòd

In Europâ ſeptuaginta numerantur Academiæ.

Germania, ubi Taciti ętatę, Literarum ſecreta viri pariter ac fœminę ignorabant, plures ferè Academiæ numerentur; quàm in reliquâ Europâ universâ. Adeò magna eſt Imperij & Studiorum harmonia.

X. Forſan autem non præter rationem admiramini, Auditores honoratiſſimi, quòd ego nũc aures veſtras benevolas, ſolito longiore Exordij ſuſpenderim genere, nec quâ de re dicere inſtitui, adhuc indicârim. Enimverò cùm Inclytæ hujus Academiæ, Legumque ac Privilegiorum, quibus nunc per DEI gratiam ſalva & incolumis fruitur, laudes ac utilitates, & lucem ac memoriam fugientes Antiquitates, pro juvenili ſuſceperim illuſtrandas: ſanè neceſſe fuit, quaſi in limine, & veſtibulum ante ipſum, temerariam retundere proterviam eorum; qui vel de literis aliter ac decet, ſentiunt, aut Academias ita Reipublicæ neceſſarias eſſe clamitant, ſicut rota currui quinta eſſe ſolet: vel qui per Academias, & in Academijs, hactenus per tot ſecula uſitatum, & ipsâ rei evidentiâ comprobatum docendi, diſcendique modum, ridiculâ improbant vanitate, clàmve vel palàm evertere ſtudent impio conatu.

XI. Quamvis autem haud me lateat, de rebus præſtantiſſimis ſatius eſſe ſilere, quàm pauca, & non ornatè dicere: licèt etiam ſatis habeam perſpectum, gloriæ laudatiſſimæ hujus Univerſitatis, antea ubique pervagatæ & incorruptæ, nihil quicquam à me addi, nil à meâ tenuitate eidem accedere poſſe. Attamen ego officio meo probè functum, metamque me optatam attigiſſe arbitrabor; ſi ſaltem affectionis & cultus aliquale, non quod velim vel debeam, ſed quod poſſim, oſtendero indicium & ſpecimen: vosque Auditores optimi, benevolam, quod ſpero, & obnixè rogo, audientiam feceritis mihi.

Theodoric' Schnepffius, Theologiæ Doctor, & Orator diſertiſſimus, *in Oratione de Academia Tubingenſis Iubilæo.*

XII. Fundata eſt ergò Academia noſtra Tubingenſis, Anno Chriſti Milleſimo, Quadringenteſimo, Septuageſimo ſeptimo, V. Nonas Iulij. Et Calendis Octobris ejuſdẽ anni, Profeſſores omnium Facultatum, primas Lectiones dederunt. Conſilium primum in Univerſitate habitum fuit ipſo Sancti Dionyſij die: eodem etiam Diploma Privilegiorum datum, ſignatumque fuit. XXVI. Octobris Primum Examen Baccalaureorum aperuit Johannes Stein Schorndorffenſis, primus artium Decanus.

Dn. D. Thomas Lanſi', *in Orat. pro Germaniâ, fol. 77.*

XIII. Inſtituta eſt ab Eberhardo, tùm temporis adhuc Comite Württembergenſi, & Montbelgardenſi Seniore: qui cùm Hieroſolymam peteret adhuc inveſtis, ſed redux referret barbam, eamque poſtea aleret, quam tùm temporis omnes radere ſolebant, Barbati nomen tulit. De hoc Principe, cùm eam rem ageret, & Academiæ domicilium in hoc Ducatu collocare vellet, accepimus id, quod & memorabile,

rabile, & referendum duximus. Eſt certè Academiæ inſtitutio res magna & magnifacienda; ſed ſuperiorum tamen temporum de his exiſtimatio, multò optima & præclariſſima fuit. Interrogatus igitur tùm à quodam extero Princeps Eberhardus, cujus operâ in eo, quod perfici volebat, uti cogeretur: quidnam Regionis & Terræ haberet, quod tanto ornamento dignum eſſe judicaret? Reſpondiſſe fertur: cætera omnia eſſe mediocria, & vel etiam infra mediocritatem, uno autem commodo atque fructu ſuæ Regionis ſe meritò gloriari; quòd in quamcunque partem illius fortè ipſe delatus ſit, ſi acquieſcere liberet, tutò & cum omni ſecuritate, in cujuſvis ex ſuis, qui obviam factus eſſet, ſinum deponere caput, & ſomnum capere poſſet. De eoq; Reinhardus Lorichius, Hadamar. *in Inſtitut. Princip fol. mihi* 100. refert: eũ per meram perſpicacitatem, atque ſagacem inveſtigationem, acceptis ſubditorum ſuorum conditionibus, rerumque omnium fortunis cognitis, eò Provinciæ ſuæ Statum provexiſſe, ut florentiſſimam reddiderit ſuam ditionem. Undè prudentiâ Ducis, ſubditos ſuos ſtupefactos, quaſi Numen quoddam eum coluiſſe, dicẽtes: Wann Gott nicht Gott were/ wer ſolte billicher Gott ſein/ dann vnſer Herr von Württemberg.

Dn. Joachimus Camerarius, *in Vitâ Philippi Melanchthonis.*

Subditorum elogium de Eberhardo.

XIV. Princeps hic, familiam Ducali dignitate, patriam verò Academiæ hujus lumine illuſtravit. Et ſic fauſto ſingularique omine, unum eundemque, Ducale faſtigium, & Academia Auctorem habet: eoque Optimus Maximus Deus, omnes Württembergiæ noſtræ Duces voluit admonere, ut tanto majori amore, vigilantioreque curâ Academiam hanc ſuam complecti dignentur.

XV. Semper Tubingam noſtram, dum vixit, dilexit magnopere Eberhardus, ibidem etiam vitam cum morte commutavit. Ac ſi parva magnis componere licet; quemadmodùm Auguſtus Cæſar gloriari ſolitus fuit, ſe Romam, quam lateritiam acceperat, marmoream feciſſe: ita verè de hoc noſtro Principe dici poteſt, illum Tubingam, quæ antè vix Oppidi merebatur nomen, ad eum ſplendorem, qui ibi nunc eſt, perduxiſſe. Is etenim Eccleſiæ Templum ex fundamentis ædificavit, Monaſterium Auguſtinianorum, ubi nunc Stipendium Principis laudatiſſimum, fundavit, Nicrum ponte lapideo pervium fecit. Amnem, cui Amera nomen, & qui antea vicinas valles fœdè inundabat, in Nicrum immiſit; eoque fine Anatolicum montem, qui priùs oppido contiguè adhærebat, perfodit: ac quò magis adhuc Tubingæ ſuæ commodaret, Academiæ ibi domicilium collocavit.

Eberhardus Tubingam ſplendidiorẽ reddidit.

Cruſius, *in Annal. Sueuic.*

XVI. Refertur à Politicis, inter cauſſas Incrementorum Urbiũ, vel præcipuè inſtitutio Academiarum. Et videmus aliquot oppida in Ger-

Hippolytus à Collibus, *in tract. de Vrb. Increm.*

in Germaniâ præſertim, quæ ante Gymnaſia ibi conſtructa, tàm obſcura fuerunt, ut Geographi ea noluerint, vel exiguo aliquo loco in Tabulis ſuis dignari; poſtea ad tantam magnitudinem, ex ſolo Studioſorum concurſu, Academiæque celebritate excreviſſe, ut nunc cum præcipuis Urbibus certent. Cùm Anno Milleſimo, Quadringẽteſimo, Vigeſimo Octavo, Johannem Brabantiæ Ducem Artium ſubiret amor, & ad Academiam inſtituendam perpelleret; non aliâ de causâ, cùm de loco deliberaretur, Lovanium placuit, quàm miſerationis aſpectus, curaque primariæ Urbis, ſeditionibus afflictæ, & paulatim vacuefactæ, aliâ aliquâ viâ frequentandæ & evehendæ. Ac ſanè, ſi commoda, quæ oppido & civibus illius, Tubingenſis adfert Academia, enumerare vellem, in recenſendis ijs ſingulis, prolixior quàm par eſt, futurus eſſem. Quæſo Tubingenſis agri anguſtiam perpendamus, ea certè talis eſt, ut ſine adminiculo Academicorum tot alere cives penitùs neſciret: idque experientia, locuples Magiſtra rerum, miſerrimè teſtatum nuper fecit; ubi abitus Academię mox Civibus Oppidanis, haud exiguam attulit famem. Ad ſplendorẽ ac celebritatem Oppidi Tubingenſis, ſi oculos convertamus, cauſſam aliam nullam reperiemus, quòd domus ibidem ſplendidiores, quòd celebris prædicatur Tubinga, niſi ſolam Academiam; quæ ſcilicèt ob docentium eruditionem, ex quacunque Orbis parte, quamplurimos ad ſe ex præcipuis, quamvis terrarum ſpacio longè lateque diſſitis Regionibus, ſemper pertraxit; quæ ob libros ibi editos, amicorum ſermone celebratiſſima, & vel adverſariorum deteſtandâ invidiâ inclareſcit, ac ubivis notiſſima exiſtit.

Lipſ. Lovanio.

Commoda, quæ Academia Tubingenſis, civibus oppidanis affert.

XVII. Sed non ſoli Tubingæ prodeſſe voluit Princeps optimus Eberhardus, verùm poſteris & ſubditis ſuis omnibus univerſim. Ipſe nempè Naturę benignitate, Civili & Militari Prudentiâ, omnes alios ſui ſeculi viros Principes ſuperans; & ingenti admirabilium ſuarum virtutum, quaſi Stellarum ſplendore (ut Marſilius Ficinus alicubi ſcribit) ad Italos uſque refulgens: Dn. Cruſius, *Annal. part. 3. libr. 9. cap. 6.* Literarum tamen, & Linguæ Latinæ ignarus, optimè perſpiciebat, quàm neceſſaria foret non ſolùm Principi, ſed & omni homini, Humanitatis ac Divini, Humanique Juris cognitio. Ideò doctos ſummoperè dilexit ſemper; & cùm ſæpè perturbaretur, ſibi in juventâ, auream illam diſcendi occaſionem, tutorum culpâ negatam; Chytręus, *Hiſtor. Saxon. lib. 22. fol. 589* Hiſtoricos, alioſque Scriptores, Gręcos & Latinos, in Germanicam Linguam ſuum in uſum, & quidem magno ſumptu converti curavit: & inter alios, Apologos illos von den alten weiſen/ qui etiam Gallicè & Italicè extãt. Et certè editionis

Cùm Maximilian' Primus Impe-rator ad defuncti ſepulchrũ adſtitiſſet, ac magnã vim lachrymarum profudiſſet, in hæc verba erupiſſe perhibetur: reliquias corporis eius Principis in illo monumẽto ſitas eſſe, quem ipſe in

antiquæ,

Digitized by Google

antiquæ, *in fol cum figuris* Litteræ capitum initiales, Eberhardi noſtri referunt nomen. Doctorum item hominum adeò is delectatus eſt cõverſatione, ut ſæpiùs Tubingæ (aulico comitatu arcem petente) ipſe in domum Naucleri exiguam diverterit; ibique per totum diem de Eccleſiâ, Republicâ, & ſi quæ alia Studiorum ſuppetit penus, cũ Doctis fuerit collocutus; Melanchthon, *in Orat. de Eberhard. Barbat.* parilemque laudatiſſimam, & viro Principe digniſſimam affectioné oſtéderit erga literas literatoſque; quam & Carolus Quartus, Imperator Potentiſſimus olim teſtatam fecit: qui in Scholam Pragenſem aliquãdò ingreſſus, cùm Diſputantes Liberalium Artium Magiſtros per horas quatuor audiviſſet, idque purpurati moleſtè ferrent, ac cœnæ tempus adeſſe nunciarent: mihi, inquit, tempus eſt minimè, nam cœna mea hæc eſt; Convivijs etiam delicatiſſimis præferens Liberaliũ Artium Exercitia. Undè & Scholam publicam erexit Pragæ, eamque honeſtiſſimis ſalarijs exornavit. Sicque & Sigiſmundus Imperator, canente Georgio Sabino:

Ingenuas habuit ſummis in honoribus Artes,
Atque viris Doctis munera multa dedit.
Cum quibus interdùm convivia lætus agebat,
Ex humili quamvis ordine plebis erant.
Sicq; ſuos Proceres hortari ſæpè ſolebat,
Artibus ut vellent incubuiſſe bonis.

universo Imperio ſuo, virtute & ſapientiâ præſtãtiſſimum habuiſſet, cujus etiam nõ modò fidẽ, ſed ſummum Conſiliũ, in graviſſimis rebus, magno Imperij emolumento fuiſſet expertus. Dn. D. Theodor. Schnepff *in Orat. de Iubilæo Acad. Tubing.* Cruſi' *part. 3. libr. 9. cap. 7.*

Aliorum Principum Germanorum exempla, qui viris Doctis paruerunt, & eos aluerunt, refert Matth. Caſtritius, *tract. de Princip. Germanor. heroic. virtut. libr. 4. cap. 3.* Et etiam de Maximiliano Primo refert Gerardus de Roo: *libr. 8. fol. 315.* eum non ſatis dextrè in juventute inſtitutum fuiſſe: hunc verò defectum primâ ętate commiſſum, ſingulari cum induſtriâ reſarciviſſe. Coluiſſe enim, & ſummâ liberalitate foviſſe viros Doctos, cum ijſque varijs de rebus converſationem inſtituiſſe, & multa, quę ſibi uſui fore putabat, didiciſſe. Carolus VIII. Galliarum Rex, quem Latinè ſcire vetuerat Pater, (præter illud unũ. *Qui neſcit diſſimulare, neſcit regnare*) litterarum præſidio deſtitutus; ad alterius nutum Regnum Ampliſſimum adminiſtrare coactus fuit. Æmylius, *libr 10. Hiſtor. Francic.* Et indè Philippus II. Hiſpaniarum, aliorumque potentiſſimorum Regnorum Monarcha, jam ætatis profectæ operam dedit Latinæ Linguæ: quam Pater Carolus V. Imperator in juventute deſpiciens, aliter jam Senex ſenſit; Pier. Matthieu, *libr. 6. narrat. 2. num. 9. fol. mihi 529.* Memorię item mandavit Michaël Boiemus, *in Orat. funeri deſtinat.* Auguſtum Saxonię Electorem: Latinam Linguam, jam annis maturiorem didiciſſe. Adeò neceſſaria Im-

Digitized by Google

perantibus omnibus eſſe Studia Litterarum, omnes hi magni Principes reputaverunt. Ut & Alphonſus Arragoniæ ac Neapoleos Rex, cùm audiret quendam Hiſpaniæ Regem dixiſſe, non decere Principes viros ſcire litteras, eam vocem bovis non hominis eſſe, exclamavit. Et idem, Regna quæ plurima quidem poſſideret, malle ſe perdere, etiam perſanctè affirmabat aliquandò; quàm litteras, quas permodicas ſcire dicebat, neſcire. Et nec Imperium ſine litteris conſiſtere poteſt: recteque dici ſolet, Calamus eſt Imperator, penna Imperatrix. Zehner. *Adag. centur. 5. adag. 35.* Ac ergò efficere, ut doctrinâ & eruditione careant Principes, nec etiam eorum recipiant conſuetudinem & familiaritatem, qui Civium ſalutem tùm promovere poſſunt ob doctrinam, quam multo labore præclaram ſibi comparârunt; tùm volunt, quia pij, vereque DEI veri timentes, & Reipublicę ſtudioſi ſunt; eorum ſed in locum ut ſublegentur, operam dare, quæ exiſtimationem & auctoritatem Principis, nitore quodam, & vano ſplendore (quæ ludorum ſunt atque pompæ) muniri autumant, qui faciunt, ut gloriæ umbras ſectando, ſolidam gloriam amittant; qui Principes à curâ Reipublicæ ad voluptates avocant: hoc demùm diaboli artificioſa eſt machinatio, quibus perniciem Imperijs ſtruere ſolet.

XVIII. Aliter de Studijs, literatiſque Eberhardum noſtrum ſenſiſſe, in propatulo eſt. Verùm ut quoque literarum amorem, omnibus ſuis poſteris, Civibusque ſuo exemplo implantaret univerſis; nec tamen ijdem, eo quo ipſe, unquàm laborarent eruditionis defectu, hanc noſtram inſtituit Academiam. Pietatem in Principes (in quâ Eberhardus omnem ſpem repoſitam habebat) ut ſemper ſubditi diſcerent; hanc ut Principes noſtri ſemper magnifacere, & promereri edocerentur, Academiam in Ducatum ſuum introduxit; in quâ Imperare, conſulere, & parere diſceretur. Ut etiam verbis, quam de re literariâ foveret, opinionem teſtaretur; Studioſos filios ſuos appellare ſolebat. Prætereuntes voce, & ſi aliter fieri non poterat, nutu ſalutabat. Semper cùm Tubingâ diſcederet, Rectori ac Profeſſoribus, filios ſuos (intelligebat autem, uti diximus, eos, qui Studiorum causâ Tubingam venerant) commendabat: additâ honeſtiſſimâ ratione, eos à parentibus, qui genuiſſent, ſpe profectus illûc eſſe velut ad alteros patres miſſos.

D. Schnepff. *de Iubil. Acad. Tubing.*

Eberhardi humanitas erga Studioſos.

XIX. Perſpectum porrò habebat Prudentiſſimus Princeps, & qui multas ſuſceperat peregrinationes, (bis nempè adijt Romam, bis Venetias profectus eſt, & dulciſſimam quoque Civitatem Hieroſolymam, æterni Regis olim in terris Solium, corporalibus oculis eſt cōtemplatus) perſpectum, inquam, habebat Sapientiſſimus Princeps, non eſſe

Peregrinationes Eberhardi.

Digitized by Google

non eſſe è publicâ re, ut liberi magno impendio ad longinqua loca mitterentur (in exteris enim locis minor ad facinus verecundia eſt, Cicero, 4. *Epiſt. ad Marium.*) conſultiusque reputabat, ſub manu & oculis eos habere, quàm apud exteros alienis moribus aſſueſcere. Omnis etenim inſtitutio juventutis, eò ab incunabulis quaſi referenda videtur, ut patriam liberi ament, charos habeant parentes, magnifaciant ac ſuſpiciant inſtituta, leges, patrios mores. Intellexit hoc Ariſtoteles, qui in Politicis, maximam corruptionis Rerumpublicarum cauſam aſſerit, quòd non inſtituatur juventus ad eam, in quâ victura eſt aliquandò, Reipublicæ formam. Ad eam rem autem nihil accommodatius eſſe conſtat, quàm ſi cum ſuis, & inter ſuos liberi educentur; neque antè videant aliena, quàm per ętatem confirmatum habuerint judicium de rebus. Cùm Antipater à Lacedæmonijs obſides petijſſet pueros quinquaginta, reſponderunt illi, ſe malle dare centum adultos & viros. Tanti ipſis erat educatio ſuorum liberorum, tantumque metuebant, ne cerea & flexibilis illa ætas peregrinitate morum inficeretur. Porrò ubi jucundiùs morantur adoleſcentes, quàm in patriâ? ubi ſi ingenium liberorum eſt bonum, parentum amore & conſpectu plurimùm excitatur. Ubi ijdem pudiciùs continentur, quàm ſub aſpectu parentum? quorum metus, ſi non procul abſint, liberorum coërcet indolem malam. Ubi minore ſumptu, quàm non procul à nobis liberi habentur? Academijs non ritè conſtitutis; vix eſt, ut de Religione ſecuri eſſe queamus. Reformatio omnium Statuum à Scholis incipere debet; ijs enim rectè ſe habentibus, cætera omnia principiũ felix, & (ut in proverbio eſt) dimidium totius habent. Curare itaque Principes debent, ut Profeſſores pij æquè, ac docti ſient, ad prudentiam magis, quàm elegantiam inſtituant juventutem: Elegantia etenim parùm Reipublicæ prodeſt, prudentia efficit cuncta. Curare item debent Profeſſores, ne ſcandalo ſint prophanitate, perfidâ ſimulatione, arrogantiâ, ambitione, avaritiâ, levitate, inſcitiâ, ſcortatione, liberorum propriorum malâ educatione, ignaviâ, otio, ebrietate, convivijs ſumptuoſis, opinionibus novis & monſtroſis &c. Sed de reſtauratione Scholarum, vide elegantiſſimam Orationem Eumenij, *quæ inter Panegyr. eſt quarta.*

Botereus, *hiſtor. libr. 7. ubi de Acad. Pariſ. reſtaurat.*

XX. Aſt non ſolùm utilem rem præſtat, qui Academiarum fundamenta ponit; ſed qui & inſtitutas conſervat: Middendorpius, *de Academ. libr. 1. cap. 4.* è contrà Tyrannidis indicium & argumentum certiſſimum habetur, ut graviter ſcribit Petrus Gregorius Tholoſanus, (*libr. 6. de Republic. cap. 18. in fin.*) Academias evertere, & optimarum artium ac diſciplinarum poſſeſſionem tollere, vel impedire. Et

Tyrannidis indicium Academias tollere.

ita nomen Capitanei illius Hiſpani, labe non vulgari contaminatum videtur: qui cùm Comitem Burenſem, contra Privilegia Academiæ Lovanienſis in Hiſpaniam invitum tranſportaret; Patribus Academicis Privilegia ſua ingeminantibus reſpondit: *veſtros privilegios non curamos*. Apolog. Auriac. *fol. 52. & ſeq.* Quod tamen apud alios ratio Status excuſat. Et felix ergò cenſenda Academia noſtra, eoque nomine Illuſtriſſimi Württembergiaci Duces omnes & ſinguli, ſummis laudibus condecorandi, quòd Fundatoris veſtigijs inſiſtentes, ſingulari amore amplexi ſunt ſemper Academiam hanc, ejusque conſervationi & amplificationi ſtudioſiſſimè ſtuduerunt: ut Academiæ Jura illibata ſervarentur, & ne quid honoris, vel dignitatis illi detraheretur, omni ævo ſapientiſſimè providerunt.

Ulricus Dux Würtèbergenſis.

XXI. Sanè quid Ulricus Dux ſenſerit de eadem, ex illo id pateſcit; quòd ſtatim poſt exilium, Academiæ varijs Reipublicæ motibus variè concuſſæ, & quæ abſente Ulrico, ceu avulſo à membris capite, in ipsâ patriâ exulare videbatur, operâ ſuâ & auctoritate benigniſſimè ſubvenit. Hanc Univerſitatem (cùm in iſtis temporum difficultatibus precia omnium rerum creviſſe videret) novâ redditnum acceſſione locupletavit: & quod rei caput eſt, hanc Scholam ab erroribus Romano-Catholicorum repurgavit; noviſque Legibus & Ordinationibus, noſtris temporibus, & Eccleſiaſticæ noſtræ Politiæ cõvenientibus conſtabilivit.

Philippus Melãchthon Wittebergâ Tubingam evocatus.

Hoc nomine Ulricus Princeps, Philippum Melanchthonem, Wittebergâ hûc expreſsè vocavit, eique, quod poſtea ad Senatum Ampliſſimum noſtræ Academiæ Philippus perſcripſit, ſanctè affirmavit: ſe inter præcipuas partes Reipublicæ Academiam ponere; hanc animo ſuo infixam eſſe opinionem, ſe nec Deo gratiorem cultum ullum præſtare, nec aliâ in re ullâ, de ditione ſuâ, & de poſteritate meliùs mereri poſſe, quàm ſi efficiat, ut Academia rectè inſtituatur: Academiæ conſervandæ & ornandæ voluntatem nunquàm ſe depoſuiſſe dicebat; neque Academiæ, neque Profeſſorum utilitati defuturum eſſe unquàm.

Chriſtophorus Dux Würtèbergicus.

XXII. Chriſtophorus, Pientiſſimus ille, & Sapientiſſimus Princeps (humani generis delitiæ) quàm commendatam ſibi habuerit Academiam noſtram, ſcimus omnes. Ulricus Pater Stipendium Illuſtre, ut ibi multi Studioſi Theologiæ alerentur, anno trigeſimo ſexto, inſtituit. Verùm Chriſtophorus, Ulrici filius unicus, Cœnobia etiam reliqua priſtino reſtituit nitori; dum non ut alij Reformatores ea deſtruxit, faciemque planè immutavit; ſed in Gymnaſia convertit, ex quibus ſeminarium habet Academia noſtra. Præterea Stipendium à Patre inſtitutum, annuis redditibus, & numero Studioſorum majorem in

Dn. D. Schnepffius,

rem in modum auxit; ædes magnificas, prioribus illis ſumptu maximo adjunxit; & quod ſanè admiratione eſt digniſſimum, ipſe intereſſe voluit, cùm de ſtructurâ eius domus ageretur. Stipendium inſuper, idem ille optimus Princeps, fundare in animo habuit, in quo Nobiles quoque Studioſi alerētur, ex eoque non ſecùs, ac ex Stipendio Theologico Eccleſiæ; ita ex hoc Politiæ, ſecularibusque officijs provideri poſſit: videatur die alte Kirchen Ordnung *Chriſtophori Ducis*. Idq; cùm morte impeditus, effectum dare nequiviſſet, Patrum noſtrorum memoriâ, præſtitêre Sereniſſimi Succeſſores. *de Iubil. ut & in Orat. de Vita Chriſtoph. VVürtt. Duc.*

XXIII. De recentioribus Principibus noſtris, Domino Ludovico nempè, & Domino Friderico (quia antiquiora tantùm recolendi mihi partes ſumpſi) nihil hîc dicam. Quantâ huc uſque, noſtræ qui clavum Reipublicæ tenet, Princeps Sereniſſimus, literas, earumque cultores, clementiâ fuerit complexus, ſatis ſuperque notum, & nemini non perſpectum eſt. Hunc eundem amorem, hunc favorem, ut erga Academiam noſtram Tubingenſem conſervare, augere, declarare, majorum ſuorum laudatiſſimorum (qui ad augendam Scholæ hujus dignitatem ac ſplendorem, nihil non operæ ac ſtudij poſuerunt) veſtigijs inhærere ut velit, precibus omnes boni humillimis contendūt. Et ut hoc nomine plurimùm ſibi gratulatur Academia noſtra, omnibus læticijs incedunt in hâc omnes, qui & docēt & diſcunt; alacriusque officio ſuo funguntur, & quaſi induſtriæ ac laboris ſtimulis excitantur, cùm Principali ſe gratiâ ſentiunt dignari: ita votis atque ominibus ſecundis, cùm vitam, tùm actiones cunctas Illuſtriſſimæ ipſius Celſitudinis proſequuntur; precantur aſſiduò, ut qui pro infinitâ ſuâ bonitate, Magiſtratus pios defendere ac protegere alios huc uſque ſolitus eſt paternè, idem & Celſitudinem ipſius ſemper miſericordiâ foveat eâ, quâ hactenus illos Principes complexus fuit, qui Eccleſias labentes, Scholas nutantes, laborantes ac turbatos alios vitæ ordines, fulcire, omnibusque modis ſuſtentare ſunt conniſi. **Johannis Friderici Ducis Würtembergici, Principis noſtri Sereniſſimi Clementia erga Academiam Tubingenſem.**

XXIV. Enimverò nunc videte, & mecum conſiderate, quàm ſapienter Legibus, Privilegijs, largitionibus, alijsq; rebus neceſſarijs, firmaverit ſuam Academiam Eberhardus; & ſine Divini Numinis afflatu, hæc tùm temporis in mentem venire non potuiſſe noſtro Fūdatori perſpicietis.

XXV. Preclarè quidem de exſolvendis Stipendijs Profeſſorum, Athalaricus Gothorum Rex, Senatui Urbis Romæ, in hæc verba ſcrībit (apud Caſſiodorum.) Nuper, inquit, quorundam ſuſurratione cognovimus, Doctores Eloquentiæ Romanæ, laboris ſui conſtituta præmia non habere; & aliquorum nundinatione fieri, ut Scholarum

Magiſtris deputata ſumma videatur imminui. Quapropter, cùm manifeſtum ſit, præmium artes nutrire, nefas judicavimus, Doctoribus adoleſcentium aliquid ſubtrahi; qui ſunt potiùs adglorioſa Studia per commodorum augmẽta provocandi. Attamen nil ego hîc dicam de nervis perpetuis, quibus movetur, ſuſtẽtatur & fovetur hæc Schola: de Fiſco nimirùm nihil hîc addam, quo ab Illuſtriſſimo Fundatore clementer dotata; & cujus diſpenſatio à Senatu Academico ad hoc munus deputatis commiſſa eſt: quo nomine æternæ ipſi ſunt pro tàm benignâ & prudenti liberalitate, agendæ gratiæ.

Eberhardi liberalitas in exſolvendis Profeſſorum Stipendijs.

Privilegia & immunitates Inclytæ Academiæ Tubingẽſis.

XXVI. Privilegia modò inſpiciamus, & immunitates, quibus præ cæteris Academijs hæc noſtra cluet, & quibus ceu ſolido fundamento innititur, & dum hæc ſarta tecta perſtabunt, florebit. Aliquot tantùm attingam. Memoriæ proditum eſt, Johannem olim Brabantiæ Ducem, cùm Academiam Lovanienſem inſtituere vellet, monitu Pontificis, omne Jus ſuum in Senatum Academicum contuliſſe, ac liberam ei poteſtatem in Studioſos permiſiſſe. Hinc ibi Rector, utpotè Academiæ Princeps, omne Jus in Scholaſticos habet, cauſas audit, decîdit; mulctat, & grandioris noxæ convictos, punit vel capite. Similiter & noſtra Academia Ampliſſimis Privilegijs, adeoque omnimodâ Juriſdictione, & Mero, Mixtoq; prædita Imperio eſt. Quo Jure, præter Lovanienſem in Brabantiâ, Gryphis Waldenſem in Pomeraniâ, & Ingolſtadienſem in Bavariâ, nulla alia quod ſciam, Germaniæ Univerſitas gaudet: licèt Colerus *in Deciſionibus*, & alicubi etiam Dn. Hilligerus, parile ferè Jus Academiæ Lipſienſi adſcribant. Sanè conſtat, ipſos Bononienſes in criminalibus nullum forum habere privilegiatum: prout nec Scholaſticos Pariſienſes. Ac dum magni refert, gratioſos Judices reperiri, hocce Privilegium maxumi eſſe momẽti, nemo non videt. Alios, quàm Literatos, de Studioſorum delictis judicare, apud quos non mitiget vel ætas adoleſcentiæ, vel favor, qui Studijs debetur, turpe & periculoſiſſimum; apud alios vitæ noſtræ rationem reddere, quàm cum quibus viximus, duriſſimum eſt. In cauſis delictorum & criminum, majus quàm in civilibus, metuendum eſt periculum Studioſis: ob idque rectè etiam hâc in re pleniſſimè ijs ſuccurrere voluit Eberhardus noſter. Veritus eſt optimus ille Princeps, ne extranei in literatorum odium, vel quodvis mortis genus auſu temerario, nec ſervato proceſſu, infligerent delinquentibus Studioſis. Scivit Eberhardus noſter, Rectores Academiarum, eorumque Conſiliarios illos ipſos eſſe, qui Juris & proceſſus ſcientiam, & peritiam habent, ac Studioſos verè amant, adeoque bonos præmijs afficiant, & delinquentes coërceant & puniant juſtè.

Lipſ. Lovanio.

Academia Tubingenſis Mero, Mixtóq; Imperio gaudet.

Matth. Stephani, *de Acad. cap 12.* Heigi⁹, *part. 2. quæſt.* 11. Scip. Gentil. *de Juriſd. lib. 3. cap.* 17.

XXVII.

XXVII. Præclarè Fridericus Primus Barbaroſſa, Sueviæ noſtræ Potétiſſimus Dux, *in Authenticâ habitâ Codice, Ne filius pro patre*, reſcripſit; Dignos ſe exiſtimare eos, quorum ſcientiâ totus illuminatur mundus, & ad obediendum DEO, Principibusque eius Miniſtris, vita ſubjectorum informatur; ut quadam ſpeciali dilectione, ab omni injuriâ defendantur. Cauſam Studiorum ſemper & ubique favorabilem fuiſſe; ac ideò multa eſſe privilegia inventa; ſed ea parùm obſervari; fereque hodiè in vanum illa proponi: ac cavere debere Scholares, ne ſe in ſolo Privilegio Scholaſtico fundent, quia decipientur: Vincentius Carocius ſcribit, *tractat. de Locat. & conduct. tit. Profeſſoribus & Medicis fol. mihi* 159. Et ſapienter ideò Fundator noſter itidem voluit, & ſancivit, ut quicunque Civem Academicum, eiúsve familiam, reali vel verbali injuriâ affecerit; non ſolùm, læſo ſecundum Juris rationem ſatisfaciat, ordinariaque mulctâ plectatur; ſed & ulteriùs pœnæ loco centum florenos pendat. Et ut hæc, aliaque Privilegia omnia, omnes in agro Württembergico Magiſtratus, omnes Vaſalli, Eccleſiaſtici, ac Nobiles, ſubditique alij, ſanctè & inviolatè obſervent; ſeveriſſimè præcepit: & ne ullus ignorantiæ occaſionem prætexere poſſit, quotannis in Eccleſiâ Tubingenſi immunitates Academicorum, publicè ut prælegantur, juſſit: ac ut ſingulis annis præfectus inferior, & duo Judices Oppidani, ſollemne Juramentum de tuendis hiſce Privilegijs, Rectori Magnifico præſtent, ſancivit. Sapiéter hoc proviſum eſt à noſtro Fundatore, quia inter literatos & illiteratos æmulatio depreheditur jugiter. Audiamus Petrum Gregorium Tholoſanum, vulgi ingenium pulchrè depingentem (*libr. 18. de Republic. cap 10 in princ.*) Neſcio, inquit, quantâ corruptelâ infectũ vulgus ſoleat odio proſequi Studioſos, & illis infeſtum eſſe; quanquàm ex eorum aſſiduitate uberrimos colligat annuatim fructus & reditus: & quamvis eâ relevetur impensâ, ne cogatur aliò filios erudiendos mittere, cum diſcrimine & periculo fortunarum, vitæ aut morum eorundem. Et tanta eſt inimicitia inter ignorantiam, & ruſticitatem, ſeu barbariem morum, & ſcientiam, peritiam, & ſtudia virtutis, ut vix ſe compati ſine aliquâ lite poſſint. Sunt & invidi Plebeij & vulgares felicitatis Literarum, ut quanquàm ſine illis benè eſſe nequeant; tamen fulgore & ſplendore illorum & doctrinæ obcæcentur, aut pati radios eius facilè nequeant, &c. Sed ſub hoc noſtro Privilegio ſat tuti hactenùs à technis inſidijsque vivimus, & vixêre ſemper laudatiſſimæ hujus Academiæ Studioſi, qui rixarum turbarumque vitare voluerunt occaſiones.

Authent. habita, Cod. Ne fil. pro patr. de privilegijs omnium, qui literis operam navant.

Pœna eius, qui Civem Academicũ injuriâ afficit.

Inimicitiâ inter literatos & illiteratos.

XXVIII. Honor & gloria loco ampliſſimi ſemper præmij ge-

Honos alit artes.

nerosis ſunt. Honorem alere artes, rectiſſimè veteres dixerũt; & dum Literarum Doctores & Academiæ honorantur; fit ut Studia ſint in majori exiſtimatione. Augetur, creſcit, inquit alicubi Jamblichus, quicquid in honore: deficit & minuitur, quicquid eſt in contemptu. Bona ergò conſequentia eſt, uſu ſæpiùs comprobata: quando Studiorum Præceptores contemnuntur, Studia vileſcunt: & mox ſubſecuturæ barbariei, certiſſimum id præſagium eſt. Illudque adhuc minus fallax eſſe, reputare debemus; ſi illi ipſi inſcitiâ vel faſtu, contemptui atque faſtidio præbeant occaſionem. Memoriæ traditum reperimus, quâ cupiditate priſci Heroës nõ ſolùm liberalibus artibus dediti fuerint, ſed etiam quàm gratos & honorificos ſeſe geſſerint erga eos, qui in illis excelluerunt; unde mirandum non eſt, quòd illorum tempeſtate doctrina & artes ita floruerunt, ut ad nos fructus tàm multiplices ſint propagati. Quemadmodùm enim fruges aëris temperie, liquidiorique cœlo exuberant: haud ſeciùs bonæ artes, eximiaque ingenia, benignitate, honorificentiâ, humanitateque excitantur; è contrà invidiâ, ſordibus, moroſitate eorum, qui rerum potiuntur, reſtinguũtur & langueſcunt. Hinc Doctorum deſcendunt præeminentiæ præclaræ: huic vetuſtum illum morem adſcribo; quòd cùm ad Doctores literas Principes dant, eos in plurali numero alloquuntur: qui honor nec genere Illuſtribus contingit. Non hìc dicam, Doctores Nobilitatem habere; à rebus Eccleſiaſticis ad res Academiarum, à Clericis ad Profeſſores Academiarum, argumentum ritè duci. Matthias Stephani, *tract de Academ cap. 13* & idem, *in Dialect. jur. libr. 2. loc. 176. & ſeq.* & alia ſi quæ ſunt Literatorum & Doctorum Privilegia, à multis deducta. Hæc ſanè literarum literatorumque ut appareat cuivis, eoq; magis conſpicua omnibus præſtantia ut ſit, ideò in Rebuſpublicis literarijs benè cõſtitutis, magna Rectoris, qui caput eſt, & Academiam repræſentat univerſam, ſemper fuit dignitas & ſplendor; Middédorpius, *de Academ. libr. 1. cap. 3.* obvertunt omnes ora, venerantur & cedunt, atque alius quivis honor faſces huic ſubmittit. Ferunt Carolum Quintum, Imperatorem illum verè Auguſtum, cùm fortè Lovanij eſſet, loco ceſſiſſe, & latus Rectori texiſſe, eaque re Majeſtatem Imperatoriam nihil lædi exiſtimâſſe: nec forſan ſine cauſsâ; cùm nihil tàm regium, ſecundùm Ciceronem, nihilque ad benevolentiam conciliandam convenientius reperiatur, quàm ſi quantò ſuperiores ſimus, tantò nos ſubmiſſiùs geramus; quiq; quò plùs propter virtutẽ, Nobilitatémque poſſunt, eò minùs quantum poſſint, oſtendere debent. Scivit prudentiſſimus Imperator, eo ſe famam & nominis exiſtimationem adquirere poſſe, ſi literatos ſe magnifacere oſtenderit, & tantum

Rectoris Magnifici dignitas, atque auctoritas.

Lipſ. Lovanio.

Caroli V. Imperatoris humanitas erga literatos.

tum ſuo accedere nomini, quantum honoris tribuat literatis. Scivit literatorum egere ſubſidio, conſilioque Principes bonos, ideò ipſe Doctis honorem tribuere voluit, ut Doctores, qui non adulatores ſint, ſibi conciliaret. Indeque & in noſtrâ Academiâ providentiſſimè eſt receptum: ut exteri ſi qui adſint Principes, illi præcederent cum Rectore, Comites & Barones, Epiſcopi vel Abbates, eundem proximè ſequerentur. Hâcque præeminentiâ Principi literariæ Reipublicæ, attributâ, literis & virtuti qui jure meritò debeatur honos, oſtendere voluerunt majores noſtri. Memorabile itidem eſt, quod traditur de Ferdinando Magno, magnitudinis Hiſpanicæ Fundatore. Is cùm Franciſco Ximenio, Cardinali ſuaſore, Collegium aliquod Academiæ Complutẽſis ingredi vellet, eique Rector, Patribus ſtipatus, præeũtibus de more Sceptrigeris obviam procederet; Rhabduchi Regij, qui & ipſi Sceptra gerebant, id cõſpicati, voce intentiori, ut Sceptra illa ſua Regi ſubmittãt, acclamare cœperunt. At humaniſſimus Rex, nil eo Majeſtatem ſuam imminui ſciens, ut more ſolito procedant, jubet. Muſarum, inquiens, illas ędes, in ijsque fas eſſe, ut Muſarum ſacris initiati regnarent. Camerarius, *centur. 3. cap. 65. ad fin.*

Statuta renovata Univerſitatis Tubingenſis *fol. 11. & 12.*

XXIX. Sed non ſufficit, Privilegia largiri, & Statuta Legesque rogare, niſi ijs robur, firmitasque procuretur. Teſtem hujus rei Lycurgum produco, qui homo cautus & prudens, cùm animadverteret, quanto cum damno & detrimento, ut cæterarum rerum omnium, ita Legum inſtitutorumque conjuncta commutatio eſſet; negocio neſcio quo ſimulato, ex urbe, ſed ita diſceſſit, ut fidem ſuam adſtringere cogeret Cives, non antè Leges jam latas ſeſe mutaturos, quàm domum reverſus ille eſſet; pòſt in Cretâ ex hominibus abiens, in profluentem cineres proijcere ſuos juſſit, ne illis in patriam fortè transportatis, quaſi Jurisiurandi vinculis ſoluti Spartani, Leges utiliter latas abrogarent. Zaleucum Locrenſem mitto; latère Charõdam Thurium patior, Dioclem Syracuſanum prætereo, nihil de Archidamo, alijsque nunc dicam; qui ſuæ exiſtimationis jacturam facere, liberorum, aliorumque ſanguine junctorum, imò & ſuam in diſcrimen cõijcere ſalutem, quàm Legum quid detrahere authoritati maluerunt. Eberhardus noſter ſimiliter multis modis, clauſulis prægnantibus multis Privilegiorum, huic noſtræ Academiæ irrogatorum proſpexit firmitati. Pontificem, cujus tùm authoritas multùm valebat, & Imperatorem pro confirmatione interpellavit, eamque facillimè impetravit.

XXX. Prætereà ſapienter cùm in Univerſitatibus alijs, tùm etiam in Statutis Academiæ noſtræ cautum eſt, ut in certa capita fu-

Digitized by Google

Juſiurãdum Civium Academicorũ Tubingenſium.

turi Cives jurarent, & inter alia promitterent: velle ſe Scholæ utilitatem & commodum omni tempore & occaſione promovere, damna pro viribus cavere & avertere, nihil adverſus literariam hanc Rempublicam hoſtiliter, improbè, ſceleratéque moliri, machinari, patrare, ullâ ratione aut viâ. Hæc eadem & Juriſiurandi plenior tamen aliquantùm formula, ab ijs repeti conſuevit, qui Scholaſticos aſſumunt gradus. Sed ita, proh dolor, fieri videmus, ut veluti peſtis ſint Academiarum, & ordinis ſui perſecutores infenſiſſimi, qui ante hac in Academijs liberaliter habiti & edocti, Academiæ fidelitatem & omnis generis promotionem juratò promisêre, quos ſola Literarum Studia ad dignitates, & tantam conditionem, quâ nunc ſuperbiunt, evexêre. Hoc ne fieret, ejuſmodi Juramenti præſtatio, à majoribus noſtris, ratione optimâ eſt introducta: Academia & Studia nempè officij præmium & fructum repetunt ab alumnis ſuis; & quoniam ad ampliſſimos honorum gradus, primum aditum illis patefecerunt, ſuæ dignitatis conſervationem ab ipſis jure ſuo repoſcunt: negligentiores hujuſmodi juramenti prçſtatione, ad exolvendum gratitudinis debitum excitant; & ut ingrati, perjurij ultrices furias in ſemetipſos cõcitent, famamque ſuam apud omnes bonos commaculent, efficiunt. Nec ſcio, an hîc ſe excuſare ij poſſint; qui cùm per Litteras adepti ſunt Nobilitatem; ſe aliquandò Doctores fuiſſe obliviſcuntur, eius rei admoneri ægrè ferunt. Vide Clariſſimi Domini Doctoris Thomæ Lanſij de Academijs diſſertationem elegantem, variâ & jucundâ eruditione refertam, *fol.* 83. *&c.* Et ſanè juramentum hoc, jurantem etiam tenet (ad id nimirùm, ut Academiæ benefaciat, & eius commoda pro viribus promoveat) licèt eius membrum eſſe deſierit, & ſeculari Juriſdictioni vel præſit, vel ſubſit. Meminiſſe namque decet, obligationem ſemel contractam, tenere contrahentem, uſque dum ea legitimis modis fuerit diſſoluta: aut caſus incidat ipſo jure exceptus; de quibus Dn. D. Thomas Lanſius, *ſupr. dict. tract. fol.* 27.

Verba ſunt Matthiç Stephani, *tract. de Academ. cap.* 5.

Matth. Stephani dict. loc.

XXXI. Et hæc de Auctore, Patrono & Fundatore, primævaque noſtræ Academiæ conſtitutione & formatione dicta ſufficiant. Sed unicum adhuc me ſuperaddere ipſa rei dignitas cogit: Stipendiorum nempè, quæ Academiæ noſtræ haud leve augmentum & ornamentum adferunt, obliviſci haud decet. Non hîc Illuſtris novi Collegij laudes decantabo; quo Auguſtiſſima Württembergica domus, Germaniam totam ſibi vectigalem fecit; vereque Regio beneficio ſibi in dies magis magiſque devincit. Vide Præfationem in Illuſtris Collegij Leges & Privilegia, *fol.* 5. *& ſeq.* & Seyfridi Greyſij Orationem, *de Laudibus ejuſdem.* Sed eorum, quæ Academiæ ſunt incorporata, faciam mentionem.

Collegium Jlluſtre.

mentionem. Stipendium, in quo Theologiæ, Principis noſtri Illuſtriſſimi ſumptibus liberaliter habentur, Studioſi, quid huic Ducatui profuerit, loquitur res ipſa. Sed & adhuc pro virili, quàm plurimi Württembergiæ Cives, & exteri quoque amplificandæ huic noſtræ Academiæ operam non inutilem dederunt, Stipendiorum quamplurimorum fundatione. Hinc Martinianum (alia complurima involvens) Fickhlerianum, Grempianum, Hochmannianum, Reinhardianum, Fleckhianum, &c. orta, & ſucceſſivum ſuum traxerunt incrementum. Ea autem, quamvis ad Magnificentiam Collegiorum & Stipendiorum, quæ in Angliâ ſunt, (quibus credo non in Orbe terrarum ſimile eſſe, vel fuiſſe. vide deſcriptionem itineris Anglicani, Sereniſſimi Principis, Dn. Friderici Württembergiæ Ducis, laudatiſſimę memoriæ) minimè accedant; tamen talia ſunt, ut multos quovis tẽpore attulerint fructus. Equidem habent ij omnes, qui in Scholis publicis vivunt, beneficia quam plurima, quæ ipſos attingunt. Viros pietate, doctrinâ, fide eximiâ præditos, piæ juventutis erudiendæ ergò, ſumptibus non parvis ali, magnum eſt; non Leges modò utiles dari, ſed & eorundem cuſtodes Ephoros & Sophroniſtas conſtitui, majus eſt; Muſis tutum hoſpitium dari, ac contra omnes omnium injurias, ordinem Scholaſticum retineri tranquillum, ac defendi, maximum eſſe videtur. Verùm quanti faciendum eſſe putatis, Humaniſſimi Domini Auditores, tales ſemper Deum Optimum Maximum Patronos & Mecœnates largitum eſſe, qui prædicta Stipendia adjuverint, non operâ modò, ſed & facultatibus ſuis! Nunc cùm proprijs qui ſumptibus literis operam dare poſſunt, magis genio indulgeant, quàm ingenium culturâ acuant: itaque ut ijs, qui volunt, ſed propter rem domi anguſtiorem, Studijs incumbere nequeunt, de victu amictuque proſpiciatur, omninò eſt neceſſe. Equidem ſi lapide aliquo moto, aut aliâs vitium domus fecerit; annoſæ atque exeſæ nutare, vel procumbere prorſus arbores cœperint, patresfamiliâs frugi qui ſunt, novas ſubſtituunt; & iſdem quæ ad familiam ſuſtentandam neceſſaria ſunt, in æſtate, non hyeme, cùm ſeſe offert defectus, parant. Imperatores ſtrenui ac prudentes, non tàm de exercitu primùm ſcribendo, quàm eodem ſupplendo curam cogitationemque ſuſcipiunt. Multò hoc pijs ac prudentibus viris providendum eſt magis, ut ſcilicèt liberalitate atq; munificentiâ ſuâ tales alant, qui velut lampade tradita ab ijs, quos per mortem exauctorare Domino placuit, Religionis puræ, veritatis Sanctæ, Juſtitiæ venerandæ cuſtodes fidi exiſtant. Et quemadmodùm multi laudatiſſimæ memoriæ viri, ac prædictorum Stipendiorum Fũdatores prudentiſſimi, etiam genium ſuum defraudando, fortunę bo-

Stipendium Theologicum.

Alia Stipendia plura.

De Stipẽdijs & Collegijs, vide omninò Juſtũ Lipſium, *centur. 1. epiſt. 89. & cent. 5. miſcell. Epiſt. 88.*

nis non pepercerunt, ſed publici boni (quod in omnibus anteferendum eſt privato) promovendi & tuendi gratiâ, in pios hujuſmodi Stipendiorum literariorum uſus ea irrevocabiliter converterunt: ita meritò omnes, quibuſcunque Deus magnas largitus eſt opes, eorum inſiſtere veſtigijs; & divitias ſuas eò conferre potiùs, quàm ingratis (quod evenire ut plurimùm, quotidiana, proh dolor! experientia teſtatur) relinquere heredibus ſtudebunt. His verò, qui publicis ejuſmodi ſumptibus aluntur, hoc cogitãdum eſt: ad negocium, non ad otium ſe ali; non eos, à quibus foventur, ſed Eccleſiã publicam defraudare, ſi malè collocaverint Stipendia ſua: nec minorem turpitudinis atque ignominiæ ſibi inurere notam, quàm ij in Caſtris milites ſolent, qui ſemel Stipendio accepto, fideque datâ, aut clàm ſeſe ſubducunt; aut tùm, cùm eſt maximè pugnandum, fugiunt, aut etiam ſeſe conferunt in hoſtium caſtra.

Academiæ Tubingenſis utilitates.

XXXII. Sed jam tempus eſt, optimi Auditores, ut utilitates videamus, quas huic Ducatui, adeoque toti Germaniæ attulit Academia noſtra: ne de nobis dici queat, parturire montes, & naſci ridiculum murem; videndum, inquam, an tantis beneficijs, moliminibus, conatibusque Principum noſtrorum, precium aliquod fuerit, operæ correſpondens. Fundator Scholæ Tubingenſis, in Exordio Privilegiorum, Inclytæ huic Academiæ conceſſorum, commemorat; ſe in eam ſpem certiſſimam adductum eſſe, quòd erigendo Scholam Studij hujus, perẽnem ſibi, & huic Württembergiaco Ducatui gloriam, certam incolumitatem, & immortale decus comparaturus: adeoque fõtis vitæ feliciſſimam ſcaturiginem, quæ in omnes partes exundaret, aperturus eſſet. Is qui Eberhardo noſtro Panegyricum funebrem dixit (anno milleſimo, quadringenteſimo, nonageſimo ſecundo) inter alia ſic ſcribit: hujus noſtri Eccleſiaſtici atque Catholici Gymnaſij fundamenta, primus jecit omnium, atque Patronus extitit, Eberhardus, poſt mortem Probi cognomen adeptus. Hanc Univerſalem plantando Scholam, Eccleſiæ vineam plantavit electam: omne ſemen verum, quo implevit terram, cujus umbra operuit montes & arbuſta Cedros DEI, extendens palmites ſuos uſque ad mare, & uſque ad flumen propagines eius. Hæc verba non ſine Prophetico afflatu prolata mihi videntur, adeò per omnia eventus ijs infallibiliter reſpondit. Quæ enim ad Eccleſiam, & Rempublicam Chriſtianam commoditates, ſi indè uſque à primâ fundatione memoria repetatur, ex hoc fonte, ſecundùm Eberhardi noſtri vaticinium profluxerint, & res ipſa per DEI gratiam manifeſtiſſimè loquitur, & laudes iſtas, nulla unquàm hominum ætas conticeſcet, nullus unquàm Cavillator extinguet.

Dn. Cunradus Sũmerhardus S S. Theol. D.

XXXIII.

Digitized by Google

XXXIII. Etenim vel præcipua laus eſt noſtræ, quòd ex eâ, ceu Colonia quadam deducta eſt Academia Wittebergenſis. Lucas Oſiãder, *Hiſtor. Eccleſiaſtic. centur. 16. part. 1. fol. 12.* Ad eam namque circa prima initia, Tubingâ evocatus venit, Philippus Melanchthon, Wolffgangus Stahel, Rohtenburgenſis Hohenbergicus, Juris utriuſque Doctor, & Ordinarius, Ambroſius Vollandus, Gröningenſis (paulò pòſt in patriam revocatus, & Ducis Ulrici Cancellarius factus) Hieronymus Schurpffius, adhuc in ſcriptis ſuis vivens, alijque. Ægidius Hunnius, *in Epiſtol. dedicat. Commentar. ad Coloſſens.* Et quoque nunc porrò pro temporis ac inſtituti ratione, inductione aliquorum, quos hæc noſtra vel foverit, vel erudierit Academia, & nunc quòd alios ad Juſtitiam inſtituerunt, lucent in cœlo, tanquàm Stellæ firmamenti, multiplicem utilitatem aſſeram Academiæ noſtræ. Et verò Sapientia illa, quam in hâc naturæ imbecillitate, homo per DEI gratiam, & Literarum Studiorumque adminiculo aſſequi poteſt, non in aliquâ ſuperficiali Politices ſcientiâ, externorumque rituum, & Aulicorum geſtuum cognitione; ut nunc malè feriati multi, ſibi perſuaſum habent: ſed in Theologiæ, Juris Divini & Humani, publici & privati, Medicinæ, Philoſophiæ, artiumque liberalium, & trium linguarum conſiſtit diſciplina. Hincque communiter in omnibus Academijs, Studia in quatuor Facultates, ſeu Studiorum Collegia diſtinguuntur. In omnibus autem his Facultatibus hiſce ſemper excellentiſſimos habuit Profeſſores, ſemper eruditiſſimos produxit Diſcipulos, Academia hæc. **Quatuor Facultates.**

XXXIV. Theologiam namque quod attinet, hoc ſingulariter habet Univerſitas hæc, quòd etiam antequàm Lutherus Pontifici reſiſteret, ſemper hîc purior viguit Doctrina, nec ſuperſtitionibus, alijsque erroribus prorſus fuit coinquinata. Ipſe Fundator, ut de eo teſtatur Cunradus Summerhardus, in Oratione Funebri: incomparabili arſit deſiderio, ut eò viveret, quoad uſque Univerſale Concilium, ad Reformationem Eccleſiæ, fieret in membris, atque in capite. Scivit forſan Princeps Pientiſſimus, in Pontificio Regno, **Theologi Inclytę Academiæ Tubingenſis.**

A ſummo capitu, pedu pariter uſque deorſum
Ad plantam, ſani nil ſupereſſe. ——

Et ergò Reformationem exoptavit, non deſtructionem, utve incendium ruinâ extingueretur. Celebrat Cunradus Pellicanus, *in Præfatione Commentariorum in Biblia*, duos celeberrimos viros, à quibus multùm adjutus ſit in Studijs Tubingæ: Paulum nempè Scriptoris, quo nihil unquàm habuerit præſtantius Ordo Minorum; & Cunradum Summerhardum, quem vocat Theologorum Decus, & Tubin-

genſis Scholæ tunc columen. Ante annos centum, & quinquaginta, in Scholâ Pariſienſi publicè docuit Stephanus Brulifer, qui magnâ Auditorum frequentiâ, conſtantiâ magnâ, & animi integritate, contempto Beſtiæ charactere defendit & propugnavit; Doctrinam, quæ meritis hominum juſtificationem adſcribit, mendacem, imò diabolicam eſſe. Eccleſiæ non eſſe poteſtatem ſtatuendi & præcipiendi quicquam, ſub pœnâ peccati mortalis. Item ei nullam facultatem, niſi tuẽdi Sacramenta à Chriſto traditam, & tãtummodò eorum Miniſtram inſtitutam eſſe. Hujus Diſcipulus fuit Paulus Scriptoris Tubingẽſis, de quo dixi, qui Præceptoris articulos omnes adprehendit & ſecutus eſt. Ac cùm Tubingæ Scotum prælegeret, tranſſubſtantiationem negavit, aſſerens; omnia Dei verbo, ceu Lydio lapide probanda, cœtera cuncta erronea eſſe. Et hic item, ſolitus fuit prædicere mutationem Religionis. Cunradus Summerhardus, Calvvenſis, Theologiæ Doctor & Profeſſor, de contractibus & decimis, utiliſſimum ſcripſit librum: & qui dignus judicatus fuit, qui nuper in Gallijs elegantiſſimis typis recuderetur: edidit, & præter alia complura, (à Melchiore Adami, *in vitâ Theologorum*, enumerata) Commentaria in Summam Phyſicæ Alberti Magni: quibus tale ſolutum Epigramma (ita vocat) Jacobus Wimphelingius præſcripſit. Quia te Deus erudivit, & de Lege ſuâ docuit, Cunrade ſuaviſſime; beatum te dubitet nemo. Non enim hæſiſti litteris ad pompam, vel ad opes famulantibus: ſed Divinæ Sapientiæ, ſed Scientiæ, Pietatis, Concordiæ & Charitatis, quâ ſolâ beamur. Et certè ſuâ is eruditionis famâ, longè lateque Scholam noſtram illuſtravit. Hunc Johannes ille Staupitius, Orbi notiſſimus, docentem Tubingæ audivit: ac ſæpè in memoriam ſibi revocare, & ad alios in congreſſibus familiari ſermone uſurpare ſolitus eſt, verba, quæ Summerhardus hicce noſter nõ ſine adfectu protulit olim: Quis me miſerum tandem liberabit ab illâ rixoſâ Theologiâ? Melchior Adami, *in vitâ Summerh* Mattheſius, *de vitâ Lutheri, conc.* 12. *fol. mihi* 133. Præclarè olim Johannes Gerſon, Theologorum Coryphæus, & Cancellarius Academiæ Pariſienſis, alicubi ſcriptum reliquit: Bibliorum faſtidium atque contemptum, ad Anti-Chriſti impietatem, aditum & januam eſſe. Rudolphus Botereius, *hiſtor. libr.* 7. Et ad Apophtegmata Alphõſi, Neapoleos Regis, Æneas Sylvius, *libr.* 2. *num.* 17. adnotavit: Pudeat Italiæ Sacerdotes, quos ne ſemel quidem novam Legem conſtat legiſſe: cùm apud Thaboritas vix muliercula inveniatur; quæ de Novo ſimul & Veteri Teſtamento neſciat reſpondere. Ac addit: Alphonſum Biblia univerſa, cùm Commentarijs & gloſſis, quater & decies legiſſe. Pariter Summerhardus noſter, *in Funebri Oratione Eberhardi*: in Canone

Catalogus teſtium veritatis.

Monachi malè audiũt.

none, Veteris & Novi Teſtamenti ſolo, ut in fonte, omnem litterariam ſapientiam reſidere fatetur. Hic idem etiam libellum ad Monachos ſcripſit: cujus argumentum eſt; Multa in iſto hominum genere deſiderari, inprimis autem, quòd non diligenter invigilent Litteris Sacris, & ſint idololatræ, ſervientes ventri, &c. Huic Jure meritò ſubnecto Gabrielem Biel, Spirenſem, Theologum, & ſententiarum celeberrimum Explanatorem; alijsque editis Scriptis illuſtrem. Qui in Miſsâ Corpus Chriſti eſſe negâſſe; Indulgentias item improbâſſe ac retractâſſe fertur. Succedat Johannes Nauclerus (vulgò Fergenhans) Nobili genere natus, Decretalium Doctor; Maxæmiliano Primo, Romanorum Imperatori Auguſto charus. Roo, *in Annalib. fol. mihi* 316. Fuit is Eberhardi Barbati Præceptor; pòſt Præpoſitus Eccleſiæ Collegiatæ apud Stutgardianos: demùm primus Academiæ noſtræ Rector, ac Cancellarius Secundus; Dn. D. Harpprechtus, *in Oration. fol.* 734. Hiſtoricus item celeberrimus: & qui Pontificum artes, & Imperatoribus atrociſſimas illatas injurias, non uno loco detexit. Et talis fuit ante Lutheri Reformationem Academiæ noſtræ Theologia. Taceo jam olim fuiſſe, & adhuc etiam, Tubingę aliquas extare antiquas, Propheticas, & Myſticas figuras, quibus Papatus (aut eius abuſus) ridetur, & aliquæ ceremoniæ præſertim Indulgentiarum nundinationes, omnium ludibrio exponuntur: quorum meminit Beza, *Epiſt. Theolog.* 81. & etiam Johannes Wolffius, *in lectionibus memorabilibus*, monogramma habet.

Johannes Wolffius, *Tom. 1. lection. memorabil.*

Johannes Nauclerus Eberhardi Præceptor.

XXXV. Inſuper in hâc Academiâ noſtrâ, & alij celebratiſſimi fuerunt Theologi, Theologiæque Profeſſores; in toto propemodùm Orbe deprædicati. Martinus nempè Plantſch, Collegij Martiniani Fundator, ac propter librum, quem de veneficijs ac ſortilegijs ſcripſit, clarus: ac qui ut Eccleſiæ Paſtor, monitis ſuis ſerijs impedivit, quò minùs Cives Tubingenſes plebis conjurationi (vulgò der arme Contz) ſeſe aggregarent. Jacobus Andreæ, Waiblingenſis; Jacobus Heerbrãdus, Giengenſis; Jacobus Beurlinus, Dornſtettenſis, qui in Gallijs, cùm ad Colloquium Poſſiacenſe proficiſceretur, vitam cum morte commutavit. Theodoricus Schnepffius, placidus Theologus, & diſertiſſimus Orator. Michaël Schæfferus, Johannes Georgius Sigvvartus, Andreas Oſiander, junior; Matthias Hafenrefferus, Stephanus Gerlachius (quem inter Doctiſſimos ſuæ profeſſionis referre ſolebat Hafenrefferus) Johannes Henricus Hiemerus: plurimique alij, quos omnes nominatim recenſere, temporis anguſti ratio interdicit. Johannes etiam Brentius, qui ſecundus à Luthero habetur, Præpoſitus Stutgardianus, ac ita Academiæ Commiſſarius fuit; & quoque hîc

Alij Theologicæ Facultatis Profeſſores Academiæ Tubingẽſis.

Digitized by Google

Sacra enarravit. Simon Grynæus, Veringenſis, ex Zollerano Comitatu, Theologus, ac item princeps ſuæ ætatis habitus Philoſophorum ac Philologorum, per biennium ſubſtitit Tubingæ, ac Eccleſiam & Academiam reformavit. Tobias Adami, *in vitâ.* cui operæ eidem, Paulus Conſtantinus Phrygio, adhibitus, ac Theologię Profeſſor, Eccleſiæque Paſtor fuit.

Theologico Studio operam navantes, à multis retrò annis, ad noſtra uſque tēpora.

XXXVI. In hâc etiam Academiâ, Theologico Studio, feliciter operam dederunt, honorumque gradus ſunt conſequuti: Matthæus Lang, ex Auguſtâ, poſtea Sancti Angeli Cardinalis, & Archiepiſcopus Salisburgenſis; Anno Chriſti, milleſimo, quadringenteſimo, nonageſimo, Magiſter hîc renũciatus. Chriſtophorus Stadion, à Schelckhingen, Epiſcopus Auguſtanus. Eraſmus à Limpurg, Pincerna hereditarius, ſedulus Stöffleri Auditor, & poſtea Epiſcopus Argẽtinenſis factus. Bernhardus Hertzog/ in der Elſäſſiſchen Chronick/ *lib.* 4. *fol.* 121. Michaël Geldinus, Riedlingenſis, qui poſtea ſemet Sidonium nominavit, Martiniani Stipendij Alumnus, demùm Merſeburgenſis in Miſniâ Epiſcopus: vide Camerar. *in vit. Philipp. Melanchthon* Johannes Gaudentius Anhauſer, Reuttlingenſis; hîc Magiſterij honore, Viennę verò, infulâ Epiſcopali inſignitus. Dn. Cruſius, *in Annalib Suevic.* Ambroſius Blaurerus, Conſtantienſis; Monachus Alperſpachenſis, Baccalaureus & Magiſter hîc factus. Philippus Melanchthon (illud Germaniæ lumen) per totum ſexennium hîc vixit: Philoſophiæ, Theologiæ, ac etiam Juriſprudentiæ & Medicinæ Profeſſores audivit. Magiſter etiam hîc renunciatus, & Contubernij aliquandiu Rector fuit. Privatim ac publicè, magnâ ibidem docuit cum laude, & ſcripta edidit etiam in lucem. Præfuit quoque Typographicæ Officinæ Anshelmi: ubi tùm grande illud Hiſtoricum Volumen Johannis Naucleri excudebatur (ſumptibus Civium aliquot honeſtorum, Cũradi nempè Breüningi, Chiliani Veszler, & Johannis Zwyfel) in quo multa, quæ corrupta erant, Melanchthon emendavit, multa mutila complevit, confuſa in ordinem redegit, obſcuris reddidit lucem, ſupervacanea præcîdit; eoque effecit, ut liber ille, qui antea farrago veriùs, quàm integræ hiſtoriæ corpus erat, poſteà à multis & adpeteretur, & magnâ cum utilitate legeretur. Vixit hîc Matthæus Aulberus, poſtea Theologię Doctor; qui in cauſsâ fuit, ut vicini noſtri Reuttlingenſes, Anno Chriſti, milleſimo, quingenteſimo, trigeſimo, hoſtibus undique circumdati, Auguſtanæ (unà cum pauciſſimis Imperij Civitatibus) audacter ſubſcriberent Confeſſioni. Et item Johannes OEcolampadius, vulgò Hauß Schein/ Weinſpergenſis, hîc operam litteris dedit. Reuſnerus, *in Iconibus.* Conradus quoque Brunus, qui de Le-

Winshemi⁹, & Dn. Jacob. Heerbrand. *in Vit. Philipp.*

Reuttlingẽſes Anno Chriſti 1530. Auguſtanæ Confeſſioni ſubſcripſerunt.

de Legatorum Jure, & alia præclarè ſcripſit: (quæ ut iterato prælo ſubijciantur, omninò mereri videntur) Cancellarius poſtea ſeptem Imperij Principum, Cameræ Imperialis Adſeſſor, Canonicus item Auguſtanus & Ratisbonenſis fuit. Ungersdorffer/ in der Erinnerung von den Calviniſten/ *fol. 90. & ſeq.* David Kochhaff, Mentzingenſis, qui poſtea ſe Chytræum nominavit; gradum Magiſterij Tubingæ eſt adeptus. *Vide ejuſdem Orationem, de Kraichgoa, ad fin. & ejuſdē Funebrem Orationem*, Dn. Zieglerum, *in Oratione Funebri Georgij Liebleri, fol. 8.* Vixêre hîc ſatis diu; Samuel Neuheuſer, Ulmenſium Eccleſiaſtes; (libello precum, quem edidit, bonis omnibus notus) Jacobus Schopperus, primùm Heidelbergæ, pòſt in Academiâ Noricâ Sacroſanctæ Theologię Profeſſor, (qui Germaniæ Hiſtoriam, & Theologica multa luci dedit) Jacobus & Philippus Heilbronneri. Felix & Balthaſar Bidembachij. Wilhelmus Holder, Ægidius Hunnius, & Polycarpus Leyſerus, ambo Winidenſes, Johannes Magirus, Moſes Pflacher, Johannes Pappus, Georgius Mylius, David Rungius, Johannes Hauberus. Omitto alios permultos, qui adhuc per gratiam Dei, vitali fruūtur aurâ: omitto quamplurimos alios, qui ſcriptis haud ſibi nomen perenne pepererunt, vel mihi nunc non ſuccurrunt: Eccleſiæ tamen Württembergicę, & paſſim in Germaniâ alijs, non parùm profuerunt. Quorum omnium ac ſingulorum laudes, fructusque commemorare ſi vellem, non horula unica, mihi præfixa; ſed ne quidem integer dies, ſatisfacturus mihi eſſet. Solâ hâc Univerſitate, tanquàm aptiſſimo inſtrumento; Deum noſtrum benignum effeciſſe, quòd purior adhuc in patriâ noſtrâ, alijsque locis quamplurimis vigeat Doctrina, fateri cogitur vel invidia ipſa.

XXXVII. Nec minùs ferax fuit Academia noſtra, in producēdis Politicis, & Jureconſultis. Profeſſores Juris, qui nunc in Domino quieſcunt, & ſcriptis tamen apud poſteros vivunt, multos enumerare licet. Docuit hîc Martinus Uranius, ſive Prenninger; cujus extant Conſilia, & Lecturæ in aliquot Titulos Canonici Juris. Johannes Sichardus, exactiſſimus Codicis Juſtinianei interpres: primus hic in lucem protulit Codicem Theodoſianum; reſtituit etiam Prudētium & Juſtinum, edidit Clementem Papam, & quantùm verſatus fuerit in Patrum Scriptis, Præfatione ſuâ *in dictum Clementem* demonſtravit. Ludovicus Grempius à Frewdenſtein/ Stutgardianus, quoque docuit hîc: & idem Bibliothecam ſuam, libris omnium Facultatum (præſertim Juridicis) ſatis refertam, in hâc Academiâ voluit extare. Idem ille Magnifico Stipendio poſteris & Agnatis ſuis, literas addiſcere cupiētibus proſpexit. Ejuſdem etiam eſt, liber ille Brederodio adſcriptus, cont-

Juriſconſulti & Politici Academiæ Tubingēſis.

Bibliotheca Grempiana, omnium Facultatum libris refertiſſima.

Digitized by Google

continens Reſolutionem Inſtitutionum : & extant quoque eius in Codicem Erotemata, quæ Jacobus Schegkhius junior, prȩlo commiſit. Valentinus Voltzius, Horbenſis Hohenbergicus, Placitorũ Feudalium, & Criminalium Sanctionum Profeſſor fuit: cujus extant *ad Legem Corneliam de ſicarijs, & de Inquiſitione* poſthumi tractatus; & conſilium, *de filiâ ſemel à Feudo excluſâ, iterum admittendâ*: quod ego adnexui tractatui meo, *de Regiâ Succeſſione & Electione*. ac ſimul unà monſtrant, quanto cum damno Juriſprudentiæ noſtræ, cætera eius opera (quæ manu ſcripta apud multos extant) cum tineis & blattis pugnare cogantur. Docuit hîc Carolus Molinæus, Juriſconſultus Pariſienſis, & Matthæus Grybaldus, Rhætus, poſtea ob errores, quos de Sacro-Sanctâ Trinitate fovit, in exilium pulſus. Prætereo alios multos; qui famam magis contempſerunt, quàm non meruerunt. In hâc Academiâ Litteris operam dederunt Joachimus Mynſingerus à Frũdeckh, Johannes Fichardus, Jacobus Spiegelius, Johannes Wolffius (qui variarum lectionum opus illud ingens compilavit) Georgius Obrechtus, Johannes Georgius Gõdelmannus (qui de ſortilegijs ſcripſit) Scipio Gentilis (qui ſub Cruſio multùm profecit, *vide eius funebr. Orat. conſcriptam* à Piccarto) Illuſtris Georgius Acacius Enenckhel, qui de privilegijs edidit luculentiſſimos aliquot tractatus. Jacobus Schegkhius, Jacobi (Philoſophi illius incomparabilis) Nepos, magni nominis apud exteros, & maxumæ ſpei; qui variam ſuam eruditionem in Præmeſſis, & ad Paterculum notis prodidit; Juris verò cognitionis in Delibatis, ſeu ad Inſtitutiones Diſputationibus, egregium ſpecimen dedit. Addo his Johannem Jacobum Plebſtium, acutiſſimum Juriſconſultum, (qui ad Jus Topicum Wurttembergicum, & de Feudis accuratè eſt commentatus) Johannem Bidembachium (cujus extant quæſtiones Nobiles) practicum inſignem. Hîc, quod ſilentio minimè involvendum eſt, in Magiſtrum promotus fuit, Sebaſtianus Schertlin à Burtenbach (cujus poſteri Nobilitatem ab hoc promeritam egregiè tuentur) Clariſſimus æquè Civili ac Prudentiâ militari; qui etiam litterarum huncce honorem, plerunque nominis ſui ſubſcriptioni addidiſſe fertur. Studioſus & Civis Tubingẽſis erat Michaël Coccinius, qui teſte Geſnero, *in Biblioth.* deſcriptionem edidit noſtræ Tubingæ: & item Hiſtoriam Rerum Italicarum ſcripſit, ac Viti de Fürſt/ Gubernatoris Mutinenſis Ducatus, Cãcellarius fuit. *vide Refutat. Fabulæ Burdon. fol. mihi 395.* Refertur etiam Valerius Anshelmi, Academiæ noſtræ Alumnus, Hiſtoricus Scriptor: Dn. Cruſi⁹, cujus tamen nihil adhucdum vidi. Et tandem, nulla ferè familia Nobilis, in Germania eſt, quæ non plantam aliquam in hunc miſerit hortum.

Digitized by Google

tum, nulla præterea eſt Aula, Reſpublica nulla, quæ non quamplurimos Conſiliarios debeat Academiæ noſtræ. Eadem Auguſtiſſimo illi Imperij Romani Tribunali, multos Adſeſſores, multos item ſuppeditavit Advocatos.

XXXVIII. Medicos ſi quis requirat, produco Johannem Widmannum, dictum Mechinger: (qui de Thermis Ferinis edidit tractatum) Jacobum Scheggium, Philoſophum ſummum, & elegantioribus etiam litteris adprimè eruditum (namq; & Arrianum Stoicum, veſte Latinâ induit, & Theognidem Carmine reddidit admodùm eleganti.) Leonhardum Fuchſium (primum ſuperiori ſeculo Medicinæ repurgatorem; & qui eandem, in hâc Academiâ, ratione optimâ, aptiſſimaque Oratione, multos per annos fideliter ac ſtudiosè explicavit) Johannem Viſcherum Wembdingenſem (qui Aphoriſmos Hippocratis Commentario illuſtravit) Andream Planerum, Nobilem Atheſinum, ſcriptis Medicis & Logicis clarum. Qui porrò Ludovicum Havvenreutterum, Nicolaum Taurellum; ſurculosq; alios propagârunt admodùm multos, feliciſſimo ſatu: quorum in alijs diverſis Academijs nonnulli, ſummâ cum laude publicè docent; alij medicinam faciunt cum admiratione. Medicæ Facultatis Profeſſores.

XXXIX. Philoſophos ſi quis petat, & doctrinæ elegantioris, artiumque ac linguarum peritos; nullo unquàm tempore ijs deſtituta fuit Academia noſtra. Namque ut verè Camerarius ait in vitâ Philippi Melanchthonis: Humaniorum Studiorum, & Philoſophiæ Profeſſores, ſemper habuit Tubinga, quorum Eruditio ac Scientia, Germaniam excoluit totam. Teſtes ſunt Johannes Braſſicanus, Tubingẽſis Pædotriba (cujus Epiſtola, in laudem Academiæ hujus celeberrimæ, ad finem eſt ſubnexa) Jacobus Henrichmannus, Sigiſmundus Lupulus (Grammatici ſui ſeculi Clariſſimi) Johannes Pedius Tettingerus, Tubingenſis, qui Württembergica Bella, carmine & proſâ ſcripſit admodùm concinnè. Quos omnes, anne docuiſſe, vel didiciſſe tãtùm Tubingæ, in ambiguo mihi eſt. Sed verò Johannes Reuchlinus, ſeu Capnio, Phorcenſis (qui ad Pontificem Legatus, Romæ audivit Profeſſores Græcos & Latinos: primusq; in Germaniâ docuit Sacram Linguam) in ultimâ ſenectâ; Hebreæ, ac ut puto, Grȩcæ quoque Linguæ, in Academiâ noſtrâ Profeſſor fuit; quem jugiter alij ejuſdẽ linguæ gnari, ſunt ſubſecuti. vid. Dn. D. Michaëlis Beringeri, *Præfat. in Inſtitut Hebraic. Ling.* Siſtimus hîc Georgium Weigenmajerum, callẽtiſſimum Hebraicȩ, aliarumque Orientalium Linguarum: & qui, animo Arabicæ Linguæ penitiùs percipiendȩ Italiam adijt, ibique obijt, æquè magno ſuorum dolore, atque illorum Studiorum jacturâ. Joa- Philoſophi, & bonarum artium, ac Linguarum Profeſſores.

chimus etiam Camerarius Doctorum ſuæ ætatis in Germaniâ facilè princeps docuit hîc: Scholamque noſtrã tùm jacentem Legibus (ſeu Statutis) & alijs etiam rationibus, feliciter erexit; ac ſemel etiam ibidem Rector Magnificus fuit. Martinum Cruſium ſubjungo (cui Suevia, multique Suevi vitam etiam poſt mortem debent) ac Kunium quoque, quem ſibi ut aliquãdò ſuccederet in Græcâ Profeſſione, Magnus, & Barbaris etiam gentibus notus Cruſius, dignum judicavit: quique Poëmata Græca, pręſertim deſcriptionem quatuor tẽporum anni, jucundâ varietate refertiſſimam, luceque omninò dignam, conſcripſit. Hîc item Græcam Linguam, Hieronymus Wolfius, & Wilhelmus Xylander excoluerunt.

Mathematici. XL. Nec unquàm Mathematicis præcellentiſſimis fuimus deſtituti. Docuit hîc Stöfflerus, annos multos: non vivâ ſolùm (Diſcipulos ex varijs nationibus habens complures) ſed & mutâ voce; eâ tamen multis ſeculis victurâ. Ab eoque Sebaſtianus Münſterus, Mathematicas artes didicit exactè: profeſſus ob id aliquandiu Ordinem Franciſcanorum hîc Tubingæ; eò loci, ubi nunc eſt Collegium Nobilium & Generoſorum, Illuſtre. Schëubelius quoque (qui in Euclidem ſcripſit) Samuel Siderocrates, (*vide vitas Medicorum* Adami) & Philippus Appianus, vulgò Bienewitz (filius, diſciplinæque Mathematicæ heres, Petri Appiani patris.) Matheſeos hîc Profeſſores fuêre pariter, Eraſmus Oſvvaldus Schreckhenfuchſi°, Auſtrius natione; Mathematicarum Diſciplinarum, Linguæque Sanctæ (exemplo Mũſteri, Doctoris ſui) perquàm Studioſus, Magiſter hîc renunciatus fuit.

Poëtæ. XLI. Poëtas habemus Henricum Bebelium, inter primos, Linguæ Latinæ apud Germanos Reſtauratorem; quique Anno Chriſti milleſimo, quingenteſimo, frequenti Auditorio, Poëtas, Hiſtoricos, ac Oratores enodavit, craſſamque Barbariem pro virili oppugnavit. Habemus Nicodemum Friſchlinum, Erhardum Cellium &c. Litteris hîc operã Caſpar Bruſchius dedit, Hiſtoricus & Poëta, admodùm Clarus, Alexander Braſſicanus hîc vixit, filius Johannis: Criticus celeberrimus, & Melanchthonis Præceptor: cui primam Salviani editionem debemus, Theologi pij & elegantis, noſtroque ſeculo, lectu planè digni; quem etiam notis illuſtravit, & in Epiſtolâ Dedicatoriâ, ad Chriſtophorum à Stadion, Epiſcopum Auguſtanum, multos in ſuâ Bibliothecâ manu ſcriptos Codices latentes recenſet, eorumque editionem promittit Braſſicanus. Docuêre ibidem Matthias Garbitius, Illyrius, & Michaël Toxites. Hîc item Melchior Volmarus, Rotvvilenſis, ultrà viginti annos, Jus Civile, & Utriuſque Linguæ Claſſi-

cos

Digitized by Google

cos Auctores, ſummâ cum dexteritate, & Auditorij fructu, eſt interpretatus: eique Poëmata ſua juvenilia Theodorus Beza dedicavit, nec unquàm ſine laude ſingulari mentionem eius facit. Vide vitam Bezæ, ab Antonio Fayo *ſcriptam*. Hìc Georgius Lieblerus, Phyſices; & Samuel Hailandus, Ethices ob compendia noti, fuerunt auditi. Ex hâc tandem noſtrâ Academiâ, tùm quos dixi, tùm quos enumerare temporis propter anguſtiam nequeo, prodierunt viri Docti.

XLII. Hoc ab effectu deductum firmiſſimum argumentũ, quid profuerit Academia noſtra; & quòd tùm Principes noſtri, tùm alij omnes, imò Germania univerſa, & præſertim hic Ducatus, magnas graviſſimasque, hanc noſtram Academiam favore ſingulari proſequendi, eamque porrò ſartam tectam omni ex parte cõſervandi cauſſas habuerit, & adhuc habeat, oſtendit luculenter. Nec ea enim hoc noſtro tempore effœta eſt, ſed Profeſſores in omnibus Facultatibus, fideliſſimos & celeberrimos habet: antiquis illis jam defunctis, omninò pares. Theologiæ hìc ſunt Profeſſores, quorum in Eccleſiâ promerita, gratâ ſemper agnoſcenda & recolenda ſunt memoriâ, niſi illius, talia qui dedit Doctrinæ lumina, gravem in nos iram, pœnas in nos excitare atroces velimus: precibus ij aſſiduis, meditationibus pijs, ſtudio continuo hoc efficere conantur, ut Sacrarum Literarum interpretatione piâ, fidei conformi, doctâ, perſpicuâ; exercitationibus quoque hanc ad rem accommodatis, non ſolùm Sacroſanctæ Theologiæ Studioſis, verùm etiam reliquis Pietatis & Religionis veræ amantibus commodetur. Anteceſſores in Juriſprudẽtiâ adhuc per DEI gratiam habemus, Doctrinæ eminentiâ inſigni, cæteriſq; virtutibus, ac variarum rerum cognitione, uſu & exercitio præſtantiſſimos, Juſtitiæ Sacerdotes Religioſiſſimos, veræ Religionis cuſtodes, honeſtę diſciplinæ patronos, defenſores honeſtatis fortiſſimos, acerrimos. In quorum ut & reliquarum Facultatum, ac præſertim Antiſtitũ & Doctorum Philoſophici Collegij laudem meritiſſimam, plurima nullo nunc adferre poſſem negocio; niſi ijs me malevolentes accenſituri eſſent, qui plùs quàm par eſt, auribus tribuere ſolent; aut niſi ego infimus diſcipulus, in cauſa Præceptorum meorum teſtificaturus, ceu legibus ſuſpectus reijci mererer.

De Profeſſoribus omnium Facultatũ, præſentis noſtri ſeculi.

XLIII. Quandoquidem ergò cum Doctoribus, Profeſſoribusque Academiæ noſtræ (ſuaviſſimi Domini Auditores) pręclarè adeò res comparata eſt; quòd nempè in diſcipulos ſuos animum induunt paternum, illorum commodis nihil prius nec antiquius habent; maxima quia ipſorum omnium & ſingulorum cura eſt, mẽte purâ DEUM ut colat juventus Studioſa, tenerrimis animis, ſaluberrimum ſanioris

Profeſſorum officium.

Digitized by Google

de Deo, Doctrinæ lac inſtilletur; provectioribus ſolidioris quid cibi daturi quia præmandunt, quò apprehenſum benè, concoquatur meliùs, digeratur facillimè; operam quia dant, ut modeſtiâ & verecundiâ, velut holoſerico, cæteris hominibus præpolleant literarum Studioſi; omniumque virtutum ornamentis; velut gemmis precioſiſſimis, cum alijs certent, præ alijs coruſcent ac ſplendeant: noſtrũ quoque erit, viciſſim cogitare, quid noſtri officij ſit. Agite ergò, cogitemus attentè, cogitemus quotidiè. Vt enim fruſtrà ſemina ſparguntur, niſi illa præmollitus foverit ſulcus: ita felix atque fortunata eſſe inſtitutio nequit, niſi ſociata & tradentis & accipientis, ac cùm docentis, tùm diſcentis concordia extiterit, redamare amantes nos, venerari, in oculis ferre noſtrum erit; noſtrum erit à nutu & voluntate eorundem dependere, omniaque exſpectare bona. Auctoritatem eorum negligere, non vereri conſpectum, nobis Religio ſit Obediẽtiâ alterum ab altero vincere conari, certamen optimum reputemus. Obſtrictos antè, nobis devinctos magis obligatosque reddere, omnibus pietatis & obſervantiæ ſtudijs, cordi nobis ſit. Gratam acceptorum beneficiorum memoriam, vitalem dum ducimus ſpiritum, animis haud elabi noſtris patiamur. Cumque ijs par honor & precium, veram qui ſapientiam ac virtutem nobis impertiunt, referri non queat: referre ſaltem gratiam tantam, quantam quiſque poteſt maximã, ſtudeamus.

Officiũ Studioſorum.

XLIV. Cicuremus inſuper ingenia noſtra, ut ſecum conſiſtere, atque his delectari poſſint, quæ utilitatem potiùs afferunt, quàm voluptatem. Non faſtidium ciborum à Prçceptoribus propoſitorum ullum nos capiat unquàm. Comeſta ruminemus, inque ſuccum ac ſanguinem optimum convertamus. Veſtigijs Præceptorum inſiſtentes, ductũ eorundem ſequamur, ne incerto, quod aiũt, pede vagemur, aut (quod fieri ſæpiùs ſolet) ſpacium ſemel decurſum magnâ cum moleſtiâ & jacturâ repetere neceſſe habeamus. Non turpe ducamus, alios diu audire, ſed magis eò uſque diſcere ſatagamus, quòad non pœniteat profeciſſe. Simus veræ pietatis amantes, quę Dux eſt omnium aliarum virtutum, ac de quâ divinè planè, ter maximus ille Hermes jã olim ſcripſit: Una cuſtodia pietas eſt, pium hominem nec dęmon malus, nec fatum tenet; Deus liberat pium ab omni malo: quod unum & ſolum in hominibus bonum, pietas eſt. Lactantius, *Divinar. Inſtitut. libr. 2. cap. 16.* Noſtram item profeſſionem in vitâ, inceſſu, moribus, geſtu, & ubique demonſtremus.

XLV. Hæcque eò magis operâ ſedulâ faciamus, quòd in ſolam noſtram, quicquid præſtamus, cedere utilitatem, certè ſtatuere quimus. nobis enim tanquàm floſculis, & Reipublicæ, Eccleſiæque ſeminarijs

Digitized by Google

minarijs (ut ſenex ille apud Comicum monet) nobis, inquam, ſeritur, nobis metitur. Accedamus ergò ad virtutis Templum, quod hoc noſtro Tubingiaco in agro nobis ædificatum, nobis apertum, nobis denique deſtinatum eſt. Noſtrum nunc eſt, ut puris veſtibus (pijs & modeſtis mentibus dico) tantam & tàm magnam munificentiã grati accipiamus. Hâc autem ratione, rectiſſimè & litare, & libare poterimus, ſi illecebras peccati, tanquàm colubrum, ut docent nos Literæ Sacræ, fugiemus; & in vocatione noſtrâ, ſeduli manebimus & diligẽtes. Ut enim invia deſidiæ eſt omnis via; ſic

Invia nulla via eſt, quando labor improbus inſtat.

Omninò, ut Plautinis verbis utar: qui è nuce nucleum eſſe vult, frangat nucem: & qui commodum appetit, ne fugiat laborem. Hac ratione & nobis maturus aditus, per virtutis templum, ad honoris ædem patebit. Quemadmodùm enim portæ, ſegnibus, ſtupidis, perverſis & impuris haud patent; ita induſtrijs, docilibus, modeſtis & caſtis ſpontè aperiuntur. O quàm pulchrum eſt illud:

Nil dictu fœdum, viſuq́; hæc limina tangat,
Intra quæ puer eſt.——

Cogitent ideò ſinguli & univerſi; amplum hoc ſplendidumq́ue ædificium, non Dijs, Deabusque Ethnicis, ſed Chriſto & Studijs, cum hoc Elogio conſecratum eſſe:

Inſignis pietas, & ſedula cura Senatus,
Hanc Chriſto & Studijs conſtituêre Scholam.

XLVI. Sed ne hæc tanta, tamque præclara bona, noſtrâ vel ingratitudine, aut in officio negligentiâ, morúmve diſſolutione amittamus; ſed precibus potiùs aſſiduis, vitæ ſanctimoniâ, muneris & officij noſtri curâ, eadem retinere, conſervare, amplificare queamus: ad Jehovam, Juſtitiam noſtram, Orationis noſtræ finem convertamus. Tibi ergò ô Æterne DEUS, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, gratias, quantas quidem mens noſtra capere, proferre lingua poteſt, & agimus, & habemus; quòd tàm clementer ac benignè, nos noſtraque hactenùs tutatus es, quòd etiam Magiſtratum nobis, noſtræque Academiæ largitus es pium & clementem, cujus ſub tutelâ Eccleſiam tibi & Scholam inter nos colligis, & cùm doctrinæ cœleſtis, tùm aliarum artium Studia, in hâc Scholâ noſtrâ huc uſque propagâſti: tanta tamq́ue præſtantia bona, cùm retinere in noſtra poteſtate non ſit, rogamus, oramusque te, ô Sempiterne DEUS; ut in poſterum quoque Spiritu tuo Sancto, docentes & diſcentes ita gubernes, ut utrique talem, qualem Pientiſſimus Scholæ noſtræ Fundator, ſperavit & unicè exoptavit, qualem nempè hactenùs noſtra ſemper protulit Academia,

Epilogus Orationis.

Gratiarum Actio.

Precatio.

Digitized by Google

fructum & proferre porrò poſſint: noſtræ præterea literariæ Reipublicæ Magiſtratum, benignè conſerves, Bellicos rumores, peſtiferos varij generis morbos, aliaque plura, cervicibus noſtris incumbentia mala, à nobis clementer avertas; peccata & ſcandala malorum reprimas, Doctores & Præceptores noſtros, ſub diuturnâ vitæ uſurâ, tuearis ac defendas; Eccleſiam, & quæ eius membrum eſt, Scholam noſtram, calore tuo cœleſti foveas perenni: ut, quæ ad hunc uſque diem, in benignitatis tuæ coronâ & crevit & floruit; ea, noſtrâ culpâ, ne decreſcat & defloreſcat: ſed ſit hortus quidam amœniſſimus, in quo omnis generis arbores, nõ tortuoſæ, ſed rectæ; non incurvæ, ſed excelſæ, non ſteriles, ſed fœcundæ; plantentur, adoleſcant, matureſcant & fructus tandem exſpectatione dignos, afferant generi humano. Et hęc igitur à te petimus, Benigniſſime Pater, & iſtud inſuper contendimus ardentiſſimis votis: ut, quã nos bonitatem tuam in terris nunc vivi celebramus; eius conſpectu poſt mortem in Cœlis perfruamur: ut coronati Juſtitiæ Coronâ, quam diligentibus te promiſiſti, verè tandem dicere cum Prophetâ poſſimus: Beatus, quem elegiſti & aſſumpſiſti: is habitat in atrijs tuis, replebitur bonis domus tuæ, Amen.

Pſalm. 65. Verſ. 4.

Encomium Academiæ Tubingẽſis, duorũ quõdam Theologiæ Profeſſorum ibidem.

Addere lubet, Encomium duorum Theologiæ quondam Tubingenſi in Academiâ Profeſſorum; Pauli nempè Scriptoris, & Cunradi Summerhardi, ex Præfatione Conradi Pellicani, Commentarijs ſuis Biblicis præfixâ.

Fuerunt eodem tempore in Academiâ Tubingenſi duo viri, pietate & eruditione præſtantes, judicijque exactiſſimâ cenſurâ pollentes, per quos me Dominus provexit, juxta providentiæ ſuæ conſilium æternum, ad gloriam ſuam. Cur enim non glorier in Deo, Authore omnium bonorum? Siquidem illius gratia in me haud fuit ocioſa, ſine quo non cadit paſſerculus in terram, nec ex arbore folium. Unus Paulus Scriptoris cognomento, vir fuit magno ingenio, exacto judicio, inſigni eruditione, peritiâ Cœleſtium rerum haud vulgari: quibus rebus junxerat parem innocentiam vitæ. Quo ſanè viro, nihil unquàm habuit præſtantius Ordo Minorum. Artes Liberales, & Mathematicas omnes abſque Præceptoris operâ didicerat. Scholaſticam Theologiam, ut vocãt, juxta placita Scoti, & Ockam, multis docuit annis, ſummâ cum approbatione & miraculo eruditiorum. Videns quoque Doctrinam Chriſtianam, maximè autem Scholaſticam Theologiam depravatam opinionibus, non potuit ſyncerus & pius diſſimulare ſententiam ſuam, quin ſtudio veritatis permotus, quæſtiones quaſdã Theologicas, diſputandi gratiâ nõ rarò protulit, privatim etiam amiculis communicans, quæ hodiè Lutheranæ dicerentur. Sic cùm illi veritas,

Digitized by Google

veritas,ut fit,odium peperiſſet,in exilium propulſus eſt. Quo perlato triennio,revocatus diem ſuum clauſit in Domino. Is Pręceptor meus colendiſſimus,cùm intellexiſſet,me flagrare incredibili deſiderio Hebraicarum Literarum, annos tunc natum ferè viginti, ultrò currentem magis incitavit, ac quibus rationibus potuit, induſtriam meam adjuvit, grandeque volumen Propheticum Hebraicè manuſcriptũ, proprijs humeris, pedes Moguntio Tubingam uſque ad me pertulit, cui nullum hujus generis Elementum adhuc erat notum. Deindè in clientelam ſuam me penitiùs recipiens,contra calumnias,quæ multæ jam tunc mihi ab otioſis inferebantur, ob illa Studia, ſedulò prout licuit,me defendit. Nemine per Germaniam,illis literis, quem ego ſcirem,tunc vacante, præter incomparabilem illum virum, Johannem Reuchlinum,apud Vangiones,Imperialibus negocijs detentum. Alter non inferior fuit præclaris dotibus, Cunradus Súmmerhardus, Theologorum decus,& Scholæ Tubingenſis tunc columen. Is mihi ob hæc Studia familiarior factus, omnibus modis adjuvit conatus meos. Nam volumen Hebraicum, Moſaicæ Legis ex publicâ Bibliothecâ mihi utendum tradidit:& cujuſdam Petri Nigri contra Judæos Diſputationem,ex quâ prima didici Elementa,& legendi facultatem. Addatur omninò vita Pellicani, apud Meliorem Adamum, *in vitis Theologorum Germanorum.*

Subſequatur tandem Epiſtola Panegyrica, Johannis Braſſicani, Tubingenſis Pædotribæ: Inſtitutionibus Grammaticæ (à Thomâ Anshelmo,Badenſi, Anno Chriſti, milleſimo, quingenteſimo, decimo quinto Tubingæ impreſſis) præmiſſa.

Epiſtola Panegyrica Johannis Braſſicani, ad exterarum nationum eruditiſſimos.

Quicunque meas in Grammaticam Inſtitutiones, jam ſæpiſſimè editas manu verſaverit,aut quoquo modo pellegerit, non me tàm infeſtivi, agreſtis adeò ſubruſtici animi fuiſſe intelligat, ut vel Tubingenſis Gymnaſij principes viros, à quibus ab incunabulis educatus ſum, vel aliorum etiam quorumcunque Gymnaſmatum Moderatores conſummatiſſimos,& in omni genere dicendi promptiſſimos laceſſere, provocare, & arrodere inſtituerim. ab illis enim Philoſophiã & ejuſdem artes præambulas didici. Quid ego illis (ut rana tauro) intumeſcerem? Hos verò cùm nunquàm de me malè meritos fuiſſe acceperim, quomodo illos irritâſſe & affeciſſe auſus fuiſſem? Verùm Lectores humaniſſimi,cùm ego adhuc in Alpibus agerem,ubi quandoque unum Elementorum deſideratur. Prætereo eruditionem à Sacerdotibus paganis, qui,neſcio,ubi locorum Stipendia literaria ſe feciſſe gloriabantur, quotidiè impugnarer; multis illorum ineptijs obvolverer,& quandoque mordicùs impeterer. Animo tandem concitatiore,

catiore, quàm prudenti & ſolerti, ejuſmodi Inſtituta per Chalcographos edi & tranſcribi demandavi, mallem in ſpongiam Ajacis more incubuiſſent, quàm per tot Regiones, tamque varias terras penetraſſent. Ne quoſdam Lycei noſtri ut amœniſſimi, ita inſtructiſſimi odiũ ceperit, quò minùs ad nos Philoſophandi gratiâ commigrent, aut locum minoris celebritatis eſſe ſuſpicentur. Humana enim natura innumeris involucris contegitur, & quaſi velis obtẽditur. Et quia quot capita, tot ſenſus, ita quiſque ſuo modulo rem quamque metitur, hic legendo pergit, is verò in deterius ſingula vertit. Sed DEUM teſtor Optimum Maximum, in animum meum veniſſe nunquàm, tàm famatiſſimo inter omnia Germaniæ Gymnaſmata Lyceo noſtro inurere notam, illius Majeſtatem minuere, aut idem quocunque modo labefactare. Non eam laudem mihi conquiram. Sed Heroſtrato detur, qui Dianæ Templum in Epheſo nobilem ſtructuram (cui uni Xerxes pepercerat) incendio abſumpſit, quò nominis ſui famam latiorem conſequeretur. Quòd ſi cuiquam veſtrûm, Lectores humaniſſimi, Gymnaſij noſtri fugiendi anſam dediſſem, profectò palinodiam canere non ſuppuderet. Sed audiant quæſo omnes, quibus Lyceum noſtrum hactenùs fuerit incognitum, quanto decore, Majeſtate & moderamine ſingula quæque regantur, pendantur, & moderentur. Arctum eſt. Sed multis refertum Philoſophis, nec multitudo probatur, ſed mores & diſcendi aviditas penſiculantur, & quò minùs quiſque faciat ſumptus, pro virili arcere contendunt. Quòd verò celeberrimum ſit, non modò Gymnaſiarchis noſtri temporis, commonſtratur verum, ut ab eius origine dicere pergam, his qui ante longos annos in eodem bonarum literarum ſecretis initiati, viri evaſêre maximi. Non ſcio aliquod Germaniæ Gymnaſium (quod omnium pace dixerim) ex quo tot tamque viri conſummatiſſimi unquàm prodierint, nec lõgè exempla peterem, ſi mihi eoſdem recenſendi occaſio eſſet. Sed ut citrà omnem adulationem loquar, adeò Principatus noſter Doctiſſimis viris refertus eſt, ut fermè quilibet pagus habeat, quem manè & veſperi conſultent Plebeij. Prætereo illos, qui apud Principes plurimùm valent, & quorum conſilio, prudentiâ, & gravitate populus, & ipſa Reſpublica regitur & moderatur, quos nuncupatim compellaré, niſi aſſentationis vitium horrerem. Longum denique eſſet, ſi eos omnes recenſere vellem, qui brevi curriculo Academiam noſtram vix egreſſi, divitias uberrimas pepererunt. Neque minoris exiſtimationis & famæ ſunt, qui noſtro tempore Academiam noſtram regunt, & eorum conſultis & monitis feliciter moderantur. Si mavis Studio Sacro inhiare, hoc eſt Theologiæ, tres Doctores ſublimes omnifariâ

eruditione.

eruditione, & gravitate maximâ, eandem de pulpito quotidiè exclamant, docent, meditantur, depromunt, nil reliqui ſinunt, quin utroque verſum demùm pulchrè decidant & emetiantur. Adhærent his Theologi juniores magnâ catervâ, qui in dies ſummo ſtudio & vigilantiâ certant, ut Studij ſui ſcopum contingant. Si Jura, ſi Leges affectaveris, & ſapere volueris, ex Doctoribus pluribus delectum ſumes, quandoquidem eius Studij numerum famoſiſſimorum & doctiſſimorum hominum comperies. Nec deſiderat Gymnaſium noſtrum Æſculapios, Machaonas, Podalyrios, & hoc genus Medicorum cætera. Qui literas politiores ſcire expetit, Bebelium Poëtam ſtrenuè profitentem quotidiè audiet. Sunt & qui reliqua vel Poëtarum, vel Hiſtoricorum volumina explicant. Si cui verò cupido Philoſophiæ condiſcendæ inceſſerit, quandoquidem ſublimiores artes non ſine primordijs ſolidæ extabunt; duo genera Philoſophorum comperiet, ſeu ad lævam, ſeu ad dextram partem concedat, utrobique benè & feliciter philoſophaturus. Si modò Præceptorum ſuorum dictis audiens eſſe voluerit, & culturæ aurem adhibuerit patientem. Alioqui in vas pertuſum, quicquid infundibulo ingeritur, totum diſperit, nec impleri poterit. Contubernia Philoſophorum duo ſunt, ad utrum deflexeris, bono alite divertes. Utrumque enim viros ſuos habet primarios, inprimis doctos & humanos, qui Auditores morigeratos, Studioſos & frugales ſummo amore & humanitate proſequuntur, amant & diligunt. Contrà verò malè moratos acriter impungunt, reſides ad literas capeſſendas compellunt. Aſoticos caſtigant, & ni monitis paruerint, eliminant. Hic eſt noſtri Lycei gubernandi mos, in quo licèt admodum parvum & arctum ſit domicilium, tamen omnium bonarum artium ſitum eſt. Veni & experiere, & hæc me ex Apollinis Pythij Oraculo loquutum eſſe intelliges. Ex Tubingâ, Kalendis Maijs, Anno Chriſti, 1515.

Philoſophi Reales & Nominales.

Digitized by Google

Sequitur nunc
COPIA PRIVILEgiorum & immunitatum,

QVIBVS ILLVSTRISSIMVS Fundator, Univerſitatem Tubingenſem clementiſſimè donavit, & quæ quotannis in Templo primario, die Sancto Georgio feſto, publicè prælegi ſolent.

WJr Eberhardt Grave zu Württemberg/ vnnd zu Mümpelgardt ꝛc. der Elter/ Bekennen vnd thun kundt offenbahr aller männiglichen mit dieſem Briefe/ für vns vnnd alle vnſere Erben vnd Nachkommen: Dieweil vnd wir von ſondern Gnaden deß Allmächtigen Gottes/ vnſers Schöpffers/ von Geburt/ vnd ſonſt Zeitlicher Mächtigkeit Landts vnd Leut/ die zu regieren vnd zuverſehen hochgeboren begabt ſeindt. So iſt in vns wohl Erkandtnuß/ daß wir ſeiner Allmächtigkeit deſto mehrer ſchuldig werden/ an der Rechnung vnſers Ampts darzu legen vnd zubezahlen/ vnd doch durch blödigkeit menſchlicher Natur gebrüchlich vnd ſaumig an den Gebotten deſſelben Ewigen Gottes offt erfunden werden.

Demſelben nach vns billich gebührte/ nach vnderthäniger Erkandtnuß/ mit demühtigem Hertzen/ ſo gröſſeſt wir mögen/ vnſer Schuldt abzulegen/ vñ nach Kräfften demſelben vnſern Ewigen Gott vnd Schöpffer gegen vns in Barmhertzigkeit zu ermildern/ dem zu fürderung/ vnd auch darmit wir der hochgelobten Himmels Königin/ vnd Jungfrawen Maria/ der Mutter Gottes/ vnd in allen Gottgeheyligten wohlgefallen/ vnd der gantzen Chriſtenheit Troſt/ Hilff vnd Macht/ wider die Feind vnſers Glaubens ohnvberwündlich gebähren/ dardurch wir dann nit minder hoffen/ allen vnſern Vorfahren vnd Nachkommen ſeelig Heyl auch zubawen/ vnd vnſer gantzen Herſchafft Württemberg Lob/ Ehrn vnd Nutz zu erwerben/ auch außwendige Schäden/ den die vnſere zugewandten bißher vilfältig gelitten haben/ zuverhüten.

So

So haben wir in der guten meinung helffen zugraben den Bronnen deß Lebens/ darauß von allen Enden der Welt ohnerſichtlich Geſchöpfft mag werden/ tröſtlich vnd heylſam Weißheit/ zu erlöſung deß verderblichen Fewrs/ Menſchlicher Ohnvernunfft vnd blindtheit/ vns außerwehlt vnd fürgenommen/ ein hoch Gemein Schul vnd Vniverſitet in vnſer Statt Tübingen zu ſtifften vnd vffzurichten/ die dann von dem heyligen Stul zu Rohm mit Bäpſtlicher vnd vollkommenlicher fürſehung begaabt/ vnd darzu mit gnug nohtdürfftigen gebührlichen/ vnnd Erbarn Statuten zuhalten angeſehen iſt. Darauff wir dann gereitzt werden/ vnſer ſonderlich Gnad vnd Freyheit darzu auch zugeben/ als wir dann das für vns/ vnſere Erben vnd Nachkommen thun/ in maſſen wie hernach volgt. Exordium conceſſionis Privilegiorũ Academicorum. Academia Tubingenſis cum cõnſenſu Pontificis Romani erecta, Anno Chriſti 1477.

Zum Erſten/ wollen wir alle Magiſter vnd Studenten/ die jetzo hie in vnſerm Studio zu Tübingen ſeindt/ oder hienach kommen/ vnd alle die hinweg ziehen/ in was Standt/ würden/ oder weſen die ſeyen/ in allen vnſern Landen/ Stätten/ Dörffern/ vnd Gebieten/ ſchirmen vnd handthaben/ in allen den Gnaden vnd Freyheiten/ Rechten vnnd Gewohnheiten/ wie die in gemein/ oder inſonderheit von den Geiſtlichen oder Kayſerlichen Rechten den Magiſtern vnd Studenten gnädiglich gegeben ſeyen vnd verlihen/ in allem fug/ als ob ſolch Gnad/ Freyheit vnd Recht/ wie vorgemeldt iſt/ hierinn all vnd jeglichs in ſonderheit von wort zu wort gantz eigentlichen verſchrieben vnd begriffen were. Doch die nachfolgende Articuln ſollen verſtanden vnd gehalten werden/ nach jhrem Innhalt/ wie die begriffen ſeindt. Privilegia Juris communis confirmantur.

Wir nemmen auch in vnſern/ vnſerer Nachkommen vnd Erben ſonderlichen Schirm vnd behütung alle Doctor, Magiſter vnd Studenten/ die jetzo hie ſeindt/ hienach kommen mögen/ oder hinweg ziehen.

Deßhalben gebieten wir ernſtlicheſt ſo wir mögen/ allen vnſern Vnderthanen/ Edlen vnd OhnEdlen/ Vögten/ Schultheiſſen/ Burgermeiſtern/ Burgern/ Gebawren/ vnd allen die vns zugehören/ oder in vnſern Landen wohnen oder wandlen: daß jhr keiner keinen Magiſter noch Studenten/ die hie ſeindt/ oder herkommen/ oder hinweg ziehen/ in vnſerm Landt/ keinerley ohnbillich Gewalt/ Schandt/ Schmachheit/ Laydt/ Letzung oder Ohnrecht/ Mißhandlung/ oder Vbels thue oder zufüge/ durch ſich ſelbs oder andere/ oder ſchaffe geſchehen werden/ an Leib/ an Gut/ an Glimpff/ oder an Ehre/ in welcher weiß oder maß das ſein möge/ heimlich oder offentlich/ ſondern das nicht geſtatt von jemandts geſchehen/ als ferrer darvor ſein möge/ ohn alles gefährde.

Vnd wer der oder die weren/ die ſolch vnſer gebott brächen vnd vberführen/ die oder der ſollen zur ſtundt vnſer Huldt verlohren haben/ vnd

Pœna eorũ, qui Civem Academicũ injuriâ afficiunt.

darzu hundert Gülden/ die vns zur Poen verfallen ſollen/ zu der Poenen der er auch ſonſt verlohren hette/ nach der Statt Recht zu Tübingen/ vnd dannoch nicht minder ſolle derſelb/ oder die alſo vnſer Gebott vbertretten/ dem derſelb Schadt oder Schmachheit geſchehen were/ auch beſſern/ nach dem Rechten/ vnd gantz ablegen.

Vber ſolches vnd anders/ ſo Doctor/ Magiſter/ oder Studenten/ zuſchaffen gewinnen mit den vnſern/ ſollen auch vnſere Amptleute in vnſerer Statt Tübingen/ oder an andern Enden/ da ſich gebührt in vnſern Landen/ zu ſtundt kurtz vßträglich Recht ſprechen/ ohn alles verziehen vnd auffſchieben/ alsbaldt ſie ſolches vernemmen/ oder jhnen fürgebracht wirdt / von wem das ſeye/ bey vnſern Hulden das zuhalten/ vnd bey verlierung aller Jhrer Aempter/ vnd hundert gulden zu Poen ohn ablåßlich/ denſelben vnſern Amptleüten/ allen vnd jeden inſonderheit/ wir hiemit in Krafft diß brieffs/ vollen gewalt geben/ als dick das noht iſt/ vber ſolches Recht zuſprechen/ and Ehrbarlich zu entſcheiden/ alles getrewlich/ vnd ohn alles gefåhrde. Were aber jemandts vnder denen/ die ſolch vnſer Gebot brechen/ vnd der doch nit mit gnug thun möchte/ der ſolle ſolches mit ſeinem Leib erarnen/ beſſern vnd gantz ablegen.

Qui non habet in ære, luat in corpore.

Wir wöllen auch/ vnd gebieten ernſtlichen allen vnſern Vögten/ Burgermeiſtern / Ambtleuten/ Stattknechten/ Gebütteln/ vnd andern vnſern Vnderthonẽ/ daß ſie keinen Magiſter noch Studenten/ dem Studio zugehörig / fahen oder fahen laſſen/ noch jemandts geſtatten/ handt oder gewalt an ſie zu legen/ in keinerley weiſſe/ vnd keinerley Schuldt/ vnnd Miſſethat oder Verwürckung/ die ſich in der Statt zu Tübingen / oder in demſelben Ampt begebe/ ſondern das laſſen geſchehen von dem Rector der Univerſitet/ oder denen/ denẽ es von der Schulen oder Rectorn empfohlen wirdt / nach jhrem willen vnd gefallen. Es were dann/ daß er ſich fridlicher anmuhtung für den Rector mit jhnen zukommen freſſentlich widert/ oder in einer treffenlichen Miſſethat erfunden würde: So gebieten wir doch bey obgemeldten Poenen denſelben Magiſter oder Studenten zu ſtundt ſeinem Rector oder Oberſten ohn alle widerrede vñ Mißhandtlung erbarlich vnd obngelößt/ ſo fern es ſein mag/ zu antworten/ demſelbigen in ſein Straff zugeben vnd zu laſſen. Vor demſelben ſoll Er (ob es nacht were) Bürgen ſetzen/ gnug zu ſein dem Rechten/ vnd möchte Er nicht Bürgen haben/ ſolle Er geloben/ das zu thun/ vnd darnach auch von dem Rector gelaſſen werden. were aber Einer ſo leichtfertig/ oder die Sach ſo groß/ daß jhm auf ſolch gelübde nicht wolt ein Rector vertrawen/ ſo ſolle jhn der Rector ſonſt innhaltẽ vnd verſorgen/ biß zu außtrag der Sachen/ auch ob Einer als gröblich were verleumbdet vmb Vbelthat/ den ſoll doch ein Rector zu zeiten/ oder die vnſern

ſern (ob ſie das von Einem Rector wurden geheißen / vndſonſt nicht) beſcheidenlich/ ohn alle Mißhandtlung gefänglich halten/ vnd wann er wirdt vßgelaſſen/ ſoll er nicht mehr geben noch bezahlen/ dann was er in gefängnuß verzehrt hat/ ohne gefährlich.

So geben wir auch einem jeglichen Rector zu Zeiten / oder dem/ der ſein Statthalter iſt/ gantzen vollen Gewalt/ außrichtung vnd Recht zuſprechen vnd zuthun/ vber alle vnd jegliche Sachen/ das Magiſter vnd Studenten vnder einander außzutragen haben (außgenommen vmb Ligende Gütter/ Erbfäll oder andere dergleichen Sachen/ die ſollen berechtet werden an den enden/ da ſie gefallen vnd gelegen ſeindt) Ob aber ein Läy mit Einem Magiſter/ oder Studenten zuſchaffen hette/ ſoll jhme der Magiſter oder Student antworten vor ſeinem Rector, vnd würdt einem Studenten für vnſern Ampmann gebotten/ ſolle jhn der Amptmann zu ſtundt/ da diß an jhne gefordert wirdt / wider weiſen für ſein Rector, vnd wo er das zu ſtundt nicht thete/ ſolle er ſein Ampt/ vnd darzu hundert Gulden verlohren haben. Widerumb wo Magiſter oder Studenten mit den vnſern zu ſchaffen gewinnen/ ſollen ſie die vnſern auch bleiben laſſen vor vnſern Amptleuten/ alſo daß die Studenten den Layen: vnd die Layen den Studenten recht geben vnd nemmen/ vnd nemmen/ vnd geben / ſie all vnd Jhr jeglicher vor ſeinen geordneten Richter/ nach innhalt gemainer geſchriebnen Recht.

Forum cõpetens Studioſorum, & omniũ Civium Academicorum.

Wolt aber ein Magiſter oder Student demſelben Rector, oder ſeinem Statthaltern/ nicht gehorſamb ſein in zimlichen dingen/ vnd redlichen Gebotten/ wann dann der Rector begehrt hülff zu ſolchem/ Gebieten wir allen vnſern Amptleuten/ jhme hülffe vnd beyſtandt zuthun mit jhren Knechten vnd vnderthanen/ als dick das noth wirdt bey vorgemeldter Poen hundert Gülden.

Auch wöllen wir/ daß alle Magiſter vnd Studenten/ die hie zu Tübingen ſeindt / oder herkommen/ oder hinweg ziehen/ an Jhren Perſonen/ auch an allen Jhren Güttern/ wie die ſeyen genandt: Es ſeye Tuch / Wein/ Korn/ Habern/ Fleiſch/ Bücher/ oder anders/ ſo ſie brauchen wöllen/ aller Schatzung/ Zoll/ Stewr/ Vmbgelts/ Gewerbpff/ Tribut/ oder anderer Beſchwehrung/ wie die genandt werden/ zu Ewigen Zeiten / in allem vnſerm Landt/ vff dem Waſſer/ Veldt/ oder in Stätten/ oder in Dörffern hinein zuführen oder tragen/ durch ſich ſelbſt oder andere/ nach oder vor Sanct Martins tag/ wie/ wann/ oder an welchen Enden ſie die kauffen/ führen/ tragen oder beſtellen/ gantz frey vnd ledig ſein ſollen/ vnd von allen vnſern Zollern/ Amptleuten vnd andern/ denen diß zu erfordern vnd einzunehmen zuſteht/ ledig gezehlt vnd gelaſſen werden/ ohne widerrede/ allweg bey Poene hundert Gulden/

Studioſi ab omnibus vectigalibus atque tributis liberi ac immunes eſſe debent.

halb vns/ vnd halb der Univerſitet verfallen/ außgenommen/ was Güter weren/ die Sie jetzo hetten/ oder führter vberkämen/ die nicht frey an ſie kommen weren/ mit denſelben ſolle es gehalten werden/ wie mit andern dergleichen Gütern/ vßgenommen/ were ob Doctor oder Magiſter der Univerſitet Korn/ Wein oder anders deß jhren verkauffen wöllen/ da ſollen ſie ſich mit dem verkauffen halten/ wie andere die vnſern/ vnd nicht höher beſchwähret werden von newem/ alles ohn gefährlich.

Wir geben auch Doctorn/ Magiſtern vnd Studenten die Freyheit/ ob es immer darzu käm/ daß von vns oder vnſern Nachkommen/ oder denen von Tübingen einicherley beſchwerung vff Wein oder Korn/ Bücher oder anders/ was das were/ weitter dann jetzo iſt/ geſetzt würdt/ zu Tubingen oder vffgelegt/ das ſoll gantz vnd gar die genandte Doctor/ Magiſter oder Studenten/ noch auch die ſo jhen zukauffen geben/ nicht binden noch beſchwären. Es mögen auch als dann nichts deſto minder die Vniverſitet/ Doctor/ Magiſter/ oder Studenten durch ſie ſelbs/ oder wen ſie darzu ordnen/ ſolches zu jhrem vñ der jhren brauch beſtellen/ ohn alle hindernuß männiglichs.

Auch wöllen wir/ vnd gebieten ernſtlichen/ allen den vnſern/ daß alle Doctor/ Magiſter/ vnd Studenten/ oder die Jhnen zugehören/ ſolch obgeſchriben Gut/ Wein/ Fleiſch/ Viſch/ Korn/ Brodt/ vnd anders/ wa vnd wann ſie wöllen/ beſtellen mögen oder kauffen/ vnd als dick das in verkauffens weiß gelegt/ oder zuverkauffen offentlich herfür gethon wirdt/ ſollen alle vnſere vnderthonen in verkauffen ſich gutwillig gegen jhnen beweiſen vnd zu kauffen geben/ noch vber gemeines Kauffgelt nach der Statt gewohnheit nicht ſchätzen.

Darbey ſoll nicht minder von der Vniverſitet nohtdürfftiglich vnnd ernſtlich beſtellt/ geordnet vnd verſehen werden/ daß in ſolchem kein gefährde mit andern den vnſern gebraucht: Sondern diß Erbarlich ohne vffſatz vnd redlich gehalten/ zu jhrem gebrauch vnd ohne fürkauff/ es were dann/ daß Probſt vnd Capitel/ auch die von der Vniverſitet jhre Gülten/ die jhnen von jhren Pfründen vnd Stipendien allher fallen/ zu Tübingen verkauffen würden/ daß ſie dann ſolch verkauffen wol thun mögen/ wie andere die vnſern von Tübingen.

Habitatio-num Taxa. Wir wöllen auch/ vff daß Niemandt ohn zimblich geſchätzt werde/ daß der Rector zu Zeiten/ vnſer Statt Tübingen Vogt/ als dick die erfordert werdẽ/ gebẽ zween Mañ/ die bey gutẽ trewẽ vorhin darumb gegeben/ ſchätzen die Haüſer/ darinnen die Studenten ziehen wöllen/ nach billichkeit vnd guter gewohnheit der Statt Tübingen/ darbey auch die/ deren dieſelbe Haüßer ſeindt/ bleibẽ ſollen/ als lieb jhnen der Haußzinß deſſelben Jahrs iſt/ vnd vnſer Ohngnade zuvermeyden. Vnd wo auch

Ma-

Digitized by Google

Magiſter oder Studenten erfinden ein Hauß/ das der eigen Haußwürth/ deß das Hauß iſt/ nicht will ſelber nutzen/ oder die ſeinigen: mögen dieſelben Magiſter oder Studenten alſo laſſen ſchätzen/ vnd darein ziehen/ vnd deß Zinß halb zu bezahlen/ nach guter gewohnheit der Statt/ vnd der vorberührten Schätzer/ geheiß vnd willen gnug thun vnnd verzinſen. Daran ſoll niemandt ſie ſaumen noch irren/ bey vorgemeldter Poen verlierung deß Zinßes.

Privilegia Univerſitatis quibus competant.

Wir haben auch alle Freyheit gegeben wie Magiſtern vnd Studenten/ Geben auch hiemit in Krafft diß Brieffs/ allen jhren Ehelichen Weibern vnnd Kindern/ darzu allem jhren Haußgeſindt/ Knechten/ Mägden/ Dienern/ darzu Pedellen/ Schreibern/ Einbindern/ Illuminirern/ welche zu Tubingen wohnung haben.

Judæi, alijq; fœneratores & uſurarij manifeſti.

Wir wöllen auch/ vnd gebieten ernſtlichen/ denen von Tübingen/ daß ſie keinen Juden/ auch ſonſt keinen offnen Wucherern/ bey jhnen in der Statt oder in jhren Zwingen vnd Bannen laſſen wohnhafft bleiben.

Libri Studioſorum abſq; veniâ Rectoris nō vendendi, neque oppignorandi.

Wir wollen auch/ daß Niemandt zu Tübingen/ keinem Magiſter oder Studenten vff Bücher leyhe/ die kauffe/ oder verpfände/ ohne ſondere Vrlaub eines Rectors zu zeiten/ vnd ob einer das widerführe/ der ſolle von ſtundt an verfallen ſein Viertzig Gülden/ vnd nicht minder die Bücher ohn entgelten widergeben. Würde auch ein Buch/ oder mehr bey jemandts gefunden/ das geſtolen oder abtragen were/ das ſoll zu ſtunden dem/ deß es geweſen iſt/ wo er das mit ſeiner trew behalten mag/ widerkehrt werden ohn Gelt/ bey jetzt gemeldter Poen.

Medicis & Chirurgis ſine Medicæ Facultatis conceſſu ullam medendi rationem exercere nō licet

Wir wollen auch vnd gebieten/ daß die Amptleut vnſer Statt zu Tübingen/ keinen Leibartzet Fraw oder Mann/ der von der Facultet der Artzeney nicht bewährt iſt/ laſſen einicherley Artzeney zu Tübingen treiben oder vben/ es ſeye mit Waſſer beſehen/ oder Reinigung geben/ oder ſonſt/ deßgleichen wöllen wir/ daß kein WundeArtzet/ Scherer oder ander/ in was Statt der ſeye/ LeibArtznen treib/ er ſey dann bewehrt/ vnnd von der Facultet der Artzney zugelaſſen.

Præfecti inferioris & duorum Oppidanorū Judicum Juramentum, de tuendis Privilegiis Univerſitatis.

Solch obgeſchrieben Freyheit vnd Gnad/ ſollen auch alle Jahr/ vnſer Vogt/ vnnd zween von dem Gericht/ von wegen der gemeldten gemeinen Statt/ auff ein genandten tag/ einem Rector, oder der Univerſitet zu Gott ſchwehren/ alles redlich vnd auffrecht zuhalten/ wie vorgeſchrieben ſtehet/ ohn alle gefährde/ vnd ſich bey verlierung jeglicher hundert gülden wider ſolches ſchwehren nicht ſtellen/ noch ſich deß widern in keinen weg/ als baldt Sie vnd Jhr jeder das zuthun/ von dem Rector oder der Univerſitet ermahnet werden vnd erfordert/ ohn alles gefährde.

Omnes Magiſtratus, &

Darumb gebieten auch wir Ernſtlichen/ vnd wöllen/ ſo vil vns das berührt/ daß alle vnſere Amptleut/ Statthalter/ Vögt/ Hoffmeiſter/ Haupt-

Vaſalli, Eccleſiaſtici ac Nobiles univerſo in hoc Ducato Privilegia hæc ſanctè & inviolatè obſervare tenentur.

HauptMann/ vnd alle vnſere Lehenleute/ Geiſtlich vnd Weltlich/ in was Standt die ſeyen/ Schultheiſen/ Richter/ Gebütteln/ in allem vnſerm Landt/ in vnſer Gegenwertigkeit vnd Abweſen/ bey den Ayden/ ſo ſie vns gethan haben/ darzu bey vorgemeldten Poenen/ nach allem jhrem beſten vermögen/ handthaben/ ſchirmen vnd ſchützen veſtiglich/ in ewige zeit/ ohn widerred vnd fürwort in gemein vnd ſonderheit/ all Gnad/ Freyheit/ Schirm/ Recht vnd Schützüg/ ſo wir Doctorn/ Magiſtern vnd Studenten/ vnd allen denen/ die jhnen zuverſprechen ſtehen/ deß vorbenandten vnſers Studium zu Tübingen/ mit gutem willen/ geben vnd verlihen haben mit dieſem Brieve/ ohn gefährde.

Immunitates Academicorum quotannis in Eccleſiâ publicè prælegi debent.

Vnd vmb das ſolch Gnad vnd Freyheit/ Poen/ Gebott/ vnd Satzung allermänniglich offenbahr werde/ vnd ſich deren Niemandt möge entſchuldigen in ohnwiſſenheit/ wöllen wir/ bey vorgemeldten Poenen/ hundert Gülden der Univerſitet verfallen/ vnd zugeben von der Statt Tübingen/ daß ſie alle Jahr/ an Sanct Georgen/ deß Heyligen Ritters/ vnd Märtyrers tag/ in deſſelben Sanct Georgen Kirchen/ deß Stiffts/ vor allem Volck/ von dem Stattſchreibern/ in beywesen eines Vogts/ vnd zweyer Richtern/ vnd der Statt Gebütteln/ vff der Cantzel von wort zu wort/ vnderſchidlich/ gantz zu endt vßverleſen vnd verkündet werden.

Fundatoris promiſſio de conſervandis Privilegiis Univerſitatis.

Dieſelben all vnd jeglich alſo für vns/ vnſere Nachkommen vnd Erben/ was von vns vorgeſchrieben ſtehet/ vnd ſo vil vns das berührt/ bey vnſern Trewen veſtiglich vnd ohn zerbrochenlich an allen Stucken vnd Articula zu halten/ geloben wir vnd verſprechen/ in Krafft diß Brieffs/ nach vnſerm beſten vermögen/ alles getrewlich/ vnd ohn gefährde/ wir wollen auch ſolch von einem jeglichen vnſerm Erben vnd Nachkomen/ dem vnſer Statt Tübingen wirdt zu regieren/ im anfang ſeines Regimentes verſprochen vnd gelobt werden.

Fundatoris confirmatio Sigilli majoris appenſione facta, necnon Subſcriptio Præfecti inferioris, & Judicum Oppidanorum.

Deß zu wahren vhrkundt/ haben wir vnſer Inſigel für vns/ vnſere Erben vnd Nachkommen Offentlich gehenckt an dieſen Brieff/ vnd wir Vögt/ Gericht vnd Raht/ der Statt Tübingen/ bekennen auch für vns/ vnd vnſere Nachkommen/ daß diß alles/ wie hievor geſchrieben ſtehet/ nichts außgenommen/ mit vnſerm guten willen vnd wiſſen/ vnnd vß ſonder befelch deß vorgenandten vnſers Gnädigen Herrn geſchehen iſt. Darumb geloben wir auch/ für vns/ vnd alle vnſere Nachkommen/ der Statt Tübingen/ bey guten trewen an Eydes ſtatt/ all vorgeſchriben Gnad/ Freyheit/ Stuck vnd Articuln/ veſt vnd ſtäht zu halten/ wider die nimmer zu thun/ noch ſchaffen gethan werden/ alles Ehrbahrlich/ getrewlich vnd ohn gefährlich.

Subſignatio

Vnd deß zu wahrem vhrkundt haben wir der gemeinen Statt Tübingen

Digitized by Google

wingen Inſigel/ zu deß vorgenanten vnſers Gnädigen Herren Inſigel/ auch offentlich gehenckt an dieſen Brieff/ der geben iſt zu Tübingen/ vff Sanct Dionyſien Tag/ nach Chriſti Geburt/ als man Zahlt Tauſendt/ Vierhundert/ Sibentzig vnd Siben Jahre. Oppidani Magiſtrat. 8. Octobr.

CAPUT II.

Academiarum neceſſitas, antiquitas, origo & decrementum.

IN Academijs, cuſtoditur ſcientiæ & doctrinæ clavis, inibi oſtenditur via ſalutis. Hinc prodeunt, quorum ſcientiâ totus illuminatur Orbis, *Authent. habita, C. Ne filius pro patre.* Et certè, quales exhibet Schola, tales habitura eſt Eccleſia atque Reſpublica, moderatores & Cives. Dn. Johannes Cammannus, *Diſputat. de Iurib. Majeſt. 3. theſ. 36. & ſeq.* addatur Matthias Stephani, *de Iuriſdict. libr. 3. part. 2. ubi de Academijs, cap. 1 num. 20. &c* Hucque reſpicit Imperator Fridericus II. apud Petrum de Vineis, *libr. 3. epiſt.* 11. cùm Scholares ad Studium Neapolitanum invitans, ita ſcribit: Deo propitio, per quem vivimus & regnamus, cui omnes actus noſtros deferimus, cui omne quod agimus, imputamus; in Regnum noſtrum deſideramus multos prudentes & providos fieri per ſcientiarum hauſtum, & ſeminarium doctrinarum. Qui facti diſcreti per ſtudium & per obſervationem; juſti Deo ſerviant, cui ſerviunt omnia, & nobis placeant per cultum Juſtitiæ, cujus præceptis omnes præcipimus obedire, &c. Sic & Emphaticis verbis Illuſtriſſimus noſtræ Academiæ Fundator, Dn. Eberhardus I. loquitur in fundatione: Daß ſein Fürſtliche Gnad/ guter meinung/ habe wöllen helffen graben den Bronnen deß Lebens/ darauß von allen Enden der Welt ohnerſichtlich geſchöpfft mag werden/ tröſtlich vnnd heilſame Weißheit zu erlöſchung deß verderblichen Fewrs Menſchlicher Ohnvernunfft vnd Blindheit/ ꝛc. Et item in Privilegio erectionis Academiæ Cracovienſis, ita loquitur Wladislaus Jagello, Poloniæ Rex: Significamus, quòd cùm ſupernæ diſpẽſationis proviſione, de gentilitatis erroribus ac tenebris, ad lucem & ſui nominis agnitionem, eduxit miſericorditer, & tandem ad regale dignitatis faſtigium nos exaltavit; ad hoc curam noſtram diligentiæ præſtantis extendimus: ut quos olim in erroris vetuſtâ caligine conſtituti, ſocios tenebrarum habuimus, ſignanter indigenas terræ noſtræ Litvvaniæ, per aſſuefactionem & exercitium piorum operum (ſine quibus ipſa fides vacua

eſſe noſcitur) eò magis in filios lucis convertamus. Id tamen horum ope pariter & operâ, quorum animos in Fundamentis Scripturarum peritos eſſe noſcimus, & actibus virtuoſis, Reipublicæ ſtabilitas ſemper ſalubribus profecit incrementis. Videmus equidem, & certo certiùs experimur, qualiter Pariſia per congregationem & convocationem peritorum, & prudentum, Franciam irradiat, Patavium cum Bononiâ, totam Italiam clarificat, Praga Bohemiam illuminat, Angliam Oxonia illuſtrat. Profectò ad hoc ſummi diſpoſitione præſidij, plurimarum gentium, & diverſarum Regionum obtinuimus Principatū, & Regni Poloniæ prædicti, recepimus Diadema, ut ipſum Regnum doctarum perſonarum ſtudijs illuſtremus; quorum Doctrinis ignorantiæ cæcitate ſublatâ de medio, Regnum noſtrum in tempore noſtri Regiminis felicis, cæteris Regionibus poſſumus coæquare; Non dubitantes, id ipſum Regni noſtri ſubditis ſalubriter profuturum, in Civitate noſtrâ Cracovienſi, in quâ Studium vigeat generale, in qualibet licitâ facultate: utpotè in Theologiâ, Juris Canonici, Phyſicæ (*Medicinæ*) Legum, & artium liberalium facultatibus; nominādum, eligendum, conſtituendum, ponendum, ordinandum & erigendum dignum duximus; & tenore præſentium facimus & inſtituimus, tēporibus perpetuis duraturum: ſitque ibi ſcientiarum prævalentium Margarita; ut viros producat conſilij maturitate conſpicuos, virtutū ornatibus redimitos, & variæ Facultatis Doctrinis eruditos: fiatque ibi fons doctrinarum irriguus, de cujus plenitudine hauriant univerſi, litterarum cupientes imbui ornamentis.

II. Ejuſmodi porrò Collegijs, Academiæ habētibus aliqualem formam, nunquàm ferè carere potuit Orbis terrarum: ut Juſtus Lipſius demonſtrat, *in Lovanio, libr 3. cap. 6. & ſeq.* vide Heigium, *part. 2. quæſt. 11. num.* 21. vetus Academiarum ſpecimen, in Oriente, itemque Æthyopiâ, Africâ, & Novo Orbe, ac quoque Græciâ, Aſiâ, Italiâ & Româ repræſentans. Et mentio fit Joſuæ, *cap. 15. ac* 21. cujuſdam Civitatis, quæ *Karyat Sepher*, hoc eſt, Civitas Litterarum dicta fuit: ſine dubio, quòd inibi omnium diſciplinarum Rudimenta tradebantur. Fuit Alexandriæ prima Chriſtianorum Schola, in quâ Studia artium & linguarum, cum Religione Chriſtianâ conjuncta fuerunt. Hîc Pantænus, ſectæ Stoicæ antea addictus, eruditione & facundiâ præcellens, vivâ voce & ſcriptis Chriſtianam Religionem illuſtravit. Euſebius, *libr. 5 cap.* 10. Hieronymus, *in vitâ Pantæni.* Reges item Perſarū, in India Moluqua, Academias inſtituêre Medicorum. Guyon, *des diverſes leçons, tom. 3. libr. 3. cap.* 28. Vocamus autem Scholas majores, die hohe Schulen/ Academias vulgò; à loco ubi Plato olim Athenis docebat:

cebat: (de Origine, Etymo, & æquivocatione hujus vocabuli, vide Matthiam Stephani, *de Academ. cap.* 1 *num.* 14 & Limneum, *in Colleg. de Academ. Diſputat.* 1. *theſ.* 2.) Antiquitùs enim Plato, non ut nunc ubique ferè, Ariſtoteles, ſummæ Sapientiæ habebatur, *l.* 2. *ff. de nundin.* Heres is, & meritiſſimè quidem, reputabatur Sapientiæ priſcæ ac genuinæ: ad hunc, tanquàm ad legitimum filium, doctrina priorum devoluta cenſebatur. Auguſtinus Steuchus, *de perenni Philoſoph. libr.* 2. *cap.* 3. Hunc Arnobius, *libr.* 1. ſublimem apicem Philoſophorum vocat: & Cicero, *libr.* 2. *de natur. Deor.* ait: audiamus Platonem, quaſi quẽdam Deum Philoſophorum. Ideoque meritò & hodiè, loca ubi Pandectæ Divinæ, humanæque Sapientię proponuntur; Academiæ, non Peripatus indigitantur: eò quòd Platonicæ magis, quàm Ariſtotelicę, ſeu Peripateticæ Philoſophiæ cultrices eſſe debuiſſent: ſed hîc obiter illud noto: in Italiâ, Academias etiam vocari, Collegia Civium Nobiliorum, ubi vel Poëſis, vel Studia liberalia reliqua, etiam in Linguâ Hetruſcâ excoli ſolent. Harumque Academiarum, frequens eſt mentio, apud Stephanum Guazzum, *de civil. converſat.* & etiam Traianum Boccalini; ut & Antonium Riccobonum, *tom.* 1. *Orat.* 44. *&* 50. Idemque Riccobonus, *in tractat. de Gymnaſ. Patavin. libr.* 5. *cap.* 3. *fol.* 108. De ijsque hæc habet, Jacobus Zvvingerus, *theatr. volum.* 5 *libr.* 1. *fol.* 1211. Itali, inquit, præ cæteris Chriſtiani Orbis gentibus peculiare habent, quòd mirifico ſcientiarum amore flagrant. Apud eos publica eruditionis exercitia (ſeu Academiæ, quas vocant) in ſingulis ferè Urbibus celebrioribus inter nobiliſſimos Cives, ſymbolam ſuam, ſingulis in ſumptus, ſi qui ſunt faciendi, annuatim conferentibus inſtituuntur. Illa, meo quidem judicio, tanti ſunt facienda, ut ſi cũ Galliæ & Germaniæ Nobilibus; quos, paucis exceptis, arma, choreæ, pocula, venationes, luſus tantùm delectant, conferantur, Barbariei nomine illos meritò condemnari poſſent. Ortus illarum Academiarum incertus eſt: videtur tamen renaſcentibus in Italiâ litteris, ſub Coſmo Medice, litteratorum patrono, Florentiæ primùm cœpiſſe; cujus æmulatione motæ cæteræ Urbes, gloriam Academicorum Florentinorum, & æquare, & ſuperare ſedulò contenderunt. Hinc apud Neapolitanos Sereni & Ardẽtes, apud Senenſes Inthronati, apud Papienſes Clavigeri, apud Patavinos Elevati, Inflam̃ati, apud Vicentinos Conſtantes ſunt exorti; ex ipſo vitæ inſtituto, aliud atque aliud Scholæ ſuæ nomen imponentes. Et debemus Academiæ *della Cruſca* quæ Florentiæ eſt, Dictionarium Italico-Latinum, ſtupendæ diligentiæ opus. Academiæ autem noſtræ, & alio nomine Univerſitates indigitantur: ſive quòd ad eas aditus pateat univerſis; ut Matthias Stephani vult, *de*

Digitized by Google

Academ. cap.1.num.16.& ſeq. ſive, quod magis mihi placet; quia genera artium univerſa, earumque Encyclopædiam complectuntur, ut Perionius cenſet, *libr.1. de Græcor. & Romanor. Magiſtr. in fin.* ac etiam aſſentit Panegyriſtes Molsheimenſis, *libr. 1. cap.* 4. Vndè etiam Studia Univerſalia nominantur; ad differentiam particularium Scholarum. Diſſentit quidem Dn. D. Lanſius, *Diſputat. de Academ. fol.* 25. ut & Limneus, *Diſputat. de Academ.1.theſ.3.ad fin.* eò quòd inveniantur Academiæ, ubi non omnes Facultates docentur: quemadmodùm etiam Pontifex Maximus Urbanus, Academiæ Cracovienſis erectionem, eâ conditione confirmavit, ut non ibi in Theologicâ Facultate legeretur: idque demùm Bonifacius conceſſit. Statuta Regni Poloniæ, *verbo Scholæ, fol.* 438. Sed verò denominatio imponi ſolet, ſecundum id, quod fit plerunque, *argum. l. 3. & ſeqq. ff. de Legib.* Academiæ ſanè non propriè Univerſitates indigitantur; quaſi quædam ſint Civitates: cùm territorio deſtituantur, ut ex Jaſone, notat Philippus Steinhauſſen, *in paratitl. ff. or. quod cuiusque Vniverſit. nom. in fin. & ego quoque infrà ſuo loco Deo volente, dicam, ubi de Academiarum Iuriſdictione agam.*

III. Durante Imperio Romano, quales fuerint Academiæ, Lipſius, *in admirand. libr.4. cap.*10. docet, & quoque *Lex unic. C. de Stud. liberal. Vrbis Roman. & Conſtantinopol. libr.*11. Ac fuerunt etiam Scholæ Municipales, ubi Grammatica, Rhetorica, & Philoſophia publicè tradebantur: ac tales apud Veſontionem & Lugdunum (præcipuas in ſuâ quaque Provinciâ Civitates) erectæ fuerunt, Chiffletius, *part.1. Veſontionis, cap.* 28. pòſt quocunque loco celebriores Epiſcopatus erant, ibidem Scholæ, ac quaſi Academiæ inſtituebantur: Antonius Poſſevinus, *libr.1. ſelect. Biblioth. cap.5. pag.*4. cùm verò in Collegijs Studia negligerentur, eò quòd Canonici, Regum ac Aularum negocijs occupati eſſent; docendi munus in Monaſteria inprimis Sancti Benedicti translatum fuit. Reverendus Pater, Jacobus Gretſerus, *in obſervation. de Epiſcop. Eyſtett. libr.1. cap.8. fol.*179. Henricus Petreius, *de Monaſter. pag. mihi* 14. Hæc cùm ceræmonijs onerarentur, non potuerunt inſimul docendi moleſtum & difficilem laborem ſuſtinere. Mãlius, *in locis commun. pag. mihi* 519. Althuſius, *in Orat. de Scholis.* Eaque occaſione factum aiunt, ut Academiæ in eam, quâ nunc conſpicimus, formam fuerint redactæ. Idque accidiſſe putat Claude Fauchet, tempore Caroli Magni, *libr.7. des antiquitez François. cap.1. & 3.* Quamvis aliquæ Univerſitates antiquitatem longè ſublimiorem ſoleant jactitare; & etiam Bononia acceptum ferat initia ſua Theodoſio magno Imperatori, & Beato Petronio Byzantino, Antiſtiti quondam ſuo, Gabriel Palæottus, *in Archiepiſcop. Bononienſib.* Ac quoque Academiæ

Patavinæ,

Patavinæ, ob ſummam vetuſtatem, principia planè ignorantur. Antonius Riccobonus, *in tract planè eleganti, & variâ eruditione referto, de Gymnaſ. Patavin. libr. 1. cap. 1.* Viciſſim ſunt qui putent, Pariſienſem etiam Scholam demùm ſub Ludovico VII. eius nominis, Franco-Gallorum Rege, procurante Petro Lombardo, inſtitutam eſſe. Eſtiēne Paſquier, *libr. 3. des recherch. cap. 23. fol.* 404. Pierre Bõfons, *des antiquit. de Pariſ. cap. 11. fol.* 108. *&c.* Ac ſanè Germania diu caruit ijsdem, & magno cum diſpendio, à Germanis Bononia (de quâ paſſim Carolus Sigonius, *in Bonon.*) Lutetia (de quâ ultrà Stephanum Paſquierum, & Petrum Bonfons, modò laudatis locis, latè etiam tractat Belleforeſt, *libr. 3. de la coſmographie, tit. de l'univerſité de Paris fol. mihi* 233. *&c.*) donec Viennenſis, (de quâ Lazius, *libr. 3. de Viennâ, cap. 5.*) Heydelbergenſis & aliæ in Germaniâ; pòſt Pragæ in Bohemiâ, & alibi in toto Orbe Chriſtiano, innumeræ ferè Academiæ fuerint erectæ. Chriſtophorus Lehmann/ in der Speyriſchen Chronick/ *libr. 7. cap.* 38. Middendorpius, *de Academ. paſſim.* Jacobus Benius, *de privileg. Iureconſultor. part. 1. in proëm.*

IV. Certè talia Collegia, ſemper Magnatibus fuère inter primarias Curas: teſtatur hoc Paulus Æmylius, qui ſub Sancto Ludovico ita ſcribit: Lutetiæ florebant liberalia Studia, juventutis concurſus undique illuc fiebat: Scholaſtici ſuorum nonnullos, à Civibus pulſatos conqueſti, alij in alia cæterarum Urbium Muſæa conceſsêre. Anglus propoſitâ ingentium præmiorum, honorum, vacationum, emolumentorum ſpe, aliquot eorum millia Oxonium elicuit. Solitudo, exiliumque litteris indictum Lutetię videbatur. Rex Ludovicus, non minùs decoris artes liberales, Humaniora Studia, Sacram diſciplinā, cultumque ingeniorum Francis, quàm arma adferre prædicans, egregiamque conſociationem fore, bellicarum rerum gloriâ, cùm divinarum, humanarumque rerum cognitione ac doctrinâ conjunctâ; Regiæ Urbis Cives, ad officium, colendosque Doctores, diſcipulosque revocavit: ſuus ita rurſus ingenuis artibus honos habitus fuit. Tantum etiam honorem Academijs habuit Philippus Imperator, quod Helmoldus, *Hiſtor. Sclavon. libr. 7. cap.* 14. adnotavit; ut Scholares conſcholaſticos ſuos adpellaret: non ſecùs ac olim fortiſſimi Imperatores, milites ſuos commilitones. Johannes II. Filius Ferdinandi Arragonum Regis eoſdem ſocios, & fratres identidem inclamavit. ex Lucio Marineo Dn. Piccartus, *decad. 7. cap. 1. fol* 4. ubi alia conſimilia congeſſit. Pariſienſem Academiam, non niſi filiam ſuam, indigitare ſolent Galliæ Reges. Belleforeſt. *ſuprà dict. loc. fol.* 235 Inibique Rector, in publicis actibus cujuſcunque Facultatis; Nuncios Papæ, Cardinales,

Digitized by Google

Pares Franciæ, & Legatos Principis cujuſcunque præcedit. Cùm primùm Urbem Rex intrat, primus ipſi Rector obviam procedit, fidelitatem promittit, & recipit viciſſim Privilegiorum Univerſitatis confirmationem. Pierr. Bonfons, *des antiquit. de Pariſ. cap.* 13. *fol.* 116. *b.* Vigilum item inibi Præfectus, ab initio muneris ſui, ſarta tecta ſe conſervaturũ Academica Privilegia, juratò aſſeverat. Paſquier, 3. *des recherch. cap.* 23. *fol* 408. Pariter ut Viennæ, quoties Conſul novus creatur, is conceptis admonetur verbis; operam daret , ne quid Academia Viennenſis caperet detrimenti. Panegyriſtes Molsheimenſis, *libr.* 2. *cap.* 2. *fol.* 80. Paucis dicam: Academiæ, ſicut Tyrannis fuerunt exoſæ: ita optimis Gubernatoribus Rerumpublicarum curæ ſemper cordiq; extiterunt. Panegyr. Molsheimens. *libr.* 1. *cap.* 5. Et ſic ſingulare Arcanum Politicum eſt, quòd Moſcoviæ Princeps ad Dominatum eò cõmodiùs tutandum, Academias & Scholas nullas habet, Kirchnerus, *Diſputat de Republic* 18. *Coroll.* 1. Tãdem etiam Academiæ, Civitatibus, in quibus conditæ ſunt, eximium ſplendorem ſemper, ſæpè etiam incrementum attulerunt. Panegyriſt. Molsheimens. *libr.* 1. *cap.* 3 Et certè Lugdunum Batavorum, non aliud petijt præmium, fortiter perpeſſæ obſidionis, quàm ut ibi Academia inſtitueretur.

V. Olim quoque, Doctorum hominum, ſtudia colentium, docentiumque celebritas, Academiam fecit; nunc eandem facit auctoritas Judicij publici & ſummi. Franciſcus Junius, *tract. de Academ. cap.* 3. Dn. D. Lanſius, *hîc, liter. e.* Hincque Academias confirmare, atque Privilegijs ornare, ad majora , ſoli Imperatori competentia Regalia ſpectare dicitur. Poſt plures à ſe allegatos, Arniſæus , *libr* 1. *de jurib. Majeſtat. cap.* 6 *num.* 14. *pag* 417 & Cammannus, *Diſputat. de Iurib. Majeſtat.* 3. *theſ.* 39. *& theſ.* 47. Ego, *Politicor. libr.* 1. *cap.* 4. *num.* 48. Facit quoque, *lex unica, C. de ſtud. liberal l. unic. C. de Profeſſor. qui in vrbe Conſtantinopol. l.* 2. *§.* 47. *ff. de orig. jur.* Inferiores quidem Principes ac Reſpublicæ fundare Scholas & Gymnaſia propriâ auctoritate queunt: ſed nec ea Privilegia Scholarum Univerſalium habent. Cothmãnus, *Reſponſ Academ.* 14 *num* 96. & nec ibi promoti, in toto Orbe pro talibus agnoſcuntur. Sic adhuc diſputatur, an qui Leidę, (ubi Academia ab Ordinibus Belgicis, invito Pontifice Maximo, & abſque Imperatoris aſſenſu, Anno Chriſti M. D. LXXV. erecta fuit) Doctores fiũt, pro talibus habeantur ubique; ac certâ pactione fuit introductum, ut in Galliâ & Angliâ adprobentur: quod alicubi narrat Meteranus. De Papâ quæſtio eſt major; an is poſſit ſine Imperatore, vel an Imperator ſine eo? Nõ hîc diſputo de poteſtate Papæ, quam habere debet, ex noſtratium mente; ſed de eâ, quam uſurpat, etiam haud invito Imperatore.

Digitized by Google

tore. Hanc ſi reſpiciamus, magis eſt, ut dicamus, Pontificem etiam ſolum hoc poſſe. Ac ſunt in Germaniâ Academiæ antiquæ, quæ Privilegia ſua & confirmationes, à ſolo Pontifice habēt. vid. Panegyr. Molsheimens. *libr. 1. cap.* 7. Pariter ut Academiæ noſtræ Fundatio, haud facit Imperatoris mentionem, ſed ſolummodò ibi narratur: daß dieſe damahl new angehende Schul / von dem heyligen Stuhl zu Rohm / mit Päpſtlicher vnd vollkommenlicher fürſehung begabet ſey. ꝛc. Ac diù pòſt, Imperatorum demùm auctoritas acceſſit. Renũciationes itidem Doctorum, atque Magiſtrorum, permiſſu Cancellariorum fiunt, qui Epiſcopi ferè; aut aliàs Eccleſiaſticæ perſonæ eſſe ſolent. Hancque etiam ob cauſſam, Jus Academias conſtituendi, habitum fuit pro Spirituali. Dn. Bachovius, *ad Treutlerum, Diſputat. 1. theſ.* 7. Johannes quidem Cammannus, *Diſputat. de Iurib. Majeſtat. theſ.* 7. quærit: Undè habeant hancce poteſtatem? Ac ſi cui lubeat reſpondere: ex uſu longævo, ſilentio vel oſcitantiâ Imperatorum. Ille, hanc potiùs tempeſtatis, quàm poteſtatis plenitudinem agnoſcit. Agnoſcunt & eam pro tali omnes Reformati: ſed quæ demùm pro tali ubique habeatur, Regno iniquitatis ſoluto. Nunc ſanè adhuc major & potentior Orbis Chriſtiani pars aliter ſentit. Qui verò faciant magis rectè, altioris indaginis eſt. Illud ego puto, facilè obtineri poſſe; non debere Pontificem invito Rege, vel quo alio Principe ſuperiori, Academiam cõfirmare, ſi inferior ſtatus petat. Id quod in Galliâ, Anno Chriſti M.D.L. diſputatum fuit, cùm Lotharingius Cardinalis Durocortori-Rhemorum Academiam conſtituiſſet, & Pontificium Diploma eo fine impetrâſſet. Thuanus *libr. 6.* Adde Limneum, hîc *Diſputat. 1. theſ. 6* ubi Pontificium hocce Jus multis oppugnat; & Academias corpora Laicalia, vetuſtiſſimasque Univerſitates, à Cæſaribus, non Pontificibus erectas fuiſſe ſatagit probare; quem adire licet.

VI. Omnia quæ orta ſunt, fatum hoc habent, ut occidant tandē: idque & Academiæ cum alijs rebus commune habent. Sicque videmus, antiquiſſimas ferè Academias minùs florere: Pariſienſem, Viennenſem, Erphordienſem, Moguntinam &c. Quod & alicubi, *in ſuo Parnaſſo.* prudentiſſimus Boccalini monet: qui idem *centur. 1. ragg* 14, putat; inutiles Academiàs veteres diruendas, & novas ſubſtituendas eſſe. Sed de fatalibus ruinis Academiarum, ſingulari Oratione prudēter diſſerit Kirchnerus: quæ extat, *in volum. 2. eiusdem Orat* Sanè etiam in genere Academijs cunctis, nõ ſolùm turba turbatorum ſat eſt iniqua. CaroIſtadius, von der Gelaſſenheit / *cap.* 43. qui liber perperàm Wigelio tribuitur: qui tamen ab hâc opinione non ſecedit, *paſſim & in ſuâ Confeſſione, fol.* 33. ſequutus (ut in omnibus ferè) Paracelſum; *quem*

ſi vacat & licet, vide-ſis in ſermone de Anti-Chriſto. fol. 36 & adde Menippum, in Dialogo, cui titulus Academia. Sed porrò & ipſe Lutherus, Weſſelus, alijque, ita duriuſculè de ijs loquuntur, ut nec verba eorum repetere nunc auſim, quæ tamen olim poſui, in Commentarijs meis, *ad leg.* 7. *&* 8 *ſub quaſt.* 5. *ff. de Iuſtit. & Iur* Et tribuit item Panegyriſtes Molsheimenſis, *libr.* 1. *cap.* 6 *fol.* 48. Luthero, quòd dixerit: Theologiã eſſe profanam, Juridicam Facultatem omnium ſpurciſſimam, Ariſtotelis Phyſicam omni ætati inutilem, adeoque dignam, cui Ovidij Metamorphoſis ſubſtituatur. Ethicam peſſimam, gratiæ inimicam, nec niſi ad verborum contentiones excogitatam. Philoſophiam denique univerſam, adoleſcenti haud ſecùs ac mortem animæ deteſtabilem. Ariſtotelem ipſum vaferrimum ingeniorum illuſorem, tricipitem Cerberum, tricorporem Geryonem, vaſtatorem Eccleſiæ, logodædalum, beſtiam eſſe. Alia & conſimilia habet, & loca etiam notat, Petri Rœſtij Pſeudojubilæum, *cap.* 10. Ariſtotelem per ſingula cola, commata, nil aliud eſſe, quàm Momum, imò Momorum Momum. Eius Phyſicam contentionem quãdam eſſe, ſuper re nihili, & velut aſſumpto argumento. Ejuſdem farinæ & Metaphyſicam, & de animâ libros exiſtere: indignum itaque eſſe, in eo nugarum cœno verſari; & quæ alia ibidem conſimilia habentur. Sed mitigare ex parte videtur hęc Lutherus ipſe, qui *in Epiſt.* 47. eodem Rœſtio adducente ſcribit: ego ſimpliciter credo, quòd impoſſibile ſit, Eccleſiam reformari, niſi funditùs Canones, Decretales, Scholaſtica Theologia, Philoſophia, Logica, *ut nunc habentur*, eradicentur, & alia Studia inſtituantur, &c. Sic & capio ea, quæ de Johanne Coleto (quem virum magni nominis vocat) Eraſmus ſcribit; *in vitâ ejusdem Coleti, Anno Chriſti M. D. XXI. ad Iodocum Ionam ſcriptâ.* Collegia, quæ multo, magnificoque ſumptu ſunt apud Anglos inſtituta, officere honeſtis Studijs dicebat; nec aliud eſſe, quam invitabula otioſorum. Neque Scholis publicis proindè multùm tribuebat; quòd ambitio profitendi, & quæſtus omnia vitians, corrumperet ſynceritatem omnium diſciplinarum. Sed & Avētinus acerrimus eſt Scholaſticorum abuſuum cenſor: qui *libr.* 1. *Annal. fol.* 83. inter alia ita ſcribit: Jch bin wohl auff fünffzehen hohen Schulen geweſt/wie ſie mich vnd andere vmb das geldt gebracht/nichts gelehrnt haben/will es ihnen wohl anzeigen/daß mans greiffen muß/ꝛc. *ut & libr. eod. fol. mihi* 105. *b. & ſeqq. ubi de Philoſophis, Poëtis, omnibusq; Philoſophia partibus pluribus agit.* Egò porrò ruinam Academiarum in genere omnium, & in ſpecie hujus vel illius, multas agnoſco cauſſas. Multitudo Academiarum novarum veteres obfuſcat, vilitatemque copia parit. Sicque etiam ſcribit Beatus Rhenanus, *libr.* 3. *rer. Germanic fol. mihi*
271. de

271. de Baſileenſi Civitate agés. Academia, inquit, quò minùs floreat, in cauſsâ eſt proventuum tenuitas, & nimia Gymnaſiorum in Germaniâ multitudo. Præſtaret eſſe pauciora & frequentia. Sic & Author Parthenij litigioſi, *libr.1.cap.7.num.*24. ait, Sanè corruptiſſima eſt Reſpublica, in qua plurimę Leges, inquit Tacitus, 4.*Annal.* Schönborner, *libr.3.Politicor. cap.*7. Sed quid de Legum multitudine conquerimur? Academiarum ubertate laboramus, quarum XXV. in ſolâ Germaniâ, & ultrà centum Profeſſores Legum Ordinarij, ne quid dicam de extraordinarijs & Theſium Fabris. Inſuper Studia, quæ homines prudentes, piosque facere putabantur; hoc quia non præſtant: Seneca, *epiſt.*89. & cùm docti multi, fiant vel maneant impij, & ſimul ſtulti; id inducit contemptum litterarum, & indè locorum, ubi eæ florent. Idque etiam effecit, ut jam olim derididiculo fuerint, vulgò, qui Philoſophi nomen præ ſe ferebant. Piccartus, *decad.*8. *cap.*1. Nam & Pacuvius illud quoque teſtatum fecit verſu inſigni, quem Macedo Philoſophus ſcribi debere cenſebat præ foribus omnium Templorum: Agellius, *libr.* 3 *cap.*8.

Ego odi homines ignavâ operâ, & Philoſophâ ſententiâ.

Sed per parentheſin quaſi hîc addo, Piccartum, levi immutatione, ſicque etiam præ foribus omnium Templorum proſcribi velle:

Ego odi homines ignavâ operâ, Theologâ ſententiâ.

Apud Ammianum Marcellinum, *libr.* 17. Milites Julianum adpellant, ſpecie ſapientiæ ſtolidum, Einen Gelehrten Phantaſten: & tales cùm adhuc hodiè complures ſint, non niſi litterarum famam deprimere poſſunt. Addo, quæ eadem de re Lactantius habet, *libr.3.cap.*15. de Philoſophis faciens verba: quis eſt, qui non videat, eos homines, virtutis, quâ ipſi egent, non eſſe Doctores? Nam ſi quis mores eorum diligenter inquirat, inveniet iracundos, cupidos, libidinoſos, arrogátes, protervos, & ſub obtentu Sapientiæ ſua vitia cælantes: domi facientes ea, quę in Scholis arguiſſent. Quotuſquiſque Philoſophorum invenitur, qui ſit ita moratus, ita animâ & vitâ conſtitutus, ut ratio poſtulat: qui diſciplinam veram, non oſtentationem ſcientiæ, ſed legem vitæ putet: qui obtemperet ipſe ſibi, & decretis pareat ſuis? Et poſtea. Tantum abeſt, ut ego Magiſtram eſſe putem vitæ, Philoſophiam, beatæque vitæ perfectricem; ut nullis magis exiſtimem opus eſſe Magiſtris vivendi, quàm pleriſque, qui in eâ diſputandâ verſantur. Hos non aliter intueri decet, quàm Medicos, quorum tituli remedia habent, pyxides venena. Idemque Lactantius, *cap.ſeq.* Sapientia niſi in aliquo actu fuerit, quo vim ſuam exerceat, inanis & falſa eſt. Rectèq; Tullius, civiles viros, qui Rempublicam gubernant, qui Urbes aut

Digitized by Google

novas conſtituunt,aut conſtitutas æquitate tuentur, qui ſalutem, libertatemque Civium,vel bonis Legibus,vel ſalubribus Conſilijs,vel Judicijs gravibus conſervant, Philoſophiæ Doctoribus præfert. Bonos enim facere oportet, potiùs quàm incluſis in angulis facienda præcipere; quæ ne ipſi quidem faciunt, qui loquuntur. Et quis obtẽperet, cùm ipſi Præceptores doceant non obtemperare? Sic & in noſtri ſeculi Academijs, animus ſæpè corrumpitur vitijs magis, quàm mens litteris excoli ſolet: ſicque corrupta vita Studioſorum, odium & contemptionem parit Academiarum; hancque propter rationem, ferè in majori precio Academiæ ſunt apud eos, qui quàm longè abſunt ab ijſdem. Et nec licentia ſolùm, & turpis petulantia, in Italicis viget Academijs; ſed & trans Alpes in Germaniam tranſmigravit: ubi maxuma pars Studioſæ juventutis, ventri, gulæ,& Veneri dedita, nocturnis graſſationibus, ac commeſſationibus, omnibus eſt moleſta,& per conſequens odioſa. Latherus, *de cenſu,libr.3.cap 11 fol.768. &c.* Et ſanè,nunc Academici reputantur mores,quos peſſimos,& vaniſſimos eſſe conſtat; ijsque magis delectantur,qui diutiùs,pluresque Academias incoluerunt. vid Eilhardi Lubini, *Satyr.2.* & Dn. Janum Gruterum,*in Epiſtol.Dedicator.ad Wovertum.Orationibus Politicis, Græco Latinus præfix.i* Faſtus etiam docentium & diſcentium,& quòd non litteratos contemnunt,odium conciliat:odij verò filia eſt cõtẽptus. Oppreſſio etiam in nonnullis Academijs frequẽs eorum, quos Deus ipſe edocuit,formavit & excitavit,in cauſsâ eſt; ut à quibuſdam intra pomœria Babylonis collocentur,& maledictione divinâ quandoque infeſtentur. Pertinet huc, quod ſcribit Dominus Arndt/ Theologus bonæ mentis, in ſeiner Landtags Predigt/ *fol.3.* Der Schulen Fundament iſt die Forcht Gottes/ Es bemühen ſich an jetzo Vornemme weiße Leut/ einen kurtzen weg einzuführen/ die Sprachen deſto eher zu lehrnen: iſt recht vnd löblich. Aber einen weg zu finden/ Gottſeeligkeit vnd Tugendt zu lehrnen/ das were wohl das rechte Fundament. Die Diſcipul gelehrt zu machen in Sprachen/ iſt etwas: aber fromb vnd tugendthafft zu machen/ iſt das gröſſeſte/ dazu eben ſo wohl mittel vnd weg ſeindt/ als zu den Sprachen. Anfangs haben wirs dem Bapſtumb gethan mit den Schulen/ jetzo haben vns die Jeſuiter vnſere Waffen auß den händen genommen/ vnd ſchlagen vns mit vnſerem eignen Schwerdt ꝛc. Hippocrates *in Lege.* comparat naturam noſtram agro, dogmata Præceptorum ſeminibus. Locum autem,in quo diſciplina contingit,eſſe velut aërem ambientem ait, à quo terræ naſcentibus nutrimentum accedat. Ergò,ſi talis locus ſit corruptus,in eo ſtatu res eſt, ac ſi aër contagio peſtilenti ſit infectus. Tandem & hoc notare placet: Fridericum

II. Im-

Digitized by Google

II. Imperatorem, quò Academiam Neapolitanam magis celebrem efficeret, conſtituiſſe; ut nemo Regnicolarum, alibi quàm in patriâ Academiâ, abſolvat curſum Studiorum. Petrus de Vineis, *lib.* 3. *epiſt.* 11. Sic & Anno M. CCCC. LVIII. in Veneto Senatu decretum eſt, ut ſubditi Venetæ Reipublicæ ſua exercere ſtudia in alijs Gymnaſijs non poſſent, quàm in Patavino; quique alibi ſtuduiſſent, alibique Doctores facti eſſent, ij Privilegijs carerent, quibus perfruuntur Doctoris inſignia in Patavinis Collegijs conſecuti. Antonius Riccobonus, *lib.* 1. *de Gymnaſ. Patavin. cap.* 8.

CAPUT III.

De Rebus & Perſonis Academiam conſtituentibus.

CONſtat Academia, Rebus & Perſonis. Ad Res refero ædes, & reditus, aliaque neceſſaria. Academia namque ſine publicis, & Profeſſorum adminiſtrationi commiſſis agris, reditibusque cõſtitui nequit: hincque Bornitius, *de ærario cap* 3. atteſtatur: Olim quẽdam virum magni judicij verè prædixiſſe, propediem interitum novę cujuſdam Scholæ ſecuturum, publicis fundis deſtitutę; & id poſt paucos annos eveniſſe. Ac ſanè reditus & ſalaria, ſunt quaſi vita & ſanguis Academiarum. Dn. D. Lanſius, *de Academ. lit. I. fol.* 39. Res verò ad Academias pertinentes, cùm habeant naturam & qualitatem rerum Eccleſiaſticarum: Matthias Stephani, *de Academ. cap.* 13. *num.* 2. indè quoque ijſdem Privilegijs fruuntur, §. *Res ſacra, Inſtit. de rer. diviſ. l. quod nullius* 182. *ff. de reg jur l. jubemus* 14 *l. ſancimus* 21. *C. de Sacroſanct. Eccleſ. cap. nulli, de reb Eccleſ. non alienand* Et hinc Legata Academijs & Scholis, ad pios uſus relicta cẽſentur. Weſembecius, *conſil.* 28 *num.* 86. Hincque Cracovienſis Academiæ domus Collegiata, æquè ac Eccleſiæ, Jus Aſyli habet. Statuta Polon. §. *Schola, fol mihi* 444 Ex illis reditibus, ſalaria talia Profeſſoribus ſunt conſtituenda, quæ non tantùm ſufficere profitentibus; ſed ad honorem eorum pertinere videantur: quò faciliùs ad id munus viri præſtantes doctioresque alliciantur, *argum l. qui filium* 4. *ff. ubi pupill educar. deb. l.* 12. §. 3. *ff de adminiſtrat. & pericul. tutor.* Johannes Limneus, *in Diſputat. eleg. de Academ. habitâ in Academiâ Noricâ, theſ.* 3. *ad fin.* ubi idem monet; ſalaria antiquitùs conſtituta, augeri poſſe, deberique. Cùm, ut Decianus enunciat, *volum.* 1. *reſponſ.* 14. *num.* 52. mutato temporum feliciorum ſtatu, ad eam deve-

Digitized by Google

nerimus omnium rerum caritatem; ut quæ Stipendia, annis ſuperioribus majora videbantur, nunc vix inter mediocria connumerari queant: eò quòd annona, & cunctæ humani victus expenſæ, creverint in triplum; nec feliciorum temporum adpareat ferè ſpes ulla. Quin & rei monetariæ perverſitas mira & iniqua, annis proximis duobus aut tribus, ad famem redegit omnes doctos & pios. Ac non ſolùm Profeſſoribus de prandio & cœnâ eſt proſpiciendum; verùm etiam cùm ſenuerint, aut cùm peractis curriculis Studiorum, Academia fuerit relinquenda, victum ut habere poſſint, Dn. D. Lanſius, *liter. I. fol* 42 ſed & porrò optandi ſunt multi Leones hodiè Græci, qui id reſpondeant, quod ille cordatè Eunucho cuidam ſuo regeſſit, invidenti doctis oblata præmia, quæ rectiùs militibus tribui poſſent: apagè verò inepte, cum militibus tuis; mihi unum hoc votum, uti omnia Stipendia militum, ſalvo Imperio & finibus ejuſdem, liceat impendere in artium Doctores. Dn. Piccartus, *decad* 7. *cap.* 1. *fol.* 2.

Rector Magnificus Caput & Princeps Academiæ.

II. Inter Academicas perſonas, primus occurrit Rector. Qui in Germaniæ Academijs, ferè eligitur à Profeſſoribus, & ex numero Profeſſorum, vel Generoſorum, atque Illuſtrium Studioſorum. Middendorpius, *hic, libr.* 3. *cap.* 13. Limneus, *hic, Diſputat.* 2. *theſ.* 8. (ubi refert, olim ferè Clericum fuiſſe electum) in Italiâ verò, Scholares, ſive Conſiliarij nationum, eligunt eundem: & illi in ſe dant Juriſdictionem. Accurſius, *in l.* 6. *ff. de Iuriſdict.* Bartolus, *in l.* 5. *tit. eod.* Sanè & Baſileæ, Studioſi quoque intererant olim electioni. Wurſtiſius, *in Chronic. Baſileens. libr.* 6. *cap.* 1. Sicque Bononiæ, primi Gymnaſiarchæ, non aut Legum, aut artium extiterunt, ſed nationum. Indè pòſt anno M. C C. duo in Gymnaſio Rectores inveniuntur, unus Tranſmontanorum, alter Ciſmontanorum; qui res Utriuſque Univerſitatis geſſerũt. Idque intellexit Odofredus, cùm Anno Chriſti M. CC. LXII. ſcripſit: Scholares, etſi Univerſitatem conſtituunt, & creare atque habere Rectores poſſunt: Jure tamen Rectores legere non poſſe; quia diſcipuli ſunt Doctorum: verùm Legibus Bononienſium aliter obſervari, Sigonius, *libr.* 4. *hiſtor. Bonon. fol.* 73 *ad fin.* Lutetiæ, ex artium Collegio ſolùm, ſed à Procuratoribus nationum deligitur Rector. Belleforeſt, *in Coſmograph. fol.* 234. Magiſtratus is, nullibi ferè perpetuus eſt, ſed vel annuus, vel ſemeſtris, vel trimeſtris. Middendorpius, *dict. cap.* 13. Non equidem illam ob rationem, quòd magna & nimia poteſtas, debeat eſſe brevis: quæ politica ratio, impertinenter ſanè huc transfertur; ſed ne uni ſemper onus hoc incumbat, ejuſque lectiones, & alias expeditiones, nimiùm remoretur; & ut æqualitas inter eos, qui membra ſunt corporis unius, eò meliùs conſervaretur. Sugillat me hac in

re Dn.

Digitized by Google

re Dn. Limneus, *Diſputat.2.theſ.8.lit.g.* & mea rationalia ſe non capere dicit. Verùm, eam ob rationem, in Republicâ liberâ præſertim, diuturna non debet eſſe, magna poteſtas (ut alibi dixi) ne Tyrannus ex cive fiat: id quod Cæſari peperit Monarchiam. Sed hoc in Scholaſtico illo Principatu haud eſt verendum. Caput enim Rector Academiæ eſt, at cum poteſtate admodùm reſtrictâ: ita ut ſine Conſilio Senatorum, vel Decanorum, nil, quod majoris ſit momenti, facere poſſit: præſertim, cùm ſæpiùs contingat, ut ille, qui hocce officium gerit, ſcientiâ Juris non admodùm ſit inſtructus: ubi certè illum defectum, per Adſeſſores ſupplere debet, *argum. l.2. ff. quod quiſque Iuris. &c. tot. tit. ff de Adſeſſorib.* Matthias Stephani, *de Academijs, cap. 12.*

III. Cancellarius plerunque loci Epiſcopus eſt, Dn. D. Lanſius, *de Academ lit. K fol. 57.* Quamvis hodiè, pòſt Pacem Religioſam, vigore cujus, Epiſcopalia Jura, Statibus Auguſtanæ Confeſſionis collata cenſentur; non ſemper Clericus: alibi etiam (ut Jenæ) nullus exiſtat. Limneus, *Diſputat.2.theſ.1.* At verò Jacobus Gretſerus, *libr.1. obſervat. ad Epiſcop. Eyſtettens. cap. 21. fol. 250. &c.* ſcribit: Olim apud Catholicos, cùm Academiæ novæ inſtituerentur, ſemper ſimul Illuſtri alicui perſonæ, Cancellarij munus, ab Academiæ conditore, cum Pontificis Maximi aſſenſu, demandabatur. Hincque Cancellarium Academiæ Viennenſis agit Præpoſitus Templi Cathedralis; Tubingenſis, Præpoſitus Sancti Georgij; Heydelbergenſis, Prępoſitus Sancti Spiritus, (aut ni fallor, Epiſcopus Wormatienſis) Friburgenſis, & Baſileenſis, Epiſcopus Baſileenſis; Lipſenſis, Epiſcopus Merſeburgenſis; Francofordienſis ad Oderam, Epiſcopus Brandenburgenſis; Oxonienſis in Angliâ, Archiepiſcopus Eboracenſis; Cantabrigienſis, Epiſcopus Roffenſis; & Academiæ Ingolſtadienſis, Epiſcopus Aichſtadianus. Eſt autem (dicente eodem Gretſero) Cancellarius, Vicarius & quaſi Legatus Pontificis Summi; ad hoc præcipuè conſtitutus, ut advigilet, ne indigni & inepti ad honores & gradus Academicos evehătur: non ſine gravi Eccleſiæ Orthodoxæ damno. Quocirca Cădidatorum Examinibus intereſſe Cancellarius poteſt: eidem poſt Examen ſiſtitur Candidatus, & ab eodem licentiam conferendi gradum Promotor petit. Verùm Cancellarij, ſi Principes præſertim ſint, Procancellarijs vices ſuas demandant. Et Anno Chriſti M. D. XXXVI. magna inter Cancellarium, D. Ambroſium Widmannum, & Profeſſores Academicos Tubingenſes orta controverſia eſt; eò quòd is gradus Lutheranis (præſertim in Theologiâ) conferre nolebat; & cùm urgeretur, indignabundus Rotenburgum ad Nicrum ſeceſſit. Quâ de re, quid Melanchthon requiſitus reſponderit, & alia hûc ſpectătia, vide

Cancellarij Dignitas, atque Auctoritas.

Cc apud

apud Caſparum Ulenbergium, *in Hiſtoriâ, de vitâ Philippi Melanchthonis, fol.128. & ſeqq.* adde Cruſium, *part.3. Annal. Suevicor. libr. 11. cap. 10.* Nunc is promovendi licentiam, & facultatem, hâc verborum formulâ apud nos concedit: *Auctoritate publicâ & ordinariâ, ab Imperatoribus conceſſâ & confirmatâ.* Statuta Renovata, Univerſitatis Scholaſticæ Studij Tubingenſis, *cap.4. fol.27.*

Quatuor Collegia Academiarũ.

IV. Academiæ plerunque quatuor Collegia cõplectuntur; quorum quodlibet ſibi eligit *Decanum.* More ex Scholis Militiarum deſumpto: ubi in Centuriâ, Decuriæ decem erant, & unaquæque ſuum Decanum habebat. Dn. D. Lanſius, *lit.b. tract. de Academ.* Sicque etiam in Academijs priſcis, ſingularum Facultatum Deni habebantur; qui ſingulas diei horas, antemeridianas, & pomeridianas, in explicandis Facultatis ſuæ Dogmatibus conſumere poſſent; undè & adhuc hodiè denominatio manſit. Franciſcus Junius, *tract. de Academ. cap.4 pag.37.* Et Decanus cauſſas Collegium ſuum concernentes, moderatur, ac procurat: Matthias Stephani, *bis cap.4. num.6. &c.* primumq; in Collegio locum tenet, & ibi Rectori quoque præfertur, non verò in actibus publicis, Decanus verbi gratiâ Medicinæ, infimum ex Ordine Jureconſultorum præcedit: Statuta Tubingenſia, *fol. 11. tit. de Ordine Membrorum.* Sed quibuſdam in locis Decani ſunt capita Scholę, ſuper ijsque Academia eſt fundata: tunc omnibus reliquis præferuntur. vid. Stevvech. *ad Veget. libr 2 cap.8.*

Theologicæ Facultatis Profeſſores.

V. In Academijs, Theologicæ Facultatis Profeſſores omnes, jure primum obtinent locum ubique: Dn. D. Lanſius, *hic fol 20.* Eſt etenim eorum ſcientia, tùm ſubjecti, tùm veritatis, tùm & finis ratione, dignior, nobiliorque cæteris. Hi olim rarò Doctores, ſed Magiſtri nominabantur (& certè quondam, ſoli Jureconſulti, Doctores denominabantur, Benius, *de privileg. Iureconſultor. cap. 65.*) Indè cùm in aliquibus Academiarum Privilegijs, vetuſtioribusque inſtrumentis, Magiſtri Doctoribus præferuntur; ex hoc minimè evinci poteſt (q tamen Magiſtelli nonnulli opinantur) Philoſophos cæteris anteponi: ſed id fit intuitu Magiſtrorum noſtrorum, qui erant Theologiæ Profeſſores. Dn. D. Lanſius, *fol.71.* Poſt Theologos, proximum ſeu ſecundum locum obtinent Jureconſulti, ante Medicos. Id an Jure fiat, quæſtio eſt vetus. videatur Lipſius, *orat.8.* Rodericus à Caſtro, *in Medico-polit. libr.1. cap.12.* Alphonſus Moditius, *§ prudentum, quæſt.12.* Limneus, *in Diſputat. de Academ.2. theſ.10.* Clariſſimus Hilligerus, *ad Donell. libr.5. Commentar. cap.9 liter.* N. Johannes Gerhardi, *cent. r. quæſt. politic. decad. 7. quæſt.6.* Johannes Baptiſta de Ploris, & Rogerius Comes, *conſil. matrimonial. tom.1. conſil.87. & ſeq.* Benius, *de privileg. Ireconſultor.*

Juriſcõſulti, an jure Medicis præferantur?

conſultor.libr.3.cap 55. Jacobus Martini, *centur.9.queſt.variar.Diſputat.* *2.queſt.* 10. Ego neutri arti aliquid detractum velim: ſed ſi ex animi ſenſu, ſententiam pronunciare, & ex veris fundamentis, non emendicatis ſuffragijs cenſere decet: cum præſtantiſſimo Medico, Franciſco Valeſio, *in ſuâ ſacrâ Philoſophiâ, cap.* 74. hâc diſtinctione rem determinarem: ut nempè Juriſprudentiæ veræ, quæ ſcilicèt non in agendis cauſſis, ſed in adminiſtrandâ Republicâ verſatur, cedere omninò neceſſe habeat Medicina: non Rabulariæ illi, & quæ lites ſolummodò ordinat, vel miſcet potiùs intricatas. Quod tamen non placet Dn. D. Lanſio, *hic fol.* 22. Tandem artium Profeſſores, qui & Philoſophi audire geſtiunt, ſubſequuntur. (Quod tamen in Academiâ Pariſienſi non fit: ubi Philoſophi primas tenent, & ex ijs ſolis eligitur Rector. *Antiquitez de Pariſ fol.22.b.*) Hi ſanè, ſi antiquum Philoſophiæ ſplendorem tuerentur; & Pythagoræ, Platonis, aliorumque premerent veſtigia, vel omnium primi, vel ſtatim poſt Theologos locandi eſſent. Dn. D. Lanſius, *hic, fol.23* Erat namque olim Philoſophia, rerum divinarum, humanarumque encyclopędia; eaque comprehendebat, quicquid mens humana ſcire, aut capere poſſet. Sed nunc artiũ liberalium Rudimenta tantùm tradit; & alijs Superioribus diſciplinis, ſubalterna magis eſt, quàm Collateralis. Indeque etiam in Jure noſtro, differentia conſtituitur inter Philoſophos, & liberalium artium Profeſſores. *argum.l.1.in princip.& §.4.ff.de var.& extraordinar.cognit.l.6.§.3.& 4.ff.de excuſat. tutor.*

Medici.

Profeſſores artium.

VI. Profeſſores nullâ honeſtâ ratione, Academijs invitis obtrudi poſſe, latè & rectè Cothmannus docet, *conſil. Academ. 42. num.53. &c.* Certi etenim Juris eſt, nominationes idonearum perſonarum, ad ipſa Collegia, Collegiorumque Profeſſores, omninò pertinere, *l. nemini, 11. C. de Advocat. diverſor. Iudicior. l.7. C. de Profeſſor. & Medic.* Langlæus, *ſemeſtr. libr. 7. cap.* 10. Idque non caret evidentiſſimâ ratione; cùm ſcilicèt perſonarum eligendarum aptitudo, Profeſſoribus Collegiorum, in quæ vocandæ, adſciſcendæ, & cooptandæ ſunt perſonæ illæ, præ omnibus alijs optimè cognita & perſpecta eſſe queat. Sed verò Profeſſores; qui olim Sophiſtæ dicti fuerunt, non publicâ docebãt mercede, ſed operam ſuam diſcipulis locabant. Matthias Stephani, *hic cap.3.num.3.& ſeq.* Ij etiam, in quamcunque Urbem delati eſſent, poterant Orationem habere, illicere juventutem, docere, declamare. Et inprimis apud exteras nationes, plùs ſe laudis & gloriæ collecturos opinabantur. Ludovicus Creſollius, è Societate Jeſu, *Theatr. Rhetorum, libr.4. cap.1* Itaque Scopelianum Sophiſtam, cùm Clazomenij rogarent, ut declamationes domi ſuæ faceret, Urbemque ſuam exornaret;

venuſtè recuſavit,dicens:*In caveâ minimè Philomela canit*. Philoſtrat*, *libr.1.de Sophiſt.* Tandem Imperatores Romani,cùm bonarum artium propagationem, ad ſuam curam pertinere cogitarent, Sophiſticos Thronos,ſuggeſta videlicèt Oratoria, & eloquentiæ Officinas, quibus qui præeſſent,publicis donis,ſalarijſque ornarentur, in Urbibus præcipuis eſſe voluerunt. Id verò munus deligendi,ab Imperatoribus derivatum eſt poſtea in optimates, & viros principes Civitatis. Creſollius,*dict.loc.* Primus verò è Fiſco, Latinis Græciſque Rhetoribus conſtituit annua centena Veſpaſianus:hoc eſt, ſi ad noſtrum putandi modum revocaretur,aureorum coronatorum millia duo,& prętereà ferè centum. Creſollius,*dict.libr.4.cap.2.* Sicque Lucianus,*in Eunucho,* ſcribit:Salarium,idque neutiquàm exiguum, ab Imperatore ſingulis Philoſophorum generibus fuiſſe conſtitutum:putà Stoicis, Platonicis, Epicureis, Peripateticis; ita ut unicuique ſectæ præmium eſſet æquale. Cæterùm demortuo ex his quopiam,alium aliquem in eius locum ſubrogari, qui ſit Optimatum calculis probatus. Et ſingulos in annos,decies,mille numûm, accipere, uti doceant juventutem. Qui idem,*ibid.* Philoſophorum vanas Diſputationes, & pro loco concertationes taxans,ita ait: Si ego fortè Judex cauſſæ ſediſſem, magis in hoc,ut mihi videtur,futurus eram occupatus, potiuſque ſpectâſſem, uter moribus præſtantior eſſet; quàm uter promptior ad diſputandum ac dicendum. Sed verò in Gallijs,more eſt receptum,ut in omnibus Univerſitatibus denuncietur, vacare hîc, vel illîc Profeſſionem: licetque tunc omnibus ſubire lecturam ac diſputationem, ut poſtea, magis idoneus eligatur; ex Caroli IX. Lege,quæ extat in Codice Hẽrici III. *libr.11 tit.6 des lectures, quæſt.1.* Florebat olim in Gymnaſio Bononienſi,Tancredus, Juriſconſultus, Eccleſiæ Archidiaconus ibidem:cujus viri auctoritate motus, Honorius Põtifex Maximus, cùm publicæ Profeſſionis immodicam coërcere licentiam vellet, eam cognitionem ipſi mandavit,quam hodieque Archidiaconi obtinere ibi ſolent. Sigonius, *hiſtor.Bononienſ.libr.5.fol.93.* Inprimis autem exſpectantiæ improbandæ ſunt,& Simoniæ quandam ſpeciem,votumque captandæ mortis, continere videntur. Matthias Stephani, *hic cap.3. num.18.& mult ſeqq latè* Ac item,ubi electio ſpectat ad Academicum Senatum,vel collegas, confirmatio tamen omninò reſervata eſſe debet ſuperiori,ſeu patrono:& hâc nimirùm ratione;duplex velut Examen, atque cognitio inſtituitur, adeoque res geritur ex magis bonâ fide,deliberationeque majori. Dn. D. Lanſius, *hic fol.17.* tandemque aliâs Academia,Hoſpitale otioſorum, ignavorumque generorum & filiorum magis, quàm Schola redderetur. Alibi eliguntur Profeſſores,ab

res,ab

res, ab ipſis Studioſis: quod & in Patavino Gymnaſio olim uſitatum, ſed meritò poſt reprobatum fuit, Riccobonus, *de Gymnaſ. Patavin. libr. 1. cap. 3.* Adſcribere tandem lubet, Formulas veteres, quibus Bononiẽſes olim Profeſſores conducebant; quæ apud Sigonium extant, *hiſtor. Bononienſ. mihi fol. 73. 82. & 91.* Qui profiteri Legum doctrinam voluerit, poſtquàm adprobatus erit, profeſſionis initium facere nõ poſſit, niſi juràrit; ſe poſthâc nullâ in Urbe, ſcientiam Legum, Scholaribus traditurum. Domini Legum, cùm aliquò vertendi ob ſtudium ſoli cauſsâ, ne contrahunto, neve Scholaribus, ut aliò commigrent, auxilio ſunto. Judicibus & Rectoribus, ſi poſtulàrint, conſilium danto. Ne quis Civis, aut Urbis Incola, ſe comitem Scholari aliò Studij gratiâ commigranti præbeto. Ne quis cum aliquo Scholari, extra Urbẽ, & ditionem Bononiæ contrahito. Scholares pro Civibus habentor, atque tractantor. Tubingæ, qui in numerum Profeſſorum electus, & nomen apud Rectorem profeſſus fuerit, ſub conſueto receptionis juramento, formulæ etiam concordiæ ſubſcripſerit; in hęc capita jurat. Velle ſe in officio ſuo, ante omnia gloriam D e i Omnipotentis, ſyncero ſtudio & zelo promovere; ac veram pietatem ex animo colere. Velle in adſignatis lectionibus obeundis, & alijs commiſſis officijs expediundis, debitam diligentiam, & ſtudium adhibere; neque alijs ſuis negocijs, aut privatis ſtudijs, in primario ſuo officio impediri ſe pati. Velle Diſcipulorum & Auditorum, tàm mores, quàm ſtudia, ad pietatem & laudabiles profectus diligenter & ſedulò conformare. Velle muneris dignitatem, vitæ inoffenſæ, & honeſtæ gravitate, decorare: Scholæ commoda, & privatis ſuis omnibus anteponere, & omni tempore promovere, damna pro viribus cavere & avertere. Et præter ea, quæ præcedenti Formulâ Jurisjurandi continentur, etiam hæc de Officio Profeſſorum, ſanciunt Statuta, *fol. 30.* ſuas lectiones quilibet Profeſſor, ipſe per ſe, non per Vicarium, ſtatis & completis horis, ac quò ad eius fieri poteſt, diverſis ab aliarum profeſſionum tẽporibus ut obeat: niſi à Rectore, & ſuæ Profeſſionis Decano, eius rei copiam impetràverit. Ut nemo Profeſſor neque in lectionibus ſuis, neque ullo alio loco & tempore, de alterius profeſſionis famâ & dignitate, ſive in univerſum, ſive ſingulatim, quicquam detrahat. Qui contrà fecerit, & à ſuæ Profeſſionis munere, & à Conſilio Senatus remotus eſſe debet donec meritam pœnam, arbitrio Univerſitatis decretam, exſolverit, & læſæ atque offenſæ Profeſſioni ſatisfecerit. De alia quoque in aliam horam, privato arbitrio tranſire, nulli Profeſſorum fas eſſe: peregrè etiam non abire debet; niſi in cauſſis gravioribus, conſcio & permittente Rectore, & ſuæ Facultatis Decano.

Veteres Formulæ, quibus Bononienſes olim Profeſſores conducebãt.

Juramẽtum Profeſſorũ Tubingenſium.

VII. Habent inſuper Profeſſores, præ alijs litteratis Privilegia magna: ab omnibus nempè oneribus debent eſſe immunes; *l. 6. C. de Profeſſorib. & Medic. libr.* 10. Menochius, *de arbitrar. judic. quæſtion. centur.* 4. *caſ.* 379. Non removentur propter ſenectutem. Speckhan, *centur.* 2. *claſſ.* 1. *quæſt.* 10. & ſi quæ alia ab alijs recenſentur. Quin & ſi per viginti annos in Academijs docuerunt, Comitivam eos adipiſci dignitatem, arbitrantur nonnulli, *argum. l.* 1. *C. de Profeſſorib. qui in Urb. Conſtantinopol. libr.* 12 latè Arumæus, *de Iure public. volum.* 2 *Diſcurſ.* 4. Idque in Auditorio Jureconſultorum Pragæ publicè perſcriptum legi; Middendorpius atteſtatur, *libr.* 5. *de Academ. fol. mihi* 285. ac inter alia, illa quoque verba: Nec refert, quòd iſti careant omninò Comitatu, reditibusque illius: quamvis peſſimè in hoc nobiſcum actum ſit. Dicant, eos non eſſe propriè Comites & Duces; ſed impropriè & abuſivè: cùm ſint ſine Comitatu, ut videri poteſt in Epiſcopis ſuffraganeis, ſeu nulla tenentibus: qui licèt ſint ſine Epiſcopatu, habent tamen nihilominùs dignitatem. &c. aſt vide Dn. D. Lanſium, *hîc fol.* 75. *& ſeqq.* qui contra unanimem interpretum ſententiam huic opinioni dicam ſcribit. Et ſanè hæcce Privilegia, quò magis extenduntur, eò magis ludibrio ſeſe exponunt litterati: & præſtat, moderatâ libertate aliquem vivere contentum, quàm ſummam affectare, nec eam adquirere poſſe, & ſimul irrideri. Nam & aliàs audire coguntur Doctores, ſe comi facilitate Privilegia ſua promovere. Scipio Gentilis, *Diſputat. de jur. public.* 4. *theſ.* 67. Et verè Vincentius Carocius monet: *tractat. de locat. & conduct. tit. de Profeſſorib. & Medic. fol mihi* 139. *à princip.* Litteratorum Privilegia, hodiè parùm obſervari; & verè nunc vanum eſſe, ea proponere: & cavere debere Scholares, ne ſe fundent in Scholaſtico Privilegio, quia decipientur.

CAPUT IV.

De Gradibus Honorum Scholaſticorum.

AD poteſtatem Privilegiatis Academijs conceſſam, Facultas cùm primis creandi Doctores, Magiſtros, &c. pertinet. Undè commodè hîc & illud quæri poteſt; undè in Scholas & Academias, ritus Promotionum publicarum, Scholaſticarumque dignitatum nomina venerint; & num benè iſta à ſuis Auctoribus fuerint excogitata, & adhuc in uſu quotidiano ſerventur? de quo Serrarius, Theologus è Societate Jeſu, *tom.* 3. *Opuſculor. Orat. Luthero-Turcicâ* 2. Heigius,

part. 2.

Digitized by Google

part.2.quæſt.11.num.29.&c. Matthias Stephani, *libr.3. de Iuriſdict. part.2. cap.14. num.32.&c.* Middendorpius, *de Academ. libr.1. cap.13.* Johannes Gerhardi, *loc. de Miniſter. num.137.* Declamationes Philippi Melanchthonis, *tom.5. fol.857.* Johannes Forſterus, *Diſputat. ad Orat. Dominic. decad.2. Problem.7.* Sagittarius, *quæſt. illuſtr. Philoſophicar. centur.1. quæſt. 77.* Et verò, num in Scholis publicis, quas Academias vocare ſolemus, ritus Promotionum, & nomina Scholaſticarum dignitatum, benè à noſtris majoribus fuerint excogitata, & adhuc uſu quotidiano obſerventur? non ſolùm à phanaticis quibuſdam pernegatum: vide Caſparum Schvvenckhfeldt, *in epiſtolar. contra Catholicos, fol.229. &c.* ſed & à cordatis non paucis dubitatum fuit. Et tamen Promotionum illi gradus, in Concilio Viennenſi, ſub Clemente V. Pontifice Maximo, graviſſimis de cauſſis adprobati; & ſumptuariæ quoque Leges præſcriptæ ſunt, ne qui propter inopiam rei familiaris, & ſumptuum magnitudinem, à re tàm utili abſtinerent. *Clement.2. de Magiſtr.* Ac ſanè cui non ſufficiat auctoritas, tàm celebris congregationis? Me quod attinet, planè perſuaſus ſum, non per ſe culpandum eſſe huncce morem; nec cordatos, bonos & prudentes, qui hoc faciunt, aliud niſi peſſimos abuſus vituperare puto. Dum nempè primò ſæpiùs conferuntur indignis; eoque fieri ſolet, ut Promotiones multis oneri potiùs, quàm honori ſint, ordinique univerſo maculam fœdiſſimam inurant. Ita ut magna ſæpiùs differentia ſiet, inter Doctorem, & Doctoris titulo inſignitum. Undè Papa Gregorius XIII. aliquem beneficium petentem, & titulo Doctoris gloriantem, non immeritò interrogavit: ânne ſit Doctor, vel Doctoris tantùm titulo ornatus? Quæ in Italico ſuaviùs ſonant: *Siete voi Dottore, ò vi ſiete addottorato?* Sicque Honores viléſcunt, ubi dignus & indignus, ſimpliciter ablativos adſciſcunt. Dn. D. Lanſius, *de Academ. fol.85. lit. N.* Sunt certè imperiti Doctores DEO inviſi, & hominibus pernicioſi: Cothmannus, *Acadē. Reſponſ.14 num.75.* illi ſcilicèt, qui Silentiarij ſunt, Legumque Secretarij, qui omnia Jura in ſcrinio pectoris habent; ſed planè inſtar confeſſionis, quam nefas fuerit alijs revelare. Sapientior ille apud Tibullum, *libr.1. Elegia 4.*

Botteroɔ *de i detti, libr.5. fol 89. in fin. & b.*

Parce puer, quæſo, ne turpis fabula fiam,
Cùm mea videbunt vana Magiſteria.

Meritò ergò Palingenius, *in Virgine,*

——Prô Dij, nunc nomina tantùm
Magnifica, & claros titulos ſibi quilibet optat,
Arrogat, affectat, ſequitur, rapit; ut meritò jam
Et ſe Aſinus Pardum vocet, & formica Leonem.

Quis non vult ſapiens, generoſus, juſtus haberi,
Et probus, & doctus; contentus cortice ſolo
Atque umbris rerum, ut tali velamine mores
Occulat infandos? Lis eſt de nomine, non re.

Adde ſi lubet, Melandrũ, *lib. 1. jocoſer. nu. 686. & ſeqq.* ubi ridiculis quibuſdam exemplis, titulorum exagitat prophanatores. Pertinet item huc, quod Caſpar Enſius habet, *libr. 2. Moroſophia, cap. 19.* Venit ſtultus juvenis ad Templum, Doctoratus inſignia recepturus. Præceptores illum ſui celebrant, ſeu amore, ſeu errore. Tumet ille, vulgus ſtupet, adplaudunt Adfines & Amici. Juſſus cathedram aſcendit, cuncta jam ex alto quaſi deſpiciens, & neſcio quid confuſum murmurãs. Tunc majores certatim, quaſi divina loquutum, laudibus ad cœlum tollunt. Tinniunt interim campanæ, ſtrepunt tubæ, volant annuli, figuntur oſcula, vertici rotundus Magiſtralis, ſeu Doctoralis imponitur pileus. His peractis, deſcendit ſapiens, qui ſtultus aſcenderat, & magnâ deducitur pompâ, mira prorſus transformatio, & nec Ovidio quidem cognita. Abuſum hæc taxant, non tollunt uſum. Nemo fortè ex iſtis titulis melior, nemo doctior efficitur, inquit alius, & parùm hæ promotiones ad eruditionem conducunt. Sed verò eruditionis atque doctrinæ indicium & inſigne ſunt: ut homines nôrint, quibus ſuos & ſuorum animos, liberalibus artibus & diſciplinis, reliquaque cognitione informandos, tutò committere queant; qui ex ijs, quę cujuſque profeſſionis ſunt propria, utpotè imperiti, dignũ ab indigno, ab inerudito inſcioque, eruditum & ſcientem diſcernere nequeant.

Oldendorpius *ad Leges XII. Tabularum.*

Sambucus, *in Emblemat. fol. mihi 280.*

Multa valent, doctiq́ probant, nec vulgus abhorret,
Accipiunt pondus ſed tamen illa notis.
Nam niſi ſint etiam titulo inſignita ſuperbo,
Fulgeat & digno nomine quidq́, latet.
Sic hodiè magni fiunt Doctoris honores,
Qui Studijs laudem promeruêre ſuis.
Ne fugias nomen, quamvis doctiſſimus ævi:
Sit modò digna fides, non erit ambitio.

II. Sunt & ſecundò, eo cumprimis nomine, tituli vituperandi: cùm etiam digni ijs ſuperbiunt, & alios eo nomine præ ſe contemnunt. Venenum id eſt peſſimum, ex Pharmacopolio Babylonico, & Anti-Chriſti. Hucque ſpectat, quod ſcribit Franciſcus Lambertus Avenionenſis, Theologus verè inſignis (vide Melandrum, *libr. 1. Iocoſer. num. 684.*) *ad finem tractatus de cauſſis excæcationis multorum ſeculorum.* Væ vobis, ô execrabiles cœcorum duces, qui veſtros ſuperbos docẽdi titulos ære multo emitis; nihil minùs faciatis, quàm doceatis.

Odit

Odit Chriſtus promotiones hujuſmodi, quas & interdixit. Proindè miror etiam eorum, qui è nobis eſſe volunt, adhuc nonnullos tàm inſanire, ut ad gradus, & Doctoratus promoveri velint; contra apertiſſimum verbum DEI. Ego Doctor eſſe volo, & veritatis quidem per gratiam Domini: id eſt, puriſſimum verbum DEI docere cupio. Sed quid ad me promotio fornicariæ Babylonis? Doctor verus eſt, qui verè docet, conſecratus & promotus, non numiſmatum medio, ſed Spiritu DEI. Et addit. Non expaveat fidelium quiſquam, has Satanæ larvas, nec dicant ad illos ſpectare judicium doctrinarum. Nimirum ſi oves Chriſti ſunt, ad eos ſpectat judicare de voce Paſtoris ſui, ut ſæpè docuimus in Canticis Salomonis. &c. Hoc eodem intuitu, Salvator noſter, ſuperbos, ambitioſosque Rabbinorum titulos deteſtatus eſt. Ex cujus tamen traditione, Eccleſia primitiva, graduum diverſitatem non improbavit: ac pro merito, alios Diaconos, alios Presbyteros vocavit. adde Bellarminum *libr. 3. de verbo Dei cap.* 10. Notat, & hanc ſtudiorum ac graduum vanitatem (ſi ſcilicèt non ad ſolum DEUM, proximique commodum, plenè planeque referantur) Beatus Auguſtin. *libr. 4. Confeſſ. cap ultim* Et quid, inquit, mihi proderat, quòd omnes libros artium, quas liberales vocant, tunc nequiſſimus malarum cupiditatum ſervus, per me ipſum legi, & intellexi, quoſcunque legere potui; & gaudebam in eis, & neſciebam, undè eſſet, quicquid ibi verum & certum eſſet. Dorſum enim habebam ad lumen, & ad ea quæ illuminantur faciem: undè ipſa facies mea, quâ illuminata cernebam, non illuminabatur. Celeritas intelligendi, & diſputandi acumen, donum tuum eſt, ſed non indè ſacrificabam tibi. Itaque mihi non ad uſũ, ſed ad perniciem magis valebat. Nam quid mihi proderat bona res, non utenti benè? Idemque docet Johannes Weſſelus, ſuo tempore lux mundi dictus, *libr. de Sacrament. pœnitent. fol. mihi* 788. Omnis alta profeſſio, frigida affectio peſtis eſt in Eccleſiâ DEI. Igitur qui principatũ, præſidentiam, præeminentiam, dignitatem, religionem, Doctoratũ, Sacerdotium, Pontificatum ſuſcipit; ſi adhùc divitijs, delitijs, honoribus, ambitioni inhiat, in cathedrâ peſtilentiæ ſedet, &c. Sunt equidem exempla piorum virorum, qui titulos gradusque appetere omiſerunt; ne ſcilicèt vel ſuperbia creſcat, vel in illis ſuperbire videantur. Et ita inſigni quondam Alemanniæ Doctori Henrico Suſoni, æternæ Sapientiæ diſcipulus qui dicebatur, à Spiritu DEI, titulus prohibitus fuit. Laurentius Surius, *in præfat. oper. Suſonis fol.* 4. Sed magna eſt differentia inter humilitatem Heroum, & rabiem nonnullorum; qui dum titulos contemnunt, eo ipſo inſolenti arrogantiâ, & imperioſo faſtidio inflati, efferuntur. Et ita etiã capio, quæ Thomas Kempiſius,

ſunt gradus illi, à bonis ſi ſuſcipiantur: hoc eſt, ſi non ambitioſè, vel ambiantur, vel remotâ humilitate poſſideantur.

III. Sed nunc ſubjungere etiam placet diſſertatiunculam quandam de materiâ hâc eadem: quam præ manibus habemus: dictam Anno Chriſti M.DC. XIV. XI. Maij, cùm invitationi Dn. Antonij Bulłęi, tùm Juris utriuſque Candidati, quâ is Senatum Academicum ad actum ſuum vocavit, Rectoris tùm obiens munus, reſpondi: quæ ita ſe habet: Optimo ſanè Conſilio gradus honorum Academicorum, à noſtris majoribus ſunt adinventi: tùm ut bonorum eſſent prȩmia certa; tùm ut inter dignos & indignos diſcrimen obſervaretur: ne Reſpublica in decernendis muneribus aberret. Cùm enim ita naturâ ſit comparatum; ut gratis pœniteat eſſe probum: honoribus hiſce allici debet juventus, & ad meliora deduci. Cætera quoque animantia, duabus rebus potiſſimùm adducuntur ad obtemperandum; cibo, ſi quod fuerit abjectius; aut delinimento, ſi generoſius; aut plagis, ſi contumacius, velut aſinus exiſtat. At homo, (cùm animal omnium generoſiſſimum eſſe conſtet.) non tàm minis ac ſupplicijs cogi, quàm præmijs debebit ad officium, omneq; honeſtum legibus invitari. Honos enim ex æquo artes atque virtutem (ut Proverbium habet) alit. Et porrò ſi ejuſmodi examina, & publica cumprimis ſpecimina, non præcederent honorum diſtributiones: haud rarò indigniſſimi à Republicâ ad ejuſmodi munera adhiberentur; ad quæ illi nō magis apti, quàm aſinus ad lyram. Multum eſt, publicâ auctoritate quempiam docere, legere, diſputare: ſuſpiciones omnes hoc tollit impoſturæ & improbitatis. Qui hanc poteſtatem ab Academijs accipiunt: longè diverſos facio ab illis, quos tantùm ſua ſcientia commendat. Qui quamvis pares, aut etiam eruditione ſint ſuperiores: cum tantâ tamen auctoritate non docent, ſicut ij, quos publicum teſtimonium approbavit; quique ideò meritò Bullatis præferuntur. Maximoperè autem cavere debent ij, quibus talium præmiorum diſtribuendorum cura publicè eſt commiſſa; ne in illius, qui ea petit, tùm & in Reipublicæ detrimentum, indignis unquàm conferantur. Inepti enim dignitate illâ onerantur magis, quàm honorantur: dum honoribus nomine dignis, præfici non poſſunt; minimis nolunt: Undè accidit plerunque, ut in ſplendidâ miſeriâ vivant: non rarò etiam moriantur. Reſpublica itidem confiſa judicio diſtributorum, curiæ præficit nonnunquàm; qui cùm muneri ſibi demandato pòſt impares inveniuntur, unà cum Academicis honoribus, in dedecora turpiter incurrunt. Sed ut indignos promovere, turpe: ita magis pernicioſum eſſe videtur; ſi qui ingenio & eruditione valent, vel eo non ex uſu Reipublicæ utantur, vel ſuâ

ſcientiâ inflati ſuperbiant, ex mundanarumque, & eâ rerum peritiâ, quæ non ad hominem æternum & immortalem, ſed exteriorem mortalem requiritur, Idolum faciant; quod cultorem ſuum nec à morte eripit, nec vitâ defunctum comitatur: & qui cùm plurimùm ſciverint: à diabolo tamen, variâ rerum ſcientiâ vincuntur.

IV. Sed inſuper, ut probum, ita etiam antiquiſſimum hunc eſſe morem, nemo ambigere debet. Vide de Doctorum antiquitate & præſtantiâ Camillum Borellum, *tract. de Magiſtrat. libr.* 1 *cap.* 8. Habuerunt enim Judæi olim ſuos Rabbinos, qui per manuum impoſitiones Sapientes declarabantur. Serrarius, *in duobus Rabbinis, libr.* 1. *cap.* 21. *& ſeqq.* Panegyriſtes Molsheimenſis, *libr.* 1. *cap.* 4. *fol.* 31. Beza, *in majorib. adnotat. ad Malthæ, cap.* 23. *verſ.* 7. Apud eoſdem erant Scribæ, & populi ſeniores; qui *Abotenu* id eſt, Patres noſtri adpellabantur: undè forſan apud Catholicos *Magiſtri noſtri* ſuum deſumpſerunt nomen. In Republicâ Romanâ, primùm nominatim Auguſtus Imperator, Jureconſultis poteſtatem de Jure reſpondendi pro beneficio conceſſit, *l.* 2. *ff. de orig. jur. circ. fin* & poſteà tempore ſuccedente, Academica quædam forma, ſtudijque Univerſalis erecta fuit; cujus ſtatum ordinat *Lex unica, C. de ſtud. liberal. Vrb. Rom. & Conſtantinopol libr* 11 Ac etiam *in l.* 7. *C. de Profeſſor. & Medic. libr.* 10. conſtitutum invenimus; ne temerè quis proſiliat ad docendi munus. Vide Emundum Merillium, *libr.* 3. *obſervat. cap.* 18. Sic & Imperator noſter Juſtinianus, non publica tantùm Gymnaſia Juris, celeberrimis orbis terrarum urbibus, Beryti, Romæ, Byzantij excitavit: ſed quædam etiam appellationum & titulorum inſtituit ornamenta. Epo Boëthius, *libr. de progreſſ. Scholaſt.* Et nempè, quoſdam Juſtinianeos, quoſdam Edictales, porrò Papinianiſtas, Lytos item & Prolytos adpellari ſancivit. Sic & apud Sinas quoque, gentem Chriſtianâ Philoſophiâ necdum de integro colluſtratâ; ſed tamen admodùm cultam, & vel naturâ indice, litterarum ſtudijs graviter addictam; terni litteratorum gradus ſunt recepti ex Trigaultio Panegyriſtes Molsheimenſis, *libr* 1. *cap.* 4. *fol* 30. Tempore Hormiſdæ Papæ Romani, in Concilio Auguſtano, à XII. Epiſcopis celebrato, inter alia & hoc placuit ſanciri: Ne quis Doctoris munus ſibi imponat, præter eas perſonas, quibus eſt conceſſum. Bartholomæus Carranza, *in ſummâ Concil. pag.* 208. Ex quibus initijs, inſignia tandem honorum tituliqué, quibus adhuc utimur, provenerunt: quæ enumerat, & earum rationem indagat Paſquier, *libr.* 4. *des recherch. cap.* 7. Heigius, *dict. quæſt.* 11 *num.* 15. Cothmannus, *conſil. Academ.* 42. Agit etiam hâc de re *Clement. tit. de Magiſtris*. quæ ſumptus coërcet; undè articulus adhuc hodiè eſt Juramenti Candidatorum, quòd non velint

ſint facere immodicos ſumptus,&c. ut & ſtatutis Polonicis, *fol. mihi* 440. cautum invenimus,ut circa Promotiones in Scholâ Cracovienſi,omnes ineptiæ tollantur,& excogitatæ, ſupervacaneæque impenſæ removeantur. Ajũt verò, ſub Lothario, Imperatore Saxone Anno M. C.L. Jureconſultos primùm Doctores promotos,& Magiſtrorum nomen à Doctoribus fuiſſe ſeparatum: vide Matthiam Stephani, *hic cap. 14. nu. 53. &c.* ac Petrus Lombardus eodem tempore primus Doctor Theologiæ fuit renunciatus. Vide Diſputationem Limnei, *de Academ. theſ. 12. à princip.* Ita ut hi gradus,ex quorundam curioſâ obſervatione, non ſine myſterio incidant in id tempus, quo Philoſophia ſecularis, ut loquitur Trithemius, Theologiam ſuâ curioſitate inutili fœdare cœpit. Quemadmodùm etiam Rabbinos, non diu ante Chriſti Salvatoris noſtri Adventum,exortos fuiſſe,notat Dn. Buxtorffius, Amicus & Fautor meus: *in ſuo abbreviator. fol.* 148. Ac quandò Doctores primùm fuerint creati,diſquirũt etiam Beatus Rhenanus, *in Commentar. ad Tertull. in fin. fol. mihi* 119. Majolus, *dier. Canicular. tom. 2. colloqu. 6. pag. mihi* 507 Forſterus, *Hiſtor. Iur. libr. 6. cap. 6.* Dreſſerus, *Millenar. 6. tit. de gradib. & tit. de Academia.* Dn. Johannes Gerhardi, *Loc. de Miniſter. num.* 136. Ac etiam, nil ſublimius eſſe, Doctorali dignitate, Afflictus ſcribit, *tract. de jur. protimis in præfat. num.* 4 Et nec ſolùm doctos Principes Germania habuit cómplures: ſed & Doctoris ac Magiſtri titulis inſignitos multos. Urielem & Sebaſtianum, Archiepiſcopos Moguntinos,ambos Juris Doctores. Reichvvinum Lotharingiæ Ducem,& Epiſcopum Argentinenſem, Sacroſanctæ Theologiæ Magiſtrum. Philippum II. Epiſcopum Spirenſem, Juris: Matthæum, Epiſcopum Wormatienſem, Theologiæ Doctorem. Henricum IV. & Chriſtophorum, Epiſcopos Auguſtanos Jurium Doctores. Albertum I. Comitem Hohenbergenſem, Epiſcopum Herbipolenſem, Decretalium, Philippum, Sacroſanctæ Theologiæ, & Johannem III. Sacrarum Litterarum, & Decretalium Doctores, Epiſcopos Aychſtadienſes. Matthias Caſtritius, *de heroic. virtutib. Princip. Germaniæ. libr. 4. cap. 2.* Spangenberger/ *part. 2.* Deß Adels Spiegels *paſſim.* Dn. D. Lanſius, *Orat. pro German. fol. 32. &c.* & Ego, *libr. 1. Politicor. cap. 11 num. 55.*

V. Et quidem ſalubri etiam conſilio, graduum conferendorum poteſtas Academijs confertur: propter publicam, quam habet, auctoritatem, præſumptionemque, quę eſt penes illos: undè Bullati Doctores non ijs Privilegijs gaudere dicũtur, quibus Academici Doctores, ut dixi, *in Commentar. ad l. 7. & 8. quaſt. 5. ff. de Iuſtit. & Iur.* latè Middẽdorpius, *de Academ. libr. 1. cap. 13. fol.* 118. &c. ubi in eum ſenſum refertur, Bulla Pij V. Pontificis Maximi, Arumæus, *ad Aur. Bull. Diſcurſ. 1.*

theſ. 5. ut & in Patavinâ Academiâ, ad profeſſiones haud admittuntur, ex Senatuſconſulto ſingulari. Antonius Riccobonus, *de Gymnaſ. Patavin. libr. 1. cap. 8.* Multis etiam edocet Ampliſſimus Dn. Otho Melander, *in Commentar. ad proceſſ. Cameral. Noe Meurers ad ſupplicat. 45. fol. mihi 115.* Licentiatos, Doctorésve Bullatos, in Cameræ Imperialis Advocatorum Collegium admitti non debere: cùm Ordinatio Cameræ, *part. 1. tit. 18.* requirat publicum Examen. Unde & Dn. Rulandus, *libr. 1. de Commiſſar. cap. 14. num. 8. &c.* eos ab Officio Commiſſionis, ut & ab alijs favoribus Doctoribus conceſſis, excludit. Et rectè ſcribit Auctor Parthenij Litigioſi, *libr. 1. cap. 7. num. 32. pag. 110.* ſe illis non moveri, quæ exercitij aut placentiæ gratiâ, ſcribat Matthias Stephani, *libr. 2 de Iuriſdict. part. 1. cap. 6. membr. 1. num. 274. &c* addatur Dn. D. Lanſius, *de Academ. fol 91. &c.* Quamvis enim creatio Doctorum de Regalibus ſit: & gradus etiam in Academijs Principis auctoritate conferantur, Middendorpius, *libr. 1. de Academ. cap 13. fol. mihi* 127. Et Imperator ſit Doctor, Juris auctoritate, non ſciẽtia. Tiraquellus, *de Nobilitate cap. 31. num 573.* attamen cùm Bullatos Doctores facit, vel Imperator ipſe, vel per Palatinos, perperàm agere reputatur. Nec enim Doctoratus, ſimplex dignitas eſt, ut Nobilitas; ſed fundatur in eruditione, ejusque debitâ, & publicâ exploratione. Vide Dn. Bachovium, *ad Treutler Diſputat. 1. fol. 28. theſ. 7.* Et extat luſus, in Doctorem quendam Bullatum, apud Melandrum, *libr. 1. Iocoſer. num.* 208.

Doctorem te Bulla creat, tibi Bulla decori eſt,
Bulla tibi vires, Bulla parit titulos.
Sed caveas, ne forte nimis te Bulla perennet,
Bulla homo es, & Doctor Bulla quid ergo tumes &c.

Sed verò Imperator, ſi velit, unico verbo creare Doctores, poteſt: & ea ratione ab auguſtiſſimæ memoriæ Rudolpho II. Betzium, Legationi Turcicæ deſtinatum, Doctorem eſſe factum, refert Ohemius, *de Iure Epiſcopal. theſ. 17. liter. t.*

VI. Gradus hodiè triplices ſunt, Baccalaurei, Magiſtri, Doctoris, priores duo ſpectant ad artes liberales; poſterior ſolus, ad Superiores Facultates. Quamvis olim etiam in ſupremis Facultatibus Baccalaurei, Magiſtri, &c. promoverentur; ut gradatim perveniretur ad gradum ſummum: quod non improbat Cothmannus, & reduci ſuadet, *conſil. Academ. 44. num. 30.* Baccalaurei ſunt, qui confecto Literarum Humanitatis tyrocinio, in celebritate Academiæ, publicum progreſſus ſui teſtimonium acquiſiverunt, vox illa undè ſit procuſa? ambigi ſolet. Non à baccis lauri ea deſcendit: laurea enim Corona Imperatoribus, Militibus Triumphantibus, Poëtisque ſolummodò

debetur.

debetur. Sed vide Dn Fridericum Mockelium, *Diſſertat. de præmiis, cap.1.num.76.* Et nec à baculis denominationem nacti ſunt: quaſi facultatem habentes baculos bajulandi: ut *in Millenar.* Dreſſerus cenſet. Veriſſimum eſt, Franco Gallorum veteri linguâ *battulum*, prœliũ, à *batre combattre*, & Tyrones *Battalarios* dici: hincque poſtea in Academiâ Pariſienſi, Battalarios, ſolitos fuiſſe nominari; qui in ſtudijs diſciplinarum, rudimenta poſuerunt: quæ vox ex etymi ignorantiâ, in Baccalarios, pòſt in Baccalaureos fuit transformata, poſt Vivem Goglenius, *Problemat. Grammatic.2.num.73.* & conſentit Pontanus, *volum.1. progymnaſmat.83.pag.337.* Sanè adhuc Galli; *Baccheliers en armes* vocant, quos nos in re litterariâ Baccalaureos vocitamus. Vide Nicot. *in Dictionar.* Horum creatio, an referatur ad Regalia? ambigũt Doctores, & affirmat Bacchovius, *ad Diſputat. Treutler.1.fol.28.* Vide Cammannum, *Diſputat. de Regalib.3 theſ.56.* Ego (quod *libr.1. Politicor.cap.4.num.48.* innui) id nego, cum communi: cùm non ſit dignitas, ſed potiùs gradus, ſeu præparatio ad dignitatem. Magiſter dicitur à monendo, ſeu à magiſtrando, quod eſt imperare: ſed hâc de re inquirit Paſquier, *7. des recherch. cap.17. Goglenius, dict. libr.2.num.74.* quos videre licet. Licentiatos vocitamus, quòd illis liceat ſummam dignitatem petere, & conſequi cùm voluerint. Petrus Gregorius Tholoſanus, *de arte Iuris, cap.34.num.18.pag.556.* id eſt, qui privatim & publicè ſunt examinati; nec quantocunque tempore petierint ſibi gradum Doctoreum conferri, iterum examinari debent. Middendorpius, *hîc libr.1.fol.135.* Sunt & Licentiati promoti: qui in actibus favorabilibus, non in odioſis, pro veris Doctoribus habentur. Benius, *de privileg. Iureconſultor. part.3. in princip.* Matthias Stephani, *hîc, cap.14.num.48.* Dn. D. Lanſius, *de Academ. fol.73.* Sicque Cameræ poſſunt eſſe Adſeſſores, æquè ac Doctores: quia id favorabile eſt: & viciſſim, ſi ſtatuto verbi gratiâ caveatur, ne Doctores inter Senatores referantur; admitti ſolent Licentiati.

VII. Sed hîc nobis ſe obviam ferunt aliquæ quæſtiones, dignæ quæ diſcutiantur. Et quæritur nempè (1) An qui conſueta Examina ſuſtinuit, & ita licentiam acquiſivit, ut quando libet, Doctoris gradum aſſumere poſſit; id per Procuratorem facere queat? Imperator quidem abſenti poteſt cõferre dignitates: ſed hoc videtur de ejuſdem eſſe reſervatis. Et cùm actus Doctoreus, ſollemnitates habeat haud paucas, eæ videntur cum ipſa perſonâ peragendæ; cùm actio quædam legis eſſe videantur, quæ reſpuit Procuratorem, *l. nemo 123. ff. de regul. jur.* Nec item uno loco examinatus, alibi poteſt actum celebrare. Petrus Fridericus Mindanus, *de proceſſ. b. & mandat. libr.3.cap.5.num.30.*

(2) Nùm qui in ſolitudine, vel privatim, haud in aliquâ Univerſitate operam per quinquennium Juriſprudentiæ dedit; gradus adipiſci queat? Id quod adfirmat Sfortias Oddus, *de reſtitut. part. 1. quæſt. 7. artic. 14. num. 137. &c.* ac Limneus, *hîc, Diſputat. 4. theſ. 8 liter. C.* Et licet illud requirant Statuta Juridicæ Facultatis, Academiæ Tubingenſis, ſcio tamen diſpenſationem conceſſam, & loco unius, duas Diſputationes, cuidam Candidato fuiſſe injunctas. (3) Quamvis gradus Doctoreus, haut pro vocatione, ſed potiùs pro præparatione ad eandem debeat haberi: Johannes Gerhardi, *in loc. de Miniſter. num. 18.* tamen in beneficijs alijs præferuntur ij, qui ſunt graduati. Choppin. *de polit. Eccleſiaſtic. libr. 1. cap 5.* Paſquier, *libr. 3. des recherch. cap. 22.* Ac item ijs in locis Canonici eliguntur, ubi aliâs non niſi generoſi, vel Nobiles admittuntur. Panegyriſtes Molsheimenſis, *fo. 34.* (4) Spurius an poſſit in Doctorem promoveri, dubitationem habet? Sanè Statutis nonnullorum locorum excluduntur: ſed quondam eius conditionis homines, in Academiâ Tubingenſi fuiſſe admiſſos, memini alicubi atteſtari Doctorem meum Dominum Harpprechtum, lateque probat Benedictus Ægidius Luſitanus, *in tract. de Iur. & privileg. honeſtat. artic. 16. num. 22. &c* Spurium etiam abſque illegitimitatis diſpenſatione, evehi poſſe ad Doctoratus, ſeu Magiſterij gradum. Cùm nempè Doctoratus non ſit talis honor, qui competat alicui publici officij ratione; ſed ſcientiæ & doctrinæ cauſsâ. Ac ita uſu paſſim obſervari ſcribit, aliorumque probat auctoritate. (5) Diſquiritur porrò, an qui Collegij cujuſdam Philoſophici membrum eſt, nec tamen Philoſophiæ Magiſter exiſtit, Decanatus honore frui; & nempè alij Magiſterij inſignia, titulumque conferre poſſit? Videri queat, contrarium eſſe reſpondendum: cùm, quod quis ipſe non habet, alij nequeat dare. Sed intrepidè contrarium aſſirmo. Magiſter enim non creat Magiſtrum, quatenus Magiſter: ſed Collegij, imò potiùs ſuperioris autoritate; undè priùs licentiam ſolet Promotori Cancellarius (Epiſcopi, vel Principis delegatus) largiri. Eſt etenim creare Magiſtrum, Jus Regale, nō Magiſtrale: aliâs quilibet Doctor Doctorem, Magiſter alium Magiſtrum renunciare poſſet. Sicque poteſtas hæc competit, cui Superior eam mandavit, non qui Magiſter eſt. Si qui diſſentiunt forſan, & putant; Magiſtrum ut Magiſtrum tribuere honores, illi ex Magiſtro lapidem philoſophicum facere videntur: qui multiplicare poſſit Magiſtralitatem, & tingēdo in Magiſtros transformare, ſi qui rudes; quemadmodùm lapis ille, ex plumbo facit aurum. Magiſter propriè non creat Magiſtrum, aliàs daret, quod ipſe habet, & ſe privaret, aut ſe communicaret. Sic Palatini Comites, honores & titulos tribuunt,

quos

quos ipſi non habent; ſed tamen eos conferendi poteſtate gaudent. Latè, & operosè Argumenta mea refutat Dn. D. Lanſius, *tract. de Academ. lit. M.* contra quæ nolo moleſtâ replicatione detinere Lectorem, ſed aliorum me ſubijcere cenſuræ. (6) In dubium itidem vocatur: an ſi ſtatuto quodam, certa ſint Magiſtris privilegia conceſſa, verbi gratiâ, ut nemo Philoſophiæ Profeſſor recipiatur, niſi Magiſter Philoſophię ſit promotus: an qui Doctoris gradum, in ſuperiori aliquâ Facultate aſcendit, Philoſophiæ licèt Magiſter non ſit; commodè hoc fruiſci ritè poſſit? Id ſanè defendi poteſt. (licèt iterùm non Dn. D. Lanſius ſolùm, ſed & Mockelius meus, *in eleganti diſſertatione de præmijs, cap. 1. num.* 77. ſentiant ſecùs.) Quia Magiſtri etiam Doctores appellantur, & Doctores Magiſtri: Matthias Stephani, *libr. 3. de Iuriſdict. part 2. cap. 14. num.* 58. & 87. Ac ut in multis Cathedralibus Eccleſijs, certa ſunt ſtatuta, quòd non niſi Nobilis ad Canonicatum admittatur: & tamen non excluduntur Barones, Comites, Duces &c. Sic pariter, cùm requiritur Magiſter, haut debet excludi Doctor. Illa nempè ſtatuta, ſtrictè ſunt intelligenda; verùm non ita, ut ideò digniori titulo ornatus, excludatur: ſed tantùm, ut inferiores removeantur. Accedit, & hanc meam opinionem firmat cumprimis, quia ſuperiores Facultates, reſpectu Philoſophiæ, ſubalternatæ, non collaterales exiſtunt diſciplinæ. Præſertim cùm hodiè, quam vocant Philoſophiam, magis ſit perfunctorium ſtudium liberalium artium, quàm Philoſophiæ: *argum. l.1 ff. de var. & extraordinar. cognit. ubi hæc duo ſeparantur.* Fateor, multos eſſe Doctores ſuperiorum Facultatum, qui non tali præpollent eruditione, & nec eas guſtârunt diſciplinas, quæ in Magiſtro artium requiruntur: ſed tales Philoſophię Profeſſores eſſe nolim, ac eos potiùs requiro, qui habilitatem eius Profeſſionis, ad quam adſpirant, publicè pro loco habitis Diſputationibus demonſtrârint. Ijsque ſufficere puto Doctoream dignitatem, nec Magiſtralem inſuper requiri debere putârim. Et ita major pars Senatorum Academiæ Tubingenſis, cùm hujus quæſtionis caſus occurriſſet, cenſebat, ante aliquot annos.

CAPUT V.

De Studioſis.

SEd nunc de Studioſis dicam, non ut graduatis. Ij cùm primùm Academiam accedunt, per vulgarem depoſitionis ritum explorātur: de quo Matthias Stephani, *bis cap. 5. num.* 4. Middendorpius,

*hic,libr.1.cap.*14. Jacobus Pontanus, *progymnaſmat.volum.* 1. *cap.* 84. *in not.* Id quod tamen in Gallijs & Italiâ haud fieri dicunt. Sanè hûc pertinere videtur, quod Suidas ſcribit, dum ait: Mithram exiſtimant Perſæ Solem eſſe, cui & multas conſecrant hoſtias, neque quiſquam eius ſacris initiari poteſt, niſi per quoſdam convitij gradus; quibus oſtendat ſe & ſanctum, nec perturbationibus affici ſolere. Henricus à mõte acuto, *dæmonis mimicæ,cap.*8.*fol.mihi* 59. Nec item infrequens eſt alijs artificijs, tyrones ſuos, tentare aliquo ludicro vexationis. Et de Neptuni ludo, das waſſerſpiel vulgò dicto, quo mercatores Bergenſes in Norvvegiâ, ſuos excipiunt tyrones; ex Kirchnero, *Diſputat.de Republic.*14.*Corollar.* jã ſuprà *Diſſertatione de Collegijs*, aliquid à me eſt relatum. Verùm ſtudioſi tùm demùm Privilegijs Academicis gaudent, quando re & nomine huncce titulum tuentur. Nàmque aliàs ceſſante cauſsâ, etiam effectus ceſſare debet, *l.*13.*ff.de adoption.l fin.ff de teſtament.tutel.* Et ideò Studioſi appellatione, Privilegijsque indigni ſunt adoleſcentes, qui in Academijs inſolenter & diſſolutè vivunt, hincq; Coloniæ, nemo hiſce Privilegijs fruitur, niſi immatriculatus verè litteris operam det. Middendorpius, *hic libr.*5. Idemque in Academiâ Leydenſi, potentiſſimi Hollandiæ ordinis, publico edicto ſanciverunt: ut Jacobus Bouricius, *in Panegyr.ad Pandectas,fol.*168. atteſtatur. Ac item de Academiâ Marpurgenſi dicit Kirchnerus, *Diſputat.de Republic.*17.*theſ.*1.*liter.b.* Sanè optimarum Legum conditores, Academicas prærogativas, ita Scholaſticorum proprias eſſe voluerunt, ut Horatio Lucio, *in fin.tract. de privileg. Scholaſtic* referente; Si quis vagus ſit, ſi honeſtè non vivat, ſi Gymnaſium non frequentet, ſi riſu, jocis, malevolentiâ commilitones turbet, ſi aleas, luſus vetitos, ſympoſia, cæteraque de genere eodem, feria ſua ducat: ſi Rectori Academico, ſi Decano, ſi moderatoribus obſequi tergiverſetur, continuò velut degener, omni prærogativâ excidat. Quod tamen cum micâ ſalis eſt intelligendum; nec ad eos, qui aliàs honeſtè vivunt, & exercitijs varijs incumbunt, extẽdi debet. Dn. Gumpoltzheimerus, *in Gymnaſm.de Exercit: ſtudioſor part.*1.*ſect.* 4. & vide Limneum, *Diſputat.de Academ* 3 *theſ.*4. ubi cum Ummio, ad eſſentiam ſtudioſi non requirit, ut frequentet lectiones. adde Dn. D. Lanſium, *hic fol.*31.*& ſeq.* Quæri hîc neceſſariò debet, an negligentia inſcriptionis, è ſtudioſorum numero quempiam excludat? Negat id Dn. Gumpoltzheimer, *dict.loc. num.*2. Sed magis eſt, ut dicam, talem ſpecialibus illius Academiæ immunitatibus nõ frui, niſi intrà tempus, immatriculationi deſtinatum: quod Gieſſæ novem, Jenæ tres dies eſſe aiunt; inſcribatur; & Statuta Tubingenſia, *fol.* 87. diſertè Privilegijs ſcholaſticæ illius Civitatis privant.

Digitized by Google

privant, qui intrà octiduum adventus ſui, nomen apud Rectorem haud fuerit profeſſus. Sed verò qui ad Academiam aliquam pergunt, ab eáve recedunt, ejuſdem immunitatibus gaudent. Peckius, de Jure ſiſtendi, *cap. 5. num. 1.* Et quoque Privilegijs ſtudioſorum, haut in perpetuum, ex uſu quorundam locorum, quis fruiſci ſolet: ac ita in Parlamento Pariſienſi pronunciatum eſſe, Paponius refert, *libr. 5. tit. 14. arreſt. 1.* Theologum per quatuordecim, Juris Utriuſque ſtudioſum per ſeptem annos, gaudere immunitatibus ſcholæ. Ac de cauſſis amiſſionis Privilegiorum; ſtudioſis competentium, conſule Speckhan, *centur. 2. claſſ. 1. quæſt. 15.*

III. At ſtudioſorum Privilegijs, ferè & ij artifices, hominesque alij fruuntur; ſine quibus litteræ vel eſſe nequeunt, vel qui cognationem aliquam cum litteris habent. Typographi nempè, Bibliopolæ, Bibliopegæ, Pharmacopolæ, Pictores, Illuminatores; & inprimis Publici Officiales, Notarius, Syndicus, &c. Limneus, *Diſputat. ultim. theſ.* 7. Ut & Pedellus, qui Rectori à pedibus eſt (Gallicè *pedau, vel pedeau*) undè & curſor adpellitatur. Lydius, *in gloſſario, quod junctum eſt operibus Clemangii.* Vide Middendorpium, *hic libr. 1. cap. 21.* Alij & pugiles his adjungunt. Dn. Gumpoltzheimerus, *dict. loc. num.* 10. Jure etiam Academico gaudent famuli ſtudioſorum; eorumque non ſolùm expreſſa mentio fit, *in Authentic. habita, C. ne filius pro patre*; ſed & latè id deducit Rebuffus, *tract. de Privileg. ſtudioſor. num.* 166. Indè & in Privilegijs Academię noſtrę, ita ſancitur: Wir haben auch alle Freyheit gegeben/ wie Magiſtern vnd Studenten/ allen jhren Ehelichen Weib vnd Kindern/ darzu allem jhrem Haußgeſindt/ Knechten/ Mägdten/ Dienern/ darzu Pedellen/ Schreibern/ Einbindern/ Illuminirern/ welche zu Tübingen wohnung haben. Facit pro hâc ſententiâ *l. 21. ff. de precar.* ex quâ, teſte *ibidem* Gothofredo, hoc colligunt noſtri Doctores. Et generaliter Privilegium fori vel immunitatis, protrahitur ad ſervos, famulos, colonos, aliosque de familiâ exiſtentes. Menochius, *de arbitrar. judic. quæſtion. caſ.* 562. Eraſmus à Chokier, *de juriſdict. ordinar. in exempt. part. 1. quæſt.* 30. Afflictus, *tract. de jur. protimiſ. ad Rubric. num. 3.* Verùm alio atque alio Jure Academias hâc in parte uti, monet Dn. Hilligerus, *ad Donell. libr. 12. cap. 20. fol. 139.* addi poteſt *Conſil.* Cothmãni, 17. & 18. Et in Academiâ Tubingenſi, famulos nõ agnoſcit Rector, niſi fuerint etiam inſcripti, & ſacramento ipſi devincti: aliàs enim plùs Juris, quàm ipſi Domini haberent. Nec quoque hoc eſt omittendum; Doctores non Profeſſores, & ita qui nec diſcunt, nec docent, ſed Advocationis officio perfunguntur; vel exſpectant honeſtam vocationem, Privilegijs perfrui. Quod elegãter demonſtrat Cothman-

nus,*conſil. Academic.* 14. ubi *num.* 44. multorum & infinitorum ferè Doctorum auctoritatibus probat : Doctores , etiamſi actu non ſint Doctores, nihilominùs tamen Privilegijs honorandos eſſe; ſi modò Advocationi operam impendant; docent enim, dum Advocationis munus exercent, Juris Studioſos; hancque ob cauſſam Illuſtre Dicaſterium, in hanc Urbem translatum fuit. Diſcunt, dum cum doctis viris converſandi habent facultatem, & ex eorum numero , numerus Profeſſorum ſuppleri poteſt , ſubindeque ſuppletur , & addi debet Theſſaurus.

III. Ac quamvis Privilegiarijs perſonis , immunitates tantùm conceſſæ cenſeantur, quò ad vivunt, *l. Archiatros, in fin. C. de Metall. libr.* 12. nihilominùs tamen, viduæ & pupilli Profeſſorum, aliorumque, parentum maritorumque prædefunctorum, gaudent commoditate, quod itidem Cothmannus docet, *conſil.* 15. (licèt ex parte diſſentiat Eraſmus à Chokier, *dict. loc. quæſt.* 29.) Nam plerunque in fundationibus, ut & noſtrate jam ſuprà allegatâ; non ſolùm Magiſtris & Studioſis, ſed & nominatim uxoribus, liberisque eorum , immunitates conceduntur: cùm autem immunitates ex ipſo Privilegio, in perſonis uxorum ſint radicatæ; ideò non niſi cum illis emoriuntur, Et *in l. quoties, C. de privileg Scholar. libr.* 10. Textum habemus expreſſum; quòd immunitates, Privilegia, & prærogativæ, quæ perſonis Privilegiarijs indultæ, atque conceſſæ ſunt , earundem quoque viduis, nominatim, ſimpliciterque ſint attribuendæ: ita ut diſputationi ulteriori, altercationique non debeat eſſe locus. Nec dici poteſt, quemadmodùm immunitas ſervis & famulis Doctorum data, Domino morte ſublato, vel miniſterio finito, ſimul exſpirat; ita hoc quoque de uxoribus, liberisque dicendum eſſe: nam manent viduæ & liberi, quaſi in familiâ defuncti, ab eoque habent denominationem, & multis modis inter eos, demortuumque, vinculum durat; quod nequit dici de ſervo.

IV. Non ſolùm autem eos , qui docendo ejuſmodi inſerviunt Scholis, quod jam ſuprà, *cap.* 3. *num. ultim.* deduxi: ſed & ipſos Studioſos, ſicque omnes, qui membra talis Scholæ ſe eſſe profitentur; honoribus varijs, præmijsque diverſis, optimè quæque inſtitutæ Reſpublicæ ſunt complexæ: inductis nullibi non certis Privilegijs, immunitatibusque. Claudius de Carnin, in oppugnat. turris Babel, *part.* 3. *cap.* 3. *fol.* 602. *&c.* ne ſcilicèt Muſæ, libertatis datrices, in ſervitutem compellerentur, & ne à viliſſimis hominibus, injuriæ liberalibus ingenijs inferrentur: quod plùs quàm Scythicam crudelitatem eſſe , ait Dn. Cammannus, *Diſputat. de Iur. Majeſtat.* 3. *theſ.* 41. Et nec nova illa Privilegia cenſeri debent: nam & eruditiſſimus Janus Druſius, *in parerg. ad cap.*

Digitized by Google

ad cap. 5. Matth. fol. mihi 16. notat; apud Judæos, olim pro maledictis habitos fuiſſe, qui angariaverint diſcipulos ſapientum. Undè & hodiè à collectis & inhoſpitationibus, von dem Einlegen der Soldaten vnd Hoffleuth/ immunes eſſe debent. Scheplitz, *ad jus Brandenburgic. part. 4. tit. 13. §. 3.* Verùm de immunitatibus, Privilegijsque Doctorum, Studioſorumque multa tractant, Rebuffus, & Benius, *tractat. ſingular.* ut & ij, qui ad *Authentic. habita, C. ne filius pro patre*, ſunt commentati, Pacius nempè, Gilkenius, Hunnius, Müllerus Suntheimenſis, apud Arumæum, *tom. 2. Iur. públic.* ac quoque eadem de re extant Diſſertationes, apud eundem Arumæum, *tom 3. Diſcurſ. 8 tom. 4. Diſcurſ. 33. & ſeq* Addi debent Cammannus, *dict. Diſputat. 3. theſ. 60. & mult. ſeqq.* Speckhan, *centur. 2. claſſ. . quæſt. 10. ac aliquot ſeqq* & ego etiam aliquid de hoc dixi, *libr. 1. politicor. cap 11. num. 65.*

CAPUT VI. & Ultimum,

De Juriſdictione Academiarum.

TAndem aliquid dicendum eſt de Juriſdictione Academiarum: ſemper enim eæ Scholæ, Juriſdictionem aliquam; non tantùm inter Scholaſticos, verùm etiam in reliquos Reipublicæ literariæ ſubjectos exercent. Joachimus Stephani, *tract. de Iuriſdict. libr. 1. cap. 8. num 54* qui & idem, *num 59* atteſtatur; habuiſſe Collegia Philoſophorum, Primicerium, veluti Rectorem; tàm Romę, & Conſtantinopoli, quàm in Provincijs: qui Juriſdictioni Scholaſticæ præfuerit; eamque ſeparatam fuiſſe à Juriſdictione Urbis Romæ, Conſtantinopolis, & Provincialium. Hanc Munificentiam Imperatorum Orientalium, ſecutos poſteà fuiſſe Occidentales; præcipuè Carolum Magnum, ac alios Principes Chriſtianos: qui cùm Scholarum Collegia, conſtituerunt, non ſolùm dotes eis aſſignârint; ſed & immunitatibus ac Juriſdictione confirmârint. Sanè impoſſibile videtur, ut Scholarum ejuſmodi gubernatio, abſq; Juriſdictione perficiatur. Joachimus Stephani, *dict. tract. libr. 1. cap. 13. à princip.* qui idem *num. 24.* ex Diogene Laërtio, docet; ſub Theophraſto, diſcipulo Ariſtotelis, primùm contentionem Philoſophorum de Juriſdictione cum Magiſtratu incidiſſe; ac etiam de poteſtate eligendi & conſtituendi Philoſophos in Scholis: quæ cõtroverſia ſæpiùs poſteà reſuſcitata fuit. Alia omninò ratio eſt Trivialium Scholarum, quæ Jure Univerſitatis non utuntur: & ad quas authenticam illam, *habita, C. ne filius pro patre*. non pertinere, rectè monet Paurmeiſter, *libr. 2. de Iuriſdict. cap. 9. num. 97.* ac

Digitized by Google

Ego etiam ſuprà alicubi dixi. Nec enim ibi Præceptoribus in diſcipulos Juriſdictio competit; ſed modica duntaxat caſtigatio, aſſimilis ferè paternæ. Matthias Stephani, *hic, cap.* 2. *num.* 29. Ac licèt Authentica habita, quò ad loca ſtudiorum in genere diſponat: attamen Fridericum Imperatorem tantùm hoc Privilegium de Academijs intellexiſſe; argumento mihi eſt illud; quòd ipſe Imperator apud Petrum de Vineis, *libr.* 3. *cap.* 13. inter particularia, & univerſalia ſtudia, accuratè diſtinguit.

II. Ac quamvis in ſæpe dictâ Authenticâ *habitâ*, tres ſtudioſorum Judices conſtituantur: Epiſcopus loci, Magiſtratus, & Magiſter, quem honoris cauſsâ Dominum adpellat Imperator. Licèt item conſtitutio illa generaliter de Magiſtris omnibus loquatur, eisq; Juriſdictionem in ſcholaſticos ſuos concedat: uſu tamen moderno, non coràm Academico magiſtratu conveniri à ſcholari poteſt, qui alteri, quàm Academicæ Juriſdictioni eſt ſubjectus. Ac pariter uſu temporum horum, Magiſtris Scholarum, Profeſſoribusq; Juris, inter Scholares, vel reum Scholarem, & alios, haut permitti ſolet judicandi Facultas: ſed more in ſcholis Europæ publicis, fermè omnibus recepto, ſingulis ſemeſtribus Rector creatur; qui de conſilio Academici ſenatus, vel Decanorum, aliorúmve adſeſſorum, jus dicit. Paurmeiſter, *ſuprà dict. loc.* Unde & ſententiæ, ſolius Rectoris nomine pronunciantur.

III. Nunc maxuma illa controverſia ſeſe nobis præſentem offert: an nimirùm Rector, & conſilium Academicum, ſtudioſorum, aliorumque Academiæ membrorum, in criminalibus quoque, publicisque judicijs, vigore ſæpiùs laudatæ Authenticæ *habitâ*, competens ſit Judex? Negat id Johannes Bodinus, *de Republic. libr.* 3. *cap.* 7. *num.* 333. ubi ait: hocce Privilegium ad leviora tantùm pertinere peccata, & ita pleroſque opinari ait; cui Petrus Heigius conſentit, *part.* 2. *quæſt.* 11. Quos tamen acriter oppugnant, Limneus, *hic, Diſputat.* 2. *theſ.* 8. *liter. K.* Dn. D. Lanſius, *hic lit. K.* Matthias Stephani, *hic cap.* 12. *num.* 89. *& c.* Benius, *de privileg. Iureconſultor. part.* 1. *cap.* 16. Scipio Gentilis, *libr.* 3. *de Iuriſdict. cap.* 17. Thomas Michaël, *Diſputat. de Iuriſdict. tom.* 1. *Diſputat. Baſileenſ.* 1 *theſ.* 96. Scheplitz, *ad Ius Brandenburgic. part.* 2. *tit.* 3. §. 2. Petrus Theodoricus, *Colleg. Criminal. Diſputat.* 4. *theſ.* 3. *ſub lit. b.* Dn. Erneſtus Cothmannus, *tom. ſingular. conſilior. Academicor. conſil.* 1. & 31. quo in opere, quamplurimæ, ad Academiarum juriſdictionem & immunitatem pertinentes quæſtiones, doctè admodùm diſcutiuntur. Jungantur Hilligerus, *ad Donell. libr.* 17. *cap.* 9. *liter. K.* Helfricus Hunnius, *tract. de privileg. ſtudioſor. theſ.* 36. *& c.* Ilico Ummius, *Diſputat. de*

proceſſ.

proceſſ.4 num.66. Cammannus, *Diſputat. de Iurib. Majeſtat.3. theſ. 42. &c.* Dn. Obrechtus, *tract. de Imper. & Iuriſdict. libr.3 cap.21. ad fin.* Arumæus, *Diſputat. ad Leges præcipuas.2. theſ.3. quæſt. ult* Paulus Berens, *Diſputat. ad Inſtitut.17. in corollar.* Hancque ſententiam (1) firmat, quòd Principum beneficia latiſſimè ſunt interpretanda; *l. penult. ff de conſtitut. Princip.* Maxumè cùm Imperator, *in ſæpè dictâ Authenticâ habita*, nominatim Juriſdictionem Scholarium Magiſtris concedat: Juriſdictio autem, ſuô ambitu, etiam merum Imperium complectatur; *l.1. ff. de offic. eius, cui mandat. eſt Iuriſdict.* Dn. D. Bocerus, *trat. de Iuriſdict. cap. 2 à princip.* Schifordegherus, *libr.3. tract.29. quæſt.1.* Habentur itidem in illâ conſtitutione verba: ob debitum, vel delictum: Item: ſi litem eis quiſpiam ſuper aliquo negocio movere voluerit, &c. Quibus verbis criminales cauſſas venire, probabiliter dici poteſt; *per l.15. §. 4. ff. ad SCtm. Turpill. l.14. ff. de accuſation. l.5. C. de Iuriſdict.* Et itidem cauſa finalis hujus Privilegij eſt, ne ſub prætextu litis, vis vel injuria ſtudioſis inferatur. At quomodò faciliùs injuria inferri ſtudioſo poteſt, quàm ſub prætextu criminis aut delicti? Sicque illâ Magiſtris, ſeu Rectoribus Scholarum, *in dictâ Authenticâ*, conceſſa Juriſdictio, etiam ad delicta, & criminales pertinet cauſſas; quia ſimul ab omni offenſione & injuriâ, aliorum Magiſtratuum, occaſione cujuſcunque delicti eximuntur. Nam dum Imperator, omne adimit alijs Magiſtratibus Imperium in ſtudioſos; eo ipſo, Rectoribus omnem Juriſdictioné, tàm in delictis, quàm debitis, ſeu civilibus cauſſis, largitur. Si item ob delictum ſtudioſus à Judice ſeculari arreſtari nequit; ſanciente Imperatore, non poterit etiam ab eodem in cauſâ delictum concernente judicari. Cùm cui denegatum eſt antecedens, eidem conſequens haut conceſſum, cenſeatur. Non impedit, quod regerit Arumæus; in eâ Authenticâ, etiam Epiſcopo tribui Juriſdictionem; quę de gladij jure propterea nequeat ſumi, cùm is, ſi ſanguinis irroganda ſit pœna, non poſſit judicare. Reſpondeo enim; Epiſcopum illud Judicium expedire per ſuos Judices ſeculares, *argum. traditorum* à Thoma Michaële, *Diſputat. de Iuriſdict. theſ.84.* Non porrò obſtat auctoritas Friderici II. Imperatoris, qui apud Petrum de Vineis, *libr.3 epiſt.11* de Scholâ Neapolitanâ loquens, ſcribit: omnes Scholares in civilibus, ſub ijſdem Doctoribus & Magiſtris debere conveniri. Non hoc oppugnat; ſed magis firmat ſententiam meam; Nam ſpeciatim hoc facit in Urbe Neapolitanâ. Ergò exceptio firmat regulam in caſibus non exceptis. Ac quamvis hanc quæſtionem, cùm ad hypotheſin deſcendimus, inutilem eſſe multi putent, ut & Paurmeiſter cenſet, *dict. cap.9 num 98.* Quippè cùm hæc res ex fundationibus ſit dijudicanda; & Principi fundatio-

Digitized by Google

Fundatori, Leges ſuæ largitioni dicere liceat, quas velit. Sicque in Academiæ Cracovienſis Fundatione, expreſsè cautum eſt, ut Juriſdictio Rectoris, ad leviora tantùm crimina ſpectet. Statuta Poloniæ, §. *Schola, ſol. mihi* 442. *& ſeq.* Attamen in Imperio Germanico dubitare licet, ánne potuerit ab inferioribus Principibus Privilegium illud ab Imperatore omnibus Studioſis ubique conceſſum, quò ad certa loca, revocari, vel coarctari? Et porrò hęc Diſputatio multùm conferre poteſt, eo in caſu, cùm Academiarum Privilegia plerunque dubia ſint, & ferè verbis illius Authenticæ concepta. Sic & Academiæ noſtræ Privilegia, verbis hâc in parte ipſius Authenticæ utuntur. Et cùm quædam puella, noſtrâ memoriâ, cujus alicubi, ut puto, Dn. Cruſius meminit, infantem occidiſſet, diſputatum fuit, an & hoc delictum pertineret ad Rectoris Juriſdictionem?

IV. Juriſdictio Academiæ Rectoris, haud territorio inhæret; ut vulgò nunc de Juriſdictione dici ſolet. Nec enim Academia (ut ſuprà à me dictum fuit) Univerſitas quædam eſt, quæ reſpectum ad territorium habeat: qua de Univerſitate, quam ita in ſpecie dici puto, mox Diſſertatione ſequenti agam. Eſt enim Academia magis Collegium, ſeu corpus aliquod Privilegiatum; non Civitas, Oppidum, pagus, vel Caſtrum. Verùm quamvis Academiæ Rectori territorium quidem non ſit; ſed nihilominùs tamen ordinariâ fruitur Juriſdictione, Matthias Stephani, *hic, cap.* 12. *num.* 28. *&c* Haud etenim requiritur territorium, ad eſſe ordinariæ Juriſdictionis, certarum perſonarum: ſed ſolummodò ad eſſe ordinariæ Juriſdictionis Univerſalis. Dn. D. Lanſius, *hic, liter. K. fol.* 52. Quæ Univerſalis Juriſdictio, omnes perſonas, in territorio delinquentes, ſive Cives, ſive non Cives exiſtant, comprehendit: modò non ſint privilegiatæ. Verbi gratiâ, Præfectus Tubingenſis Univerſalem habet Juriſdictionem, in territorio Tubīgēſi, in omnes ibi exiſtentes; ſive Cives, ſive Peregrini ſient. Rector Academicus ibidem, tantùm habet Juriſdictionem privilegiatam; ad perſonas ſuæ Juriſdictioni ſubjectas, ſibique juramento alligatas, reſtrictam. Undè licèt in ipſâ domo Univerſitatis, adverſus ipſum Rectorem, delinqueret Civis Tubingenſis, vel quis peregrinus; Rectori quidem competeret adverſus eum actio injuriarum, non tamen Juriſdictio in eundem. Quò pertinet, quod eleganter Joachimus Stephani, *tract. de Iurisdict. libr.* 1. *cap.* 5. *ad fin.* ex Zaſio docet: Juriſdictionem, aut eſſe in re, ſeu territorio, aut in perſonâ. Et in re dupliciter conſiderari, aut activè, quantum ad exercitium; tunc Juriſdictionem ineſſe Magiſtratui, non rei ſeu territorio. Paſſivè verò, ſi intelligatur Juriſdictio; quòd ſcilicèt in homines, in territorio exiſtentes exercetur, territori-

ritorio inhærere. In perſonâ autem Juriſdictionem eſſe, quę reſidet in Magiſtratibus jus dicentibus, qui in certis locis, ac in certas perſonas Juriſdictionem exercent: nec neceſſum eſſe his, ſemper habere territorium; cùm Juriſdictio tunc nullo modo tangat territorium, nec ei inhęreat. Ex iſto etiam, quod hactenùs diſputatum fuit, de Rectorum Academicorũ Juriſdictione reſtrictâ ad certas perſonas, eluceſcit, Academiã, Academiã manere; hoc eſt, ſua Privilegia retinere, licèt propter peſtẽ, vel ſimiles cauſas, aliò transferatur. Ancharanus, *in cap. cum diverſis, de privileg. in 6.* Petrus Gregorius Tholoſanus *libr. 18. de Republic. cap. 6.* Limneus, *Diſputat. 1. theſ. 5.* adde Cothmannum, *conſil. Academ 57.* Indeque fruſtrà olim, narrante Zaſio, *in l. final. ff. de Iuriſdict.* Studioſi Friburgenſes, Rectori obedientiam denegârunt; Academiâ ad contagionem evitandam, Rheinfeldam translatâ, eò quòd extrà territorium jus dicenti impunè non pareatur, *per dict. l. final.* Nam illa Juriſdictio territorio non cohæret. Ac licèt, verbi gratiâ, Academia Tubingenſis, extra territorium Württembergicum ſecedat, quemadmodùm aliquoties ob peſtem Eſslingam migravit: non ſilet tamen Juriſdictio Rectoris, quam utpotè habet, ab ipſo Imperatore ſibi datam, vel ſaltem confirmatam. Juriſdictioni autem Rectoris, ij ſunt ſubjecti, qui Juramentum præſtiterunt eidem: non ſecùs ac illi, qui militiæ nomen dant, *l. 2 §. 3. ff de his, qui notant. infam. l. 1. C. de his, qui non implet ſtipend. libr 10. l. 8 ff. de accuſat. l. 11. ff. ad leg. Iul. de adulter.* Quod tamen non ita eſt intelligendum; ut qui non jurârint, Juriſdictionem tamen Rectoris agnoverunt (putà uxores, famuli, vel famulæ, & liberi civium Academicorum) minùs ſint obligati. Ego, *libr. 1. politicor. cap. 11. num. 3.* Juramentum enim illud non inducit obligationem, vel ſubjectionem parit; ſed tantummodò roborat: quæ eſt natura Juramenti confirmatorij generatim.

V. A Rectoris ſententiâ, ad Cancellarium Academię appellatur: quamvis hic illo, regulariter dignitate ſit minor. Ego, *de appellation. cap. 4. num. 1.* Ferè enim Cancellarij, Epiſcopi; vel in Academijs reformatis Principis vices gerunt: eorumque nomine licentiam, ut jam ſuprà dixi, conferendorum graduum Promotoribus largiuntur. Matthias Stephani, *hic cap. 14.* Et etiam appellationes dijudicant, ut dixi, *dict. tract. de appellation cap. 4. ſect. 1.* Ac in genere, Fundatoris loco Scholæ adeſt, & ne quid res Academica detrimenti capiat, providere ſolet. Statuta Academiæ Tubingenſis, *cap. 4.* Sicque Cancellarius quibuſdam caſibus major eſt Rectore: undè in ſtatutis noſtræ Univerſitatis, *fol. 16.* habetur; Cancellarium propter auctoritatem functionis, Rectorem fieri non poſſe. Cracoviæ autem à ſententijs Rectoris, pla-

nè non adpellatur. Statuta Poloniæ, § *Schola, mihi fol.* 442.

VI. Denique hoc addo: conſilio planè ſalubri, à Fundatore, eiúſve Commiſſarijs ſuſcipi viſitationes, & omnia quę immutata, vel neglecta, in priſtinum redigi ſtatum: inprimis verò, ne quis injuſtè vel ſupprimatur, vel ſupportetur, procurari. Petrus Gregorius Tholoſanus, *libr.* 13. *de Republic. cap.* 3. *num.* 8. Dn. D. Lanſius, *hic, liter. K. ad fin.* Idque fieri, intereſt maxumè. Etenim quales exhibet Schola, tales eſt habitura Reſpublica præcipuos Cives. Cammannus, *Diſputat. de Majeſt.* 3. *theſ.* 36. *ad fin.* Nec item Academia, negocijs Status, maxumè machinationibus Aulicis ſeſe intermiſcere debet: quemadmodùm magnâ cum Reipublicæ incommodatione in Gallijs, ſub Carolo VI. factum fuit. Plura de Scholis & Academijs, ſi quis ſcire velit, adeat eos, quos paſſim laudavi, & jungat etiam viri inſignis, Ludovici Vivis, tractatus lectu maxumè digni, *de tradēdis diſciplinis*, Librum ſecundum.

DISSERTATIONIS JURIDICO-POLITICAE V.

De Jure Univerſitatum.

CAPUT I.

De variis Univerſitatum ſpeciebus: Caſtro ſcilicèt, Pago, Vico, Oppido, Suburbio, Metropoli, Provincia.

HActenùs duas Species Univerſitatis utcunque explicavi: nunc de Univerſitate ita ſpeciatim dictâ, aliquid dicam; quam Germani Ein Gemaindt/ ut & Latini *Communitatem* vocant, *l.* 37. *ff. de Iudic. l.* 6. § 2. *ff. de excuſat. tutor.* Eſtque hęc Univerſitas; omnium familiarum, Collegiorum, corporumque ejuſdem loci, Juris communione ritè ſociata multitudo. Dn. Wolffgangus Jacobus Sadtlerus, *de Iure Univerſitatum, concluſ.* 1. *in faſcicul.* 1. *Diſputat. Tubingenſ.* Hucque pertinet, quod Baldus ſcribit: *ad l.* 5. *num.* 11. *C. de execut. rei judicat.* Univerſitatem nihil aliud eſſe, quàm homines ipſiuſmet Univerſitatis, collectivè ſumptos. Homines quippè ſeparati & ſinguli non faciunt Univerſitatem & populum; Ideò Univerſi-

tas

Digitized by Google

tas non dicitur homines, ſed hominum collectio, in unum corpus myſticum, & abſtractivè ſumptum, cujus ſignificatio inventa eſt per intellectum. Cacheranus, *deciſ. 17. num. 14. & infrà ſuo loco prolixius hac de re dicam. cap. 3. num. 1.* Hoc autem ampliùs Reſpublica habet, præter Univerſitatem; quòd omnium Civium ac oppidorum multitudinem, Imperij Majeſtate complexa tuetur. Bodinus, *libr. 3. de Republic. cap. 7. à princip.* adde Loſæum, *tract. de Iur. Vniverſitat. part. 1. cap. 1.* Verùm talis Univerſitas, à Collegio & corpore (quod eſt conjunctio plurium Collegiorum, ut *ſuprà, Diſſertat. de Iure Collegiorum, cap. 1. num. 1. dixi*) ita differt; ut Univerſitas dicatur reſpectu alicujus territorij, videatur Timplerus, *Politicor. libr. 1. cap. 4. quæſt. ult.* Et ideò loci facta à me fuit mentio in definitione Univerſitatis. Hocque intuitu dicunt noſtri Jureconſulti; caſtrum, villam, oppidum, &c. quæ (ut mox docebo) ſunt ſpecies hujuſcemodi Univerſitatis: nomina eſſe, quæ quandam Univerſitatem deſignent, & in ſe contineant Juriſdictionem, honorem & diſtrictum. Et ideò ſub cõceſſione Caſtri venire ajunt, non ſolùm id, quod clauditur muris; verùm etiam totum territorium, ſpectans ad id Caſtrum. Antonius Guetta, *conſil. 4. num. 2 & ſeqq.* Borgninus Cavalcanus, *deciſ. 50. num. 1.* Et quamvis etiam Collegia habeant quandoque Juriſdictionem, quod etiam ſuprà deduxi, *Diſſertat. de Colleg. cap. 2. num. 1.* non tamen ea reputatur cohærere fũdo, neque ex patrimonio deſcendere videtur. Andreas Knichen, *de territor. jur. cap. 1. num. 268. &c.* Et hinc quoque (quia ſcilicèt Univerſitas habet honorem & Juriſdictionem) ſine conſenſu ſuperioris, Caſtrum, Civitas, &c. non poteſt ſibi conſtituere Jus Univerſitatis, etſi eſſent millia mille. Verùm eo ipſo, quòd concedit eis locum ad ædificandum, vel admittit Syndicum eorum, vel ſcribit eis, tanquàm Univerſitati; hoc ipſo Superior conſentire videtur. Alphonſus Moditius, *ad § plebiſcitum. quæſt. 127. à princip.*

II. Univerſitatis conſociatio: vel caſtrum, vel pagus eſt; vel oppidum, vel metropolis; vel provincia. Vide Loſæum, *hic cap. 2.* Et eo reſpectu Bartolus, *conſil. 89. num. 1. &c. libr. 1.* triplicem facit Univerſitatem: unam largam, quæ faciat provinciam; alteram minùs largam, quæ conſtituat Civitatem; tertiam minimam, ut caſtrum & villam, &c. Caſtrum vel Caſtellum dicitur, quaſi caſa alta, ſeu fortis, & munita muris, ſeu vallo: vel Caſtrum dicitur, quaſi caſa ſtricta; ad differentiam oppidi vel pagi: quia non debet eſſe nimis ſpacioſa, vel diffuſa habitatio; ne egeat cuſtodiâ multâ. Græværus, *libr. 2. concluſ. 62. à princip.* à caſtello dicuntur caſtellani, eius incolæ. *Lexicon Iuridicum* Calvini, & vocatur caſtrum etiam Burgum. Albericus Gentilis, *ad l. 239.*

Digitized by Google

§ *oppidum, ff. de verbor. ſignificat.* dicit eſſe locum, arte, vel naturâ munitum, ambitus exigui, ad ſimilitudinem militarium caſtrorum. *Caſtellum.* locum eſſe juxta caſtra, Doctiſſimus Cluverius notat, *tract. de Alveis Rheni, cap. 14. à princip. fol.* 109. conditum in oppiduli vicem; ubi lixę, & negociatores, militibus quotidiano uſui neceſſaria vendentes, commorantur Idque probat Taciti loco, *libr. 4. hiſtor.* Capta igitur & direpta caſtra; dein vagos, & pacis modo effuſos, lixas, negociatoresque Romanos invadunt, ſimul excidijs caſtellorum imminebant: quæ à præfectis cohortium incenſa ſunt, quia defendi nequibant. Quid item (poſteà ſub Francis, utputo) fuerit caſtrum, tradit Franciſcus Guillimannus, *libr. 3. de reb. Helvetic cap. 5. fol. 345.* Caſtra, ait, antiquitùs dicta, quibus nulla extrà mœnia Juriſdictio. Quod accidit Tiguro; diviſâ in Duces militum, Comites, Nobiles, & quorum operâ præcipuâ Imperatores uſi fuerant, regione: cùm interea ſæpiùs caſtra Urbibus, & Civitatibus amplitudine, elegâtiâ, opibus anteirent, quod Aimo conqueritur de Divione, quibus omnibus rebus cùm abundaret, caſtrum tamen eſſet. Lubet item addere, quod de caſtellis, burgis &c. habet Philippus Berterius, *Pithanôn diatrib. 1. cap. 6 fol. 71. & ſeq.* caſtella, ſeu burgi in limitibus extrui ſolebant, *l. 2. §. in Sardinia, §. & homines, ac §. interea, ff. de offic. præfect prætor. Afric.* Φρούρια à Procopio exponuntur, *libr. II. de ædific. Iuſtiniani*: καστέλλους καὶ τὰ φρούρια τῇ λατίνων καλοῦσι φωνῇ. & *libr.* 3. ἐνταῦθα φρούριον ὁ βασιλεὺς ὄνομα βουργοσνόης δεδημιούργηκεν. fortè βούργος νέος: ut & βουργόσπαλτις (Burgſtall) *libr.* 4. Muris certè & propugnaculis firmantur caſtella & burgi, verùm in numerum Civitatum non veniunt; (utpotè à quibus magnitudine differre videntur) Juſtinianus, *Novell.* 28. Et quidem *Carcaſſo.* Nobilis hodiè Provinciæ Narbonenſis Civitas, in veteri itinerario Hieroſolymitano, caſtellum eſt. Ideoque nullus illi inter Civitates locus in noticiâ Galliarum. Quare caſtella rectè κωμητικὰ τείχη vocantur, à Synesio, & à Civitatibus diſtinguuntur: imò κώμην, ferè ſemper caſtellum reddidit Novi Teſtamenti interpres, ut *cap* 9. & 21. Matth. 11. Marc. *ultim.* Luc. & 11. Johann. Auguſtinus, *libr. 3. de conſenſ. Evangel* Caſtellum non abſurdè accipimus, etiam villam potuiſſe appellari. Ergò Caſtella Civitates non ſunt, ſed nec ipſa oppida. Vetus gloſſarium, κωμόπολις: oppidum, conciliabulum. Caſtra tamen in noticiâ Provinciarum Galliæ cum Civitatibus numerantur. Hactenus ille. Vocant etiam caſtrum arcem, quòd arceat hoſtes; Germani quoque nominant Schloß / quòd ſit munitum, ſive clauſum. Vide omninò Dn. Kyllingerum, *de Ganerbinat. Diſcurſ.* 2. Latini etiam nominant clauſuras. Ego, *de increment. Imperior. cap. ultim. num.* 8. Sed

proprie

propriè nunc caſtrum reputatur,quod territorium certum,& plerunque ſubditos habet:qualia ferè ſunt omnia caſtra,quæ in Sueviâ Frãconiâ & tractu Rheni à Nobilibus poſſidentur: & ijſdem Privilegijs utuntur,quibus Civitas,vel alia Univerſitas quæque, *l. ſi heres juſſus*,§. *vicus ff.de legat.* 1.*ubi* Jaſon,*num.*1 Hincque cõceſſo, vel vendito caſtro, tacitè dicitur Juriſdictio tranſire. Schraderus,*conſil.*22.*num.*24.*&c.volum.*2. Guilielmus Onciacus,*quæſtion.jur.philoſophicar.* 47 Et cùm caſtrum eſt ſine diſtrictu,vel territorio,& Juriſdictione,nullo tunc gaudet Privilegio ſpeciali; ſed Civitati vicinæ ſubeſt,*l per provincias*, C *de ædific privat* Gayl,*libr.*2.*obſervat.*62.*num.*2.*&* 3 Indè nomine *Caſtellaniæ*,certus aliquis diſtrictus,numerusq́; pagorum, denotatur: ad Tribunal unum,quaſi Metrocomiam,vel ad conſiliorum,onerum,armorumque conjunctiorem ſocietatem reſpectum habens. Jacobus Marchantius,*de Flandriâ,libr.*1.*fol mihi* 32.

III. Pagus, Dorff/ pro tali etiam Univerſitate uſurpatur:hincq́; qui pagum conceſſit, ein Dorff (in pagi ſcilicèt qualitate) & Juriſdictionem in ſubditos dicitur conceſſiſſe.Guido Papæ, *deciſ.* 265. & id præjudicio firmat Dn. Rutgerus Rulandus,*tract de Commiſſar.part.*4.*libr.*2.*cap.*18.*num.*51.*fol.*97.Pagus autem,à Græcâ voce πήγη, quæ fontem notat,deduci putatur; pro quâ Dores dicebant πάγη; ita ut pagus dicatur locus,in quo homines convenerunt,propter commoditatem alicujus fontis:quod nomen poſtmodùm, latiùs extenſum fuit, ad ſignificandam omnem politicam ſocietatem, ex duobus vel pluribus vicis conſtantem.Petrus Gregorius Tholoſanus, *libr.*2.*de Republic. cap.*1.*num.*4. Et ita Pompilius Numa, univerſam regionem diviſit in pagos,& ſuum cuique pago,magiſtrum,qui eum obiret,atque inſpectaret,præpoſuit. Hi crebrò perluſtrantes omnia,tàm benè,quàm malè cultos agros in tabulis deſcriptos,ad Regem deferebant; Ille induſtrios agricolas laudibus,& ſummâ comitate excitabat:contrà,ſegnes objurgatione,atque etiam mulctâ caſtigatos, ad rura gnaviùs colenda inſtigabat. Quo factum eſt,ut vacantes ab urbanis ſimul & militaribus negocijs, & ignaviæ atque inertiæ probroſam mulctam timẽtes,ſuis manibus operarentur; & opes,quas tellus prębet,ut omnium juſtiſſimas,præferrent militiæ commodis,incertis ac periculoſis. Atque hoc pacto conſecutus eſt; ut & eum ſubditi amarent, & finitimi æmularentur,& poſteri honorificâ memoriâ celebrarent: quippè qui proſpexerit, ne vel inteſtina ſeditio civium concordiam dirimeret; vel externum bellum ab optimis & præclariſſimis ſtudijs Civitatem dimoveret. Tantùm enim aberat,ut finitimi Romanos in hac quiete ſuſpectos haberent, ſuique invadendi occaſionem quæri metuerent;

ut etiam, ſi quod inter ipſos exiſteret bellum, non alium quàm Numam, & Romanos dirimendis inimicitijs ſuis arbitrum quærendum exiſtimarent. Dionyſius Halicarnaſſæus, *libr. 2. antiquitat. Roman. ad fin.* Qui idem *libr. 4. mihi num. 19.* de Tullio ſic ſcribit: agro in quotcũque portiones diviſo, in montanis & naturâ munitis tumulis, tuta agreſtibus paravit refugia; quæ pagos dixit, Græco vocabulo; eò ſe omnes ex agris recipiebant ſub adventum hoſtium, & ibidem plerunque pernoctabant: his quoque ſui Magiſtratus præerant; ad quorum curam pertinebat, ſcire agreſtium, qui in unum eundemque pagum contributi eſſent, nomina, & ex quibus ſealerent prædijs: tùm quoties opus eſſet ruſticos ad arma vocare, aut tributa viritim exigere, hi milites contrahebant, & colligebant pecunias. Ut autem etiam ruſticanæ multitudinis faciliùs iniri poſſet numerus, per ſingulos pagos aras juſſit dedicari, dijs tutelaribus; quos frequenti cœtu, & communibus ſacrificijs quotannis coli voluit, inſtituto cumprimis religioſo feſto, quæ vocant, *Paganalia*: ſimulque ſacrorum iſtorum Leges, quæ nunc quoque ſervantur, conſcripſit: ad id ſacrificium, eumque conventum, omnes Paganos juſſit in ſingula capita conferre certum Numiſmatis genus; ſed aliud viros, aliud mulieres, aliud impuberes, quibus nummis per ſacrorum Præſides connumeratis, apparebat hominum numerus, per ſexus ac ætates diſtinctus. Sed verò etiam pagus, *γάια*, Gow/ vel Gäw/ non ratò ditionem & Provinciam ſignat; in quâ plures ſunt Civitates, atque villæ. Freherus, *orig. Palatinar. cap. 5.* Andreas Knichen, *tract. de ſuperioritate, cap. 4. num. 119.* Lindenbrogius, *in gloſſar. quod junctum eſt Codici Legum Antiquarum, in verbo pagus*; Berterius, *pithan. diatrib. 1. cap. 6. fol. 71.* qui id etiam auctoritate Theodulphi, Epiſcopi Aurelianenſis, ita canentis, probat:

Nempè Toloſani locum eſt ruriſq; Caturci
Extimus, hoc finit pagus uterque loco.

& dicam etiam Ego, *infrà, ubi de jure territoriorum* agam.

IV. Sed & de Vico quædam dicam. Alij pagum, & vicum pro eodem uſurpant: dictumque putant, vel à vicinis habitatoribus; vel quòd ſit vice Civitatis; vel quòd vias tantùm habeat ſine muro. Iſidorus, *origin. libr. 15. cap. 2.* Dn. Elſwich, *Diſputat. politic. 2. theſ. 23.* Ac porrò, quod eſt Metropolis inter Civitates, hoc Metrocomia eſt inter vicos. Gothofredus, *ad tit. C. non licet. habitat. Metrocom.* Berterius, *pithã. diatrib. dict. cap. 6. fol. 70.* Verùm vicus, à pago differt in eo: quòd vicus propriè nihil aliud ſit, quàm publicus locus; utrinque ædificijs cinctus, per quem incolæ tranſeunt: Germanicè Ein Gaß. A vico, Saxonicum Wickh deſcendit. Vnde Brunſchwickh/ quaſi Brunonis vicus.

Wickh

Digitized by Google

Wickh enim, antiquis Saxonibus Caſtellum ſignificat: Fleck oder Stättlein / darein ſich die Burger und Einwohner deren Orts für Gewalt enthalten mögen. Undè paſſim à Wic compoſita inveniuntur: Cottvvic, Nortvvic. &c. Henricus Meibomius, *in hiſtor. Bardevici, fol. 4. & ſeq.* Et verè Wic eſt receptus: ſic Ludvvic, quaſi Leutwick / defenſor populi. At diſſentit Helmoldus Panegyriſta: apud Freherum, *in Commentar. ad Fœdus Ludovici Imperatoru, B. 2. fac. 2.* qui aliud Etymon Ludovici proponit, cùm dicit: *Hluto* præclarum & famoſum eſſe, quaſi lautt/berühmbt. *VVicgch*, autem denotare Martem. Undè forſan & nobis eſt, Böſwicht/ quaſi Ein böſſer wicht: ita ut eſſet wicht/ein Wagenhalß/ & ſic duplices ſunt Vici: Urbani ſunt partes Urbis, conſtantes ex domibus multiplicatis, vijsque, itineribus & Regionibus diſtinctæ: indè vicus patricius, vicus ſceleratus, vicus ſobrius & ſimiles. Vici ruſtici ſunt, qui alio nomine pagi dicuntur; cùm plures villæ, ſeu ruſticanæ domus ſimul ſunt junctæ: remotæ tamen ab Urbe, & abſque mœnijs. Feſtus triplicem vicum facere videtur, quem videre licet. Adde Albericum Gentilem, *Lect. Virgil. cap. 8 fol. 64.*

V. Urbem ab urvo, ſeu orbo, hoc eſt, aratri curvaturâ derivant: proptereà quòd olim veteres in condendis Urbibus, aratro ſulcum ducere ſolebant; per quem illarum magnitudinem definiebant, *l. 239. §. 2. ff. de verbor. ſignificat.* Cœl. Rhodig. *libr. 14. ca. 5.* Iiſdemque deſtruẽdis, eodem modo aratrum adhibebant, *l. ſi uſusfructus, ff. quib. mod. uſuſfr. amitt.* Albericus Gentilis, *Lect. Virgil. cap. 8. à princip.* & Scipio Gentilis, *orig. verbo Urbs.* Cœterùm ritus condendarum Urbium, ab Etruſcis deſcendit; qui æneo vomere vinctis tauro & vaccâ, interiore die auſpicato, ſoliti ſunt urbis ſpacia definire, Cato, *apud Iſidorum*; Qui Urbem novam condit, tauro & vaccâ aret: ubi araverit, murum faciat, ubi portam vult eſſe, aratrum ſuſtollat, portam appellet: nimirùm à portando aratro, ut ſcribit *in Adelphos* Donatus. Idemque ritus in Colonijs ſervatus fuit: & ideò, inquit Varro, Coloniæ noſtræ omnes in literis antiquis ſcribuntur Urbes; quòd item conditæ ut Roma. Quãvis autem Urbis appellatione, Roma quadam excellentiâ contineatur: *l. 1. ff. de Senatorib. cum ſimilib.* quamobrem dicere ſolebat Domitius Marſus; Urbanitatem Civitatis Romæ propriam eſſe. Reliquæ Urbes, oppida & municipia ſunt dictæ; Adeò ut Cajus Cæſar Alexandriam, totius Orientis duas maximas Urbes, nihilominùs oppida vocaverit. Scipio Gentilis, *in origin. Verb. Oppidum*. Eadem item Roma, à Conſtantino, *in l. 1. C. de ſicarijs, libr. 11.* vocatur Urbs æterna, & à Symmacho ac Ammiano ſæpenumerò. Videatur Philippus Berterius, *Pithanõn. diatrib. 1. cap. 1.* Propriè tamen & alia quælibet ædificiorum

collatio multorum, mœnibusque cincta, Urbs dicitur. Albericus Gentilis, *ad leg. 2. ff. de verbor. ſignificat. in princip.* Deſcribitur autem Urbs, communitas plurium vicorũ, foſſâ & muro munita. Quamvis olim Roma non mœnibus, ſed continentibus ædificijs finita fuiſſe legatur, antequàm ab Aureliano ea cingeretur, notat Vopiſcus, quod de Spartâ, Siracuſis, Londino, Venetijs, &c. idem dici poteſt. Gentilis, *ad dict. l. 2. in princip. ff. de verbor. ſignificat.* Oppidum dicitur, quòd opem præbeat adverſus hoſtes (taleque condidiſſe videtur primùm Cain, cùm ſibi ob fratricidium timeret. Geneſ. *cap. 4. verſ. 17.*) vel quòd homines in eo opes ſuas recondant, *dict. l. pupillus 239. §. oppidum, ff. de verbor. ſignificat.* hâc igitur de cauſa, & oppidorum nomen, Urbibus eſt aptatum: quod Varro, *libr. 4. de Ling. Latin.* monet. Nec per ſe, inter oppidum, & Urbem aliquid diſcriminis eſt: Cornelius Wittel, *Syllog. 3. in Merulam, cap. 19* apud Dn. Gruterum, *tom. 1. Theſaur. Critic. fol. 615.* Quare Titus Livius alicubi, oppidum vocat Romam, quia mœnibus clauſa. Scipio Gentilis, *in origin. verb. oppidum* tametſi vulgò, voce oppidi, intelligi ſoleat Urbs duntaxat parva, quæ non eſt benè munita. Vide Iſidorum, *libr. 15. origin. cap. 2.* Althuſium, *politicor. cap. 5. num. 38.* Quâ eâdem ratione Fridericus Imperator, *tit. de pac. tenend. libr. 2. feudor.* Civitatem ab oppido diſtinguit; & hanc pacem frangentem triginta, illam centum libris auri mulctans. Civitatis autem appellatio, quamvis, ut docui, *libr. 1 politicor. cap. 1.* aliud ſit, quàm Urbs: (Urbs ædificia, Civitas incolæ, Albericus Gentilis, *Lection. Virgil. dict. cap. 8.*) & tamen interdùm Urbs & Civitas, pro uno eodemque ſumuntur, *l. ſi quis, l. ſingulorum, C. de ædific. privat. l. præſcriptio, C. de operib. public.* Bartolus, *in § 1. num. 4. & ſeq. Authent. quib. mod. natural. efficiant. ſui.* Albericus Gentilis, *dict. loc.* Germani, Oppida & Urbes, Stätte vocant, quaſi Stätt / ſcilicèt firmè conſtituta, aut à Stativis Romanorum: quæ illis principia dederunt. Sicque Plutarchus, *in Pelopida* ſcribit, morem olim in Græciâ fuiſſe, arces Urbium nomine potiſſimùm appellandi. Juſtinianus noſter contrà, Civitates quaſdam Regni Pontici, in quibus præſidium militum Romanorum, Caſtra potiùs, quàm Urbes nominandas cenſuit. Et Naſo Urbem ejuſdem Regni *Tomos*, propter eandem cauſam militaris præſidij, Caſtellum appellavit, *libr. 5. Triſtium.*

Vix ope Caſtelli defendimur. ———

Alicubi, municipia nonnulla, etſi mœnibus careant, nomen tamen induunt oppidorum: puta, ſi ſua peculiaria jura, fora, privilegia, ærarium, Magiſtratusque habeant, non ſecùs ac Urbes muris cinctæ. Marchantius, *de Flandriâ, libr. 1. fol. mihi 33.* Marckflecken / ſo Stattrecht haben.

VI. Urbs

VI. Urbs alia metropolis eſt, alia à metropoli pendens. Metropolis dicitur, quaſi mater & caput reliquarum: Judic. *cap.* 1 *verſ.* 27. & *ibid cap.* 11. *verſ.* 26. (ubi pro viculis ſuis, in Hebræo eſt, filiabus ſuis) *libr.* 2. Samuel. *cap.* 20. *verſ.* 19. *libr.* 1. *Paralip. cap.* 18. *verſ.* 1. vel quòd inde Coloniæ deductæ ſunt; vel quia præcipua eſt inter alias civitates, à quibus obſervatur, tanquàm mater; & à qua aliæ, tanquàm filiæ reguntur, atque defenduntur: ſeu ad cujus exemplar cæteræ civitates, ſeſe conformant; ejusque conſuetudinem ſequuntur. Ut dixi, *in Oeconom. ad tit.* 3. & 4. *libr.* 1. *ſor. quæſt.* 35. *ad fin.* Sic & Antoninus Imperator Civitates dividit, in majores & minores, *l.* 6. *ff de excuſat. tutor.* Nulla olim provincia, ſine metropoli erat: *l.* 1. *C. de metropol. Beryt. l.* 7. *ff. de officio proconſul.* & hæc ſola erat in provinciâ Urbs, *l.* 4. *ff. de damn. infect.* Vide Philippum Berterium, *Pithan. diatrib* 1 *cap.* 6. Regia Urbs dicitur, ubi reſidet ſummus Magiſtratus. Hippolytus à Collibus, *de increment. urb. pag.* 19. & 20. Urbs talis major plerunque habet regimini ſuo ſubditos pagos & vicos, qui Urbi ex parte ſunt ſubjecti: ut notat Keckermannus, *politicor libr.* 2. *mihi fol.* 583. quod & olim uſitatum fuit. Berterius, *dict. cap.* 6 *§. porrò Civitatibus.* Alij dicunt, quòd triplices ſint Civitates: quædam maximæ, ut Civitates metropolitanæ, in quibus ſtabant Præſides, & Præfecti Prætorio; hodiè Reges & Curiæ Regum, ad quos adpellatur. Alia Civitas eſt magna, in qua eſt forum cauſarum, meri & mixti Imperij. Alia eſt Civitas communis, in quâ eſt forum cauſarum, quæ competunt defenſoribus Civitatum. Arnoldus de Reyger, *in Theſaur. Iur. §. Civitas, num.* 2. Conſultum item eſſe Politici dicunt, ut unâ in provinciâ, unica tantùm Urbs metropolitana (in loco aliquo commodo) conſtituatur, muniaturque: ad quam receptum habeant omnes Provinciales, Elſvvych, *Diſputat. politic.* 2. *theſ.* 21. Sed verò Sereniſſimus Jacobus Britanniæ Rex, *Orat.* 5 *in oper. fol.* 559 putat; Urbes non debere nimis magnas eſſe, dicens: Hic lien eſt noſtri corporis; eo creſcente, cætera membra contabeſcere neceſſe eſt. Omnibus enim Londinum habitãdi gratiâ confluentibus, quid aliud ruri relinquitur, quàm ſolitudo? At ubi apparet hoc Urbis incrementum? non intrà mœnia, ſed in ſuburbijs: nec levamentum Urbi vel opes ferunt hæc nova ædificia, ſed Urbi ſimul & Regno oneri ſunt. Caram oportet annonam eſſe, ubi tot homines cibo & igne alũtur. Annus jam elapſus eſt, cùm generoſos homines edicto monui, ut relictâ Urbe ſe domum reciperent, & cum vicinis jus hoſpitalitatis colerent. Viri generoſi, quibus in Urbe nihil rei eſt, fœminarum ambitione eò trahuntur; mariti ſanè, ut uxoribus, parentes ut filiabus gratificentur. Nec enim niſi Londini novam & tranſmarinã veſtium

Digitized by Google

formam invenire licet. At Londini,ſi innuptæ ſunt, nuptiarum ſpem evertunt:ſi nuptæ, famam & maritalem cenſum. Mos Italorum obtinuit,Neapoli præſertim,quæ è ditiſſimis Urbibus una eſt, ut viri generoſi,alijque permulti,relictis agris, in Urbes migrent; nos in veſte & aſſeclis,Gallorum; ruris autem contemptu, & domeſticâ parſimoniâ,aut veriùs miſeriâ,Italorum morem affectamus. Sed, obſecro, peregrina hęc & vana rerum eò relegemus,undè orta ſunt,& antiquum Angliæ morem, poſtliminio revocemus. Nobilitatis Anglicæ decus olim fuit,ruri vivere, hoſpitalitatem colere. Ex his ſupra cæteras gentes famam meruimus; quod nobis in ubere degentibus ſolo,non erat difficile.&c. Aut fallor,aut idem incommodum,patitur Lutetia Pariſiorum,ubi Anno Chriſti M. CCCC. LXVII. numerati ſunt,*de 60. à quatre vingt mil hommes armez,entre leſquelles y en avoit environ 30. mil tous armez de harnois blancs* Pierre Bonfon. *fol.* 391. *b. & fol.* 392. *b. des antiquitez de Paris*. Ita & Anno Chriſti M.D. XLIV. recenſiti fuerunt *de* 70 *mil hommes de pied, ſans ceux qui demeuroyent pour garder la ville*. Anno Chriſti M. D. XLIX. inventæ ſunt decem mille domus; publicis & ſacroſanctis ædificijs ibi non comprehenſis. *ibid fol.* 425. *b.*

VII. In Urbibus nominis alicujus, plerunque etiam Epiſcopi olim erant:nam Chorepiſcopi vocabantur, Epiſcopi pagorum & oppidorum: Χωρὴ enim,oppidum eſt Bellarmino, *libr.* 1. *de Cleric. cap.* 17. Et quamvis fateantur noſtri Doctores, non eſſe de eſſentiâ Civitatis, quòd habeat Epiſcopum: cùm Civitas conſtituatur, & appellari poſſit,ſolâ Principis voluntate, volentis aliquem locum eſſe Civitatem: de conſuetudine tamen, uſuque communi,maximè in Italiâ, Civitas illa dicitur,quæ Epiſcopum habet,quod quoque videtur firmare *l.* 36. *C. de Epiſcop.& Cleric.* Et Civitas metropolitana vocatur, quæ Archiepiſcopum habet,& quæ etiam Civitas maxuma nominatur. Loſæus, *hic,part.* 1. *cap.* 2. *num.* 16. Laurentius Ohm/ *Diſputat. de Iur. Epiſcop. theſ.* 13 *lit. b* Elsvvych, *Diſputat. polit.* 2. *theſ.* 2. Sicque dignitas & præcedentia Epiſcoporum,ex Urbis,in quâ reſidebant,dignitate metita fuit:& hinc natam fuiſſe occaſionem noſtrates aiunt,magnitudinis Romani Papæ:quod tamen pernegat Illuſtriſſimus Bellarminus, *libr.* 1. *de Pontific Roman. cap.* 24. Quin & in Germaniâ, olim hoc obſervabatur. Undè & hodiè in Cancellarijs Principum, ea ſolùm oppida Civitates inſcribuntur,ubi ſunt Epiſcopatus,verbi gratiâ: den Ehrſahmen/Weiſen/Unſern lieben beſondern/Burgermeiſtern vnd Raht der Statt Straßburg/Speyr/ꝛc. Alijs,ubi nullus Epiſcopatus: den Ehrſamen/Weiſʒen/Unſern lieben beſondern/Burgermeiſtern vnd Raht zu Ulm/Nördlingen/ꝛc. Johann Peter Zwengel/ in ſeinem Formular / *fol.* 32. *b.* adde

b. adde Bruning. *Diſputat. de Vniverſitat. theſ* 13. Sed tamen *dict. loc.* notat Laurentius Ohm/ Epiſcopatus Germaniæ, non pati ſeſe ad ſingulas Civitates adſtringi; & tot Civitates ſæpè habere , quæ integram provinciam conſtituere poſſint.

VIII. Suburbia, quæ Galli *Faulxbourgs*, quaſi Vorburg appellant (alibi putavi dicta quaſi Falſi burgi) propriè quidem partes Urbis non ſunt, ſed potiùs ipſius appendices. Cùm Urbs murorum ambitu terminari ac finiri ſoleat. Nihilominùs tamen appellatione Urbis, Suburbia ſimul includuntur. Hincque Bodinus, *libr.* 1. *de Republic. cap.* 6 ait: Urbem ipſam mœniorum & ſuburbiorum ambitu contineri: nec Urbem, à ſuburbijs, & continentibus ædificijs ſejungendam eſſe, idque *argum. l.* 2 *ff. de verbor. ſignificat* & aſſentit Timplerus, *politicor. libr.* 1. *cap.* 6. *quæſt.* 10. Ideò, qui habitant in Burgis, parte Civitatis cohærente, dicuntur habitare in Civitate: ut Marcus decîdit, *deciſ.* 365. *num.* 41. *volum.* 1. & multa hàc de re habet Hieronymus de Monte, *de finib. regund. cap.* 5. *num.* 12. *&c.* Quo intuitu etiam Moditius, *in* §. *plebiſcitum, dub* 77. *num.* 11. *&c.* ſcribit: appellatione Civitatis Suburbia venire, ubi eadem ratio eſt, *per l.* 1. § *cùm Vrbem, ff de offic. præfect. Vrb. l qui in continentibus* 147. *l. pupillus* 239. §. *Incola* 2. *ff. de verbor. ſignificat l. nam quod* § *ſi ita ff. de penu. legat.* Quin & Parochianos Eccleſiarum Civitatis, die in ein Statt verpfarret/ licèt longè extra muros extendatur Parochia; venire poſſe Civitatenſium appellatione. Addés, ſtrictè tamen, & ex proprio ſignificatu, (ut jam modò dixi) Civitatis nomine comprehendi ſolùm quod intrà mœnia eſt: *cap. ſi Civitas, de ſentent. excommunicat. in* 6. *& cap. ubi periculum, de elect. in* 6. Hincque in materiâ odiosâ, Suburbia excludi. Ex quo dijudicare quimus, quando Privilegia Urbi conceſſa, vel Juriſdictio in Civitate data; ad Suburbia, vicos, & comitatum &c. extendantur: & quæ ſimiles ſunt Diſputationes; ut idem Moditius docet, *in* §. *Principum placita dubit.* 238. Ita ex Suburbijs, Senatores, & Conſules, ſumi poſſunt: vide Johãnem Paponium, *libr.* 6. *tit.* 1. *arreſt.* 1. ac quando in Suburbijs factum, dicatur in Civitate perpetratum? diſquirit Menochius, *de arbitrar. judic. quæſtion. centur.* 2. *caſ.* 255. Si item diſpoſitio eluſoria redderetur, tunc etiam Suburbia, Urbis veniunt adpellatione. *dict. cap. ſi Civitas, de ſentent. excommunicat. in* 6. Jaſon, *in l. cùm quidam, in fin. ff. de liber. & poſthum.* Baldus, *in cap. ſignificavit, ad fin. de reſcript.* An autem nati in vicis ſubditis Civitati, & (ut dici ſolet) in Comitatu (*contado* Itali dicunt: erant enim Provinciæ in Comitatus, ſeu Præfecturas diviſæ, quibus præerat Comes) dicantur Cives originarij, & quando Civitatis Privilegijs fruantur; Vide Alciatum & Rebuffum, *ad dict. l. qui in conti-*

Digitized by Google

nentibus 147.*ff.de verbor.ſignificat.*latè Menochius, *libr.6 præſumpt.* 30. *num.*14. Ac beneficia & Statuta Civitatis,an habeant etiam locum in Caſtris, & villis Civitati ſubditis? enotat Angelus, *in tit. Inſtitut. de uſucapion.*§.*res fiſci,num.*2 *verſic quid in rebus Civitatis.*

IX. Provinciarum diſtinctiones, variæ ſunt: primò enim Jure gentium,provinciæ per idiomata penitùs diverſa,diſtinguuntur. Bartolus,*in conſtitutione,qui ſint rebelles,in verb. Lombardia,num.* 2. Secundò diſtinguũtur Jure Civili, per Præſidatus. Antiquitùs enim omnes Civitates,quæ uni Præſidi ſuberant,uníque metropolitano, habenti ſub ſe territorium magnum,unam provinciam faciebant. *l.illicitas*, §. *qui univerſas*, *l.congruit*, *ff. de offic. præſid.* Tertia provinciarum diſtinctio, emanavit ex Canonico Jure, & eſt illa; quæ fit per Epiſcopatus: quoties plures Civitates habẽtes Epiſcopos, uni Archiepiſcopo ſubſunt,*can.ſcitote,cauſ.*6 *quæſt.*3 Provinciæ item olim,cùm ſimplices eſſent, pleræque poſtea Principum nutu, in plures dividi cœperunt. Hincque nota cognomina ſunt,ut aliæ primæ dicerentur,aliæ ſecundæ,tertiæ,&c. Indè item Primatum eſt origo. Nam primarum provinciarum metropolitani,Primates erant, reliquarum ejuſdem nominis provinciarum. Sirmondus,in not.ad Sidonium,*libr.*7. *epiſt.*5.*fol mihi* 121. Quarta diſtinctio provinciarum eſt; quæ fit per uſurpationem: ut ſunt hodiè multæ Civitates, non recognoſcentes Superiorem de facto; vel merum, mixtumque Imperium obtinentes. Sicque hodiè provincia vocari poteſt,Civitas quælibet, diſtinctum ſeparatumque regimen habens,gloſſa,*ad l.fin. C. de præſcript. trigint annor. in verb. in una provincia*, quam Bartolus *ibidem* commendat, & ſingularem vocat. Cagnolus,*in l.Imperium,num.*162.*ff. de iuriſdict.* Vide poſt Hieronymum de Monte,Loſæum,*tract.de Vniverſitat.part.*1.*cap.* 2. *à princip.* & de provincijs,ut fuerunt olim,latè Berterius,*in libr. pithanῶν* agit.

CAPUT II.

De Nominibus, ac ſitu Pagorum, Vrbium, aliarumq́ conſimilium Vniverſitatum.

SEd ut porrò de Univerſitatibus,Politicè & Juridicè,ac etiam Philologicè nonnihil agamus: dicendum primò eſt de nominibus,poſtea de ſitu, tùm de Jure Univerſitatum. Quorum membrorum duo priora, Philologica & Politica; poſterius merè Juridicum erit. Nomina plerunque ſortiuntur Urbes,vel à ſitu, vel etiam à qualitate locorum,

locorum, ubi illæ ſunt extructæ: ſæpè à conditore, aut Domino loci; Richterus, *Axiom. Hiſtoric.* 71. *&c.* vel etiam à populis, aut alijs circumſtantijs. Quæ tamen vocabula mirè depravantur: ita ut hodiè illa nomina, ferè non habere videantur aliquam ſignificationem, nec niſi à Doctis intelligantur. Sic & Tubinga quid denotet, pauci ſciunt. Tubij, ſive Tubāti, populus Germanicus fuerunt, & terminatio Inckhen Germanica, frequens hiſce in locis, incolas denotat. Tubinga ergò eſt ſedes Tubiorum. Anckh/ vel Inckh/ puer eſt, ſeu juvenis; idem quod Helvetijs Knab: indè Enckhel/ ſive Inckhel/ Nepos. Ac abſonus eſt Johannes Herold; *tract. de Station. Legion. in veter. German. cap.* 1. qui loca, quæ deſinunt in *Ingen*, putat à Romanis militibus fuiſſe inſeſſa: itaque eam terminationem eſſe à Leg. hoc eſt, Legione. Magna item veterum ſuperſtitio fuit, & inveteratus error, quaſi vi naturę occultâ, ac genio quodam, res nomina ſortiantur; quæ futuræ ipſis vel adverſæ, vel proſperæ fortunæ quædam velut præſagia ſint. Multa ſuper hâc re Plato, *in Cratylo*. Indéque mala, atque ominoſa nomina, immutari debere, Piccartus monet, *obſervat. hiſtoricar. decad.* 11 *cap.* 6.

II. Univerſaliter illi tractus pulcherrimi & optimi ſunt; qui habent montes, ſive ab unâ parte, ſive ab utraque. Item quæ Regiones fluminibus irrigantur. Richterus, *Axiom. hiſtoric.* 7○ Maxumè Regiones mari adjacentes commendantur, & portum habentes marinum. Undè Hiſpani dicunt; Regnum ſine portu, eſt domus carens camino. Mendoza, *de bell. fol.* 156. Verùm Ariſtoteles, *libr. 7. politicor.* in ſitu Urbis, quatuor conſideranda eſſe docet: aëris ſalubritatem, bellorum opportunitatem, civilium actionum expeditionem, aquarum ſtantium ac manantium copiam. Vide Timplerum, *libr* 1. *politicor. cap.* 6 *quæſt.* 7. (addatur Latherus, *libr.* 3. *de cenſu. cap.* 12 ubi de ſitu & opportunitate Civitatis multa habet.) Aëris exigo ſalubritatem, quia aër ſpiritus reddit vivaces, ſi extiterit purus atque ſubtilis; ſuffocatque ſi impurus fuerit & craſſus. Atque hinc laudantur Urbes illæ, quæ verſus Orientem & Septentrionem ſunt conſtitutæ: & ubi Auſtrum prohibent montes. Junius, *quæſt. politic.* 63. Et rationem addit Timplerus, *dict. cap.* 6. *quæſt.* 5 quia Sol, reliquaque ſydera orientia, primam lucem, primosque radios ijs communicant; & ſi vires ſuas in eas primùm effundunt, ac etiam in plagâ, quæ eſt verſus Orientem, aër magis temperatus redditur, & à craſſis, virulentisque vaporibus purgatur. Hinc etiam aquæ, quæ ab ortu manant; ut & venti Septentrionales, Auſtralibus ſunt ſalubriores; quatenùs aërem purificant, intusque aucto naturali calore, concoctionem faciliorem & celeriorem efficiunt. De locis ſublimibus ſeu montanis, quid ſit ſtatuendum; & an ibi Civi-

tas extrui debeat? quæri poteſt. Quamvis autem talis locus munitior ſit,& majorem habere videatur aëris ſalubritatem, ob ventorum frequentem ſpirationem,vaporumque tùm craſſiorum paucitatem,tùm diſſipationem : tamen caret alijs commoditatibus multis; aquâ nimirùm & facilitate expeditionis, &c. Undè ædificationes majorum noſtrorum,qui pro ſuis domicilijs, montium altiſſima juga elegerũt, meritò Daniel Speckhlin/ *alicubi in ſuâ Architecturâ,* carpit. Proindè etiam ejuſmodi arces ſublimiores, ferè hodiè ſunt deſertæ. Propterea Carolus V. traijciens aliquando Rhenum, cùm ex Principe quodam quæſiviſſet, cur majores noſtri, arces & præſidia in excelſis montibus extruxiſſent? Et Princeps reſponderet, munitiores illis, arces in editis locis viſas fuiſſe: cenſuit Cæſar,rectiùs eas in planitie collocari; propter aquationis & invehendi commeatus,& tormentorum,aggerumque commoditatem.Chytræus, *in Orat Funebr. Carol. V.*

III. Loca etiam ſalubriora cenſentur,quæ à ſtagnis & paludibus longè diſtant. Talia enim minùs nebularum, & exhalationum venenatarum habent: undè aquarum dulcium copiam exigunt ij, qui locum Urbis collaudant. Eſt enim aqua maxumè neceſſaria ad vitam conſervandam; & faciliùs homines cujuſque rei, quàm aquæ dulcis defectum ferre poſſunt. Ea autem maxumè commendatur,quæ motu velociſſima eſt,aſpectu limpidiſſima,pondere leviſſima,concoctu faciſſima:damnantur fontes,qui cœnum faciunt, vaſa ærugine inficiũt, legumina tardè percoquunt. vide Plinium,*libr.31. cap.3.* Adde omninò *La Silva de varia Lecion,* d. Pedro Mexia, *libr.2. cap.25.* Aquam autem levem & limpidam,alijs antepono: quia talis aqua naturæ propiùs accedit. Nam aqua nullum dat nutrimẽtum corporibus humanis,quia ijs non aſſimilatur:cùm ſimplex ſit reſpectu ſaltem corporum noſtrorum,quæ compoſitiora valdè ſunt ipsâ,ſimplex autem compoſito diſſimile eſt: & propterea aqua nutrire nequit: cùm nutrimentum nihil aliud ſit,quàm cibi aſſimilatio in corporibus edentium,poteſtate quidem ijs ſimile. Aqua autem non nutribilis exiſtit; cùm poteſtate nec accidẽtaliter ſit ſimilis calori, & ſiccitati corporis noſtri. Ac propterea dicebat Avicenna *in libr.2. cap.1.* Aqua unum exiſtit Elementorum, quæ ſola inter omnia Elementa habet proprium, ut in eo, quod comedere & bibere ingrediatur; non ideò,ut nutriat, ſed nutrimentum penetrare faciat,& eius rectificet ſubſtantiam. Et in Canticis, *textu Commentar. cap. 31.* ita dicit: aquæ delectabiles conſervant humiditatem radicalem, & cauſant fœcum ac ſuperfluitatum egreſſum, digeruntque & deducunt cibum per venas. Hippocrates, *libr. 2. de aëre & aqua* Maximum ſtudium adhibendum eſt bonitati aquarum, vel malignitati

Digitized by Google

lignitati earum: ſi paludoſa ſit, an ſtagnea, an mollis, an groſſa, an digeri dura? neque in hoc negligentiam habeas, quoniam ſcientia aquarum multa eſt ad ſanitatis corporeæ ingenium, vide *aquæ Hygienam conſiderationem Petri Hochſtetteri.* Sed addere lubet verè Philoſophicam fontium & aquarum conſiderationem eruditiſſimi viri, Dn. Johannis Arndtij, in der Außlegung/ *Pſalm* 104. *Conc.* 2. *fol.* 582. *b.* Vom Vrſprung der Bronnen vnd Waſſerquellen/ darauß dann groſſe Flüß werden/ ſeindt vil luſtige Diſputationes: Etliche ſchreiben/ daß die Waſſerquellen jhren ſondern verborgnen Sahmen haben / darauß ſie wachſen/ wie Baüme auß einem Kern/ oder auß der Wurtzel/ der ſich hernach in vil Zweige außtheilet: Alſo ein Waſſerquelle theilet ſich auß in vil Ströme. Man findet auch örter / da vor Zeiten vor etlich hundert Jahren groſſe Waſſerflüß hergefloſſen ſeindt / die jetzo nicht mehr da ſeindt / vnd als ein Baum in ſeiner Wurtzel verdorret: die Vrſach iſt diſe: daß die Bronnen eine groſſe verwandtnuß haben mit dem Geſtirn/ das hänget alles verborgener ohnſichbahrer weyſe an einander/ als an einer ohnſichbahren Ketten; daher kompts/ daß wo Waſſerreiche Quellen ſeindt/ da iſt ein gütiges Geſtirn/ vnd Fruchtbahres Landt/ wann aber der Himmel ſeine Influentz wider zu ruck zeucht/ vnd die Waſſer-Sterne nicht würcken/ (die Stellæ pluviales, wie der Poet ſagt/ Hyades ſignum pluviale capellæ) ſo vertrocknen die Bronnen / wie mans ſihet in groſſer dürrer Zeit/ wanns lang nicht regnet/ ſo vertrocknen auch die Waſſerreichſte Quellen/ ja groſſe WaſſerStröme/ ꝛc.

IV. Commoditas ad bella, & civiles actiones expediendas, conſiſtit in abundantiâ fructuum, ad homines alendos, ad commercia inſtituenda; ſi nempè occaſio ſit evehendi quæ ſuperſunt, & quæ deſunt, advehendi. Bello aptus eſt locus, ſi faciles exitus habeat, ad educendum & deducendum exercitum, hoſtibusque acceſſu difficilis ſit. De ſitu Lutetiorum optimo, Cominæus, *mihi fol.* 59. *libr* 1. *cap.* 8. In illa quæſtione, utrùm licitum & conſultum ſit, oppida, caſtella, arces & Urbes; vallis, foſſis, mœnibus, propugnaculis, &c. munitas, in Republicâ benè conſtitutâ extruere? contra Velſtenium, *decad.* 4 *theſ.* 5. & alios, Nicolai Machiavelli probo opinionem, quam proponit, *libr.* 2. *de Republic. cap.* 24. Vide Zachariæ, *cap.* 9. *verſ.* 3. Nahum, *ultim. verſ.* 12. adde Junium, *quæſt. politic.* 64. & vide me, *libr.* 2. *politicor. cap.* 7. *nu.* 16. Et pertinet hûc Apophthegma Wilhelmi Ducis Juliacenſis, qui à Maximiliano Imperatore interrogatus; cur munitiones nullas in ditionibus ſuis extrueret? Reſpondit: Ego fretus primùm pace & amicitiâ meorum vicinorum, neminem laceſſo: deindè ſto fidei & virtuti meorum ſubditorum, refert Daniel Cramerus, *in Orat. funebr. Iohan. Frider.*

Digitized by Google

Duc. Stetin. Porrò in loco Civitati captando, non modò ſpectanda eſt uberrima frugum gleba; ſed & paſcua irrigua, ſylvæ & nemora. Kirchnerus, *Diſputat. politic.* 13. *Corollar.* 6. Et vereor, ut caritura ſint aliquandò multa Germaniæ loca, lignis. Ac fuit Melanchthonis vaticinium, relatum à Keckhermanno, *politicor. libr.* 1 *fol.* 330. Tria mundo defutura aliquandò: ligna ſcilicèt, bonam monetam, & bonos amicos. Quorum ſanè cunctorum, copia non eſt admodùm abundans nunc.

V. Incommodioris ſituationis ſignum eſt; ubi mali coloris homines, aut deformes, aut debiles, pauci pueri, pauciores ſenes reperiũtur. Vide Scipionem Amiratum, *ad Tacitum. libr.* 12 *diſcurſ.* 5. Et optimum certiſſimumque indicium eſt, ſi homines in aliquo loco diu vivant: quo argumento bonitatem Cyprij cœli, evincit Stephanus de Luſignan, *tract. de l'Isle de Cipre cap.* 6. *fol* 13. *& ſeq.* Hincque veterum conſuetudo laudatur, qui oppida aut caſtra ſtativa conſtituturi, pecorum, quæ ibi paſcebantur, jecinora inſpiciebant. Et ſi eſſent livida ac vitioſa, aliò migrabant: quod ſtatuerent idem in humanis quoque corporibus metuendum eſſe. Timplerus, *politicor. libr.* 1. *cap.* 6. *quæſt.* 7. Hùc conferentia multa habet Johannes Baptiſta Porta, *in ſuâ villâ, libr.* 1. *cap.* 11. *uſque* 21. ubi de ſitu villæ eligendæ. Sed ut tota terra incolatur, addit Deus cuilibet Regioni ſua dona, nec uni omnia dedit, non uni omnia ademit: quoque cuilibet amorem ſuæ patriꝗ etiam agreſtis ingeneravit. Vid. Boccalini, *ragguagl. d. Parnaß.* 1 *cap.* 51. *fol* 231. Sic ſterilia locorum ingenia, acuunt homines ad exercitationem virtutum, & variarum artium diſquiſitionem: ijdem etiam ſoli, cœlique duritie, acriùs animantur. Illæ quæ ubertim & copioſè omnia ponunt terræ, fiduciâ locorum nimiâ effœminant incolas & enervant. Sicque Noriberga in ſterili planitie ſita, nec abundantiâ rerum, nec opulentiâ, nec magnitudine ulli aliarum Germaniæ Urbium ſecunda eſt. Ita & in Italiâ Bergomum. Theſoro politic. 1. *fol.* 155. Olim item felicia reputabantur loca, ubi Martyrum oſſa ac ſepulchra, vel Monaſteria Sancta erant: indeque ex illis, vel propè illa, factæ non rarò Urbes fuerũt, quod teſtatur Civitas Sangallenſis, Campidonum, Werda, Gretſerus, *libr* 1. *obſervat. ad vitam Sancti Richardi, S. VVillibaldi, cap.* 18. *&c.* Privilegia item & immunitates, novis Urbibus conceſſæ, eaſdem mirè augent, earumque promovent incrementum.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT III.

In genere de Iure Univerſitatis pertractat.

NVnc de Jure & Privilegijs Univerſitatum agam: ſed ex multis pauciſſima delibabo. Quod antequàm fiat, ſciendum eſt; Univerſitatis nomen, juris, non perſonarum eſſe. Pariter ut hereditatis nomen differt à rebus ipſis, quarum denotat Univerſitatem. Moditius, § *plebiſcitum deciſ. 2. num* 7. Loſæus, *hic, part. 1. cap* 1. Quamvis autem Univerſitas nihil aliud ſit, quàm ipſimet homines Univerſitatis: quippè niſi homines eſſent, nec Univerſitas eſſet. Attamen Univerſitas propriè non dicitur homines, ſed hominum collectio, in unum corpus myſticum, & abſtractivè ſumptum; cujus ſignificatio inventa eſt per intellectum. Hincque Caſtrenſis, *in l. 7. num. 1. ff. quod cujusque Univerſitat. nomin.* ſcribit: Univerſitatem quandam eſſe perſonam fictam, ex pluribus ſingularibus perſonis conſtantem, quod & Ariſtoteles, *libr. 3 politicor. cap.* 7. ac Thomingius, *deciſ. 32. num.* 3. probant. Etenim Univerſitas, quamvis non animum, non intellectum, nec etiam corpus habere videatur: & tamen legitimè congregata atque convocata, ſuſtinet ac repræſentat vicem unius perſonæ; quæ eſt aliquid diverſum ab hominibus Univerſitatis, *l. mortuo ff. de fidejuſſor.* Moditius, § *plebiſcitum, dubit.* 148. Undè maxuma differentia eſt, an actus aliquis fiat ab Univerſitate; ſeu verò à pluribus, ut ſingulis, *l. 1. § quibus, l. ſicut §. ſi quid, ff. quod cujusque Univerſitat. nomin.* Hinc liberatio facta Univerſitati, non afficit ſingulos homines Univerſitatis: nec è contrà. Similiter lis Univerſitatis, haud dicitur ſingulorum, nec è contrà. Sic etiam, & qui honorem toti corpori debitum ad ſingulos de corpore voluerit transferre; toties ineptus & deridendus erit, quoties id cogitaverit, vel dixerit. Cothmannus, *Academ reſponſ. 28. num.* 20. Ac perquàm bellè interpretes noſtri, Syndicum, Advocatum, &c. ſoli Civitati, corpori, & Collegio honorem debere; & ſingulis jure reſiſtere, eosque impunè offendere, paſſim docent, Ulricus Zaſius, *in l. 10. §. 4 num. 6. circ. fin. ff de in jus vocand.* Fridericus Uranius, *in apoſtilla ad Martinum Vranium in cap ſuper eo 11. liter. C. num. 12. extr. de teſtib.* Idem videmus de bonis: Univerſitatis namque bona, non dicuntur bona ſingulorum; & è contrà. Sicque Jus Univerſitati legatum, ſingulis non competit, Moditius, *dict. §. plebiſcitum, dubitat.* 136. Nam quod eſt Univerſitatis, unius corporis eſt: ideò plurium ſeu ſingulorum nō exiſtit, quoniam Univerſitas, eſt perſona per ſe repræſentata,

 l. 6.

Digitized by Google

l.6.§.Vniverſitatis.ff.de rer.diviſ.l.ſed ſi hac, §.qui manumittitur, ff. de in jus vocand.cum ſimil. & id pluribus alijs exemplis illuſtrat Loſæus, *dict. cap.1.num.16.& mult.ſeqq.* Hocque eodem nititur fundamento, quod & ſuprà dixi, *tract.de Iur.rer.cap.4.num.2.* in causâ Collegij, vel Univerſitatis, produci poſſe teſtes de Univerſitate &c. *cap. veniens 9.cap. cùm nuncius 11.à princip.extr.de teſtib.cap.tertio,loco 5.extr. de probation.* Quod utique non poſſent, ſi inter ſingulos de Univerſitate, & ipſam Univerſitatem nulla diſcrepantia eſſet, *argu. l. 1. ſi municeps 2. ubi gloſſ. in verb.haberi.ff.quod cujusque Vniverſitat. nomin.*

II. Ac porrò, quòd aliud ſit Univerſitas, & aliud ſinguli de Univerſitate; apparet etiam ex eo, quia Univerſitas eadem manet, licèt variè mutentur perſonæ, *l.7.§.in decurionibus,in princip.ff quod cujusque Vniverſit. nomin.* Et ſic populus idem manet hodiè, qui fuit jam à centum annis: licèt omnes, qui tunc erant, mortui ſint, & alij ſubrogati. Eandem etiam propter rationem, Jus & nomen Univerſitatis conſervatur in uno ſolo, qui remanſit de Univerſitate. Baldus & Caſtrenſis, *in dict.l.7.§ ultim.num.1.ff quod cujusque Vniverſitat. nomin* Etenim in hominum Univerſitate duo conſiderantur: ipſi ſcilicet homines, & res, juraque eorum. Undè licèt homines extinguantur, remanent tamen nihilominùs Res, & Jura ipſorum hominum: quę nempè propter mortem hominum haud extinguuntur; ac propter illa jura, repręſentatur tota Univerſitas in uno; *l.ſicut in fin. ff. quod cujusque Vniverſitat. nomin* & etiam omnibus de Univerſitate extinctis. Verùm hoc fit habitu ſaltem, & quò ad juris intellectum, non actu. Sicque Univerſitatis Privilegia durant, mortuis omnibus de Univerſitate. Nam quod Univerſale eſt, perire nequit: ſicut homo in genere non moritur. Et Univerſitas perit actu, non habitu; ſicque Privilegia, aliaque Jura conſervantur. Poſtea renovatâ Univerſitate, omnia Jura reſuſcitantur; & interim tranſeunt ad fiſcum: Moditius, *§.plebiſcitum, quæſt.85.* Pariter ex hâc ſubſequitur conſideratione: in Juribus prædiorum acquirendis, velut ſervitute paſcendi, & ſimilibus, quanquàm non omnium ex Univerſitate, ſed quorundam ſolummodò animalia in fundo alieno paſcantur; tamen quoties id eâ fit mente & inſtituto, quòd hoc Jus ſit Univerſitatis, toti Univerſitati, atque ita etiam cæteris, qui nunquàm pecora ſua paverunt, idem Jus acquiri ſolet. Cæpolla, *tract. de ſervitutib.ruſticor.prædior.cap.de ſervitut. Juris paſcendi 9. num.26.* Arbitri quoque ſententia, quâ pronunciavit, Incolas loci alicujus lignatione & paſcuis uti poſſe, in prædio aliquo, non tantùm eos comprehendit, qui arbitrij tempore locum eum inhabitârunt, ſed qui & poſtea eò ſe habitandi causâ contulêre. Cravetta, *conſil 252. incip. proponitur,* quòd

quòd Magnificus, ſub num. 3. Nam in his, quæ ad Univerſitatem ſpectát, etiam recens ſupervenientes Incolæ, continétur: cùm ſemper eadem eſſe Univerſitas cenſeatur. Cravetta, *dicto loco*.

III. Cùm verò ſuprà dictum fuerit, Univerſitatem venire appellatione perſonæ: videamus nunc, an veniat & comprehendatur ſub nomine & appellatione perſonæ, etiam in ſtatuto? Et quidem affirmans opinio, probatur per textum, *in Conſtitut. ad reprimendum. verſic. ad hoc*, ubi Imperator ſcribit: Ad hoc ſi qua communitas, corpus vel Collegium, vel adeò quævis perſona, &c. ubi conſidero dictionem illam Adeò; quę ſimilitudinem, præcedentiumque repetitionem inducit. Verùm cùm Civitates, Caſtra, & aliæ Univerſitates, non propriè & verè perſonæ ſint; ſed tantùm vice perſonarum fungantur: *argum. l. metum, §. animadvertendum, ff. quod met. cauſ. & authent. Item nulla. C. de Epiſcop. & Cleric. l. 2. §. hoc etiam ff. de Iurejurand. propt. calumn.* Indè in ſtrictâ ſignificatione, non veniunt appellatione perſonarum. Idque maxumè procedit in materiâ odiosâ. Loſæus, *dict. cap. 1. ad fin.* Huc pertinet, quod Moditius docet: *dict. §. plebiſcitum, dubitat.* 114. Si Statutum loquatur, per iſta verba; Si quis; id habere locum in Univerſitate, *l. 3. §. hac verba, ff. de negoc. geſt.* Et limitat, quandò eſſet Statutum exorbitans: ſed ſi eſſet præter Jus, tunc credit, quòd haberet locum. Idemque decidit in dictione Quicunque.

CAPUT IV.

De Adminiſtratoribus Univerſitatum.

PArùm autem eſt, Univerſitates, ſeu communitates habere bona, res, Privilegia, & alia Jura; niſi ſint Officiales, qui ipſas regant & adminiſtrent. Impoſſibile etenim videtur, ut omnes deliberationes, & concluſorum executiones, per totam communitatem perficiantur. Hincque propter difficultatem, quę eſt in congregandâ Univerſitate totius populi; antiquitùs Decuriones conſtituti, atque creati fuerunt, qui in municipijs & colonijs erant tales, quales Romæ Senatores. Valla, *libr. 6. elegantiar cap.* 32. *l.* 32. *C. de decurion. libr.* 10. Et ex eo dictos ajunt, quòd initiò, cùm Coloniæ deducerentur, decima pars eorum, qui deducebantur, conſilij publici gratiâ conſcribi ſolita ſit, *l.* 293. *§. decuriones, ff. de verbor. ſignificat.* Hisque decurionibus Duumviri præerãt; quales Conſules Romæ, & alicubi Tiumviri, alicubi etiam plures. Albericus Gentilis, *ad dict. §. decuriones ff. de verbor. ſignificat.* Vide Thomam Michaëlem, *Diſputat. de Iuriſdict. theſ.* 126. *& ſeqq.*

Digitized by Google

ſeqq. Notum etiam eſt, Civitates, ſub Imperio Romano, Curiam ſeu Senatum, duumviros ſeu Magiſtratus municipales, & defenſores plebis habuiſſe; oppida autem defenſores tantùm. Bignonius, *in notis, ad formulas Marculfi, libr. 2. cap. 37 fol 582.* Qui putà ſimiles Tribunis fuerunt, nec ex numero decurionum eligebantur. Calvinus, *in Lexico, verb. defenſor.* Hos vulgò in pagis Heimbürgen adpellitamus. Hodiè decurionum evanuit denominatio, & qui nunc eorum munere funguntur, frequentiùs Conſiliarij, Rahts Männer / alicubi Scabini Schöpffen / (vom Urtheil ſchöpffen / oder fällen / quod Hebræis eſt *Schophat*, undè & Punicum *ſuffetes*) oder Gerichts Leut / indigitantur, & qui olim duumviri, nunc Civium Magiſtri, Burgermeiſter vocitantur. Ex quibus ferè unus præcipuus, & quaſi caput decurionum eſt, ac ſuperior Civitatis urbicæ Procurator: der Regierende / oder Worttragende Burgermeiſter. Thomas Michaël, *dict. Diſputat. de Iurisdict. theſ. 136.*

II. Conſilium hocce Civitatis, vel cujuslibet alterius Univerſitatis, totum populum repræſentat. Hincque quod ab eo efficitur, à toto populo, & universâ Civitate dicitur eſſe effectum, Loſæus, *hîc, part. 1. cap. 3. num. 46. &c.* Et ob id Concilium Civitatis, videtur habere eandem poteſtatem, & omnia poſſe ea facere, quæ poteſt totus populus, & adunantia generalis. Bartolus, *in l. 5. num. 2. C. de uſur.* Quod tamen ita eſt intelligendum; ſi illud Concilium ritè ac legitimè ſit cõgregatum, & conſenſum accommodaverit, ſervatis ſollemnitatibus. Henricus Bruning. *Diſputat. de var. Vniverſitat. ſpecieb. theſ. 44.* Nempè ut omnes vocentur, licèt non omnes veniant; ſi modò duæ partes ex tribus adſint: *l. 2. & 3 ff. de Decret. ab ordin. faciend.* Trentacinquius, *libr. 1. reſolut practicar. tit. quod cujusque Vniverſitat. nomin: reſolut. 1. nu. 3.* & præſentium major pars hoc velit; namque Univerſitatis pars major, præjudicat minori; ubi agitur de aliquâ re communi pluribus, non ut ſingulis. Adeò ut Statutum, vel conſuetudo, non valere cenſeatur, volens, ut in actibus gerendis non ſtetur majori parti. Matthæus de Afflictis, *deciſ. 1. num. 4. & 5.* Nec hoc in caſu, dignitas, vel auctoritas ipſorum decurionum eſt attendenda; ſed prævalet ſimpliciter major pars, quæ præjudicat minori. Loſæus, *dict. cap. 3. part. 1 nu. 83.*

III. Quæritur hîc; an ad deliberationes Curiales, etiam abſentes, à Civitate, terrâ, villâ, vel Caſtro ſint vocandi? Quod communiter negatur: adeò ut nec in arduis hoc fieri debere dicant, *per l. final. C. de legation. libr. 10.* Trentacinquius, *dict. libr. 1. tit. quod cujusque Vniverſitat. nomin. reſolut. 1. à princip.* Et quòd ajunt, unum ex Conſiliarijs, qui debebat vocari, ſi non fuit vocatus, & ſic fuit contemptus; poſſe proſequen-

Digitized by Google

ſequendo contemptum, facere actum retractari: cùm plùs poſſit contemptus unius, quàm contradictio multorum, *cap. quod ſicut, de elect.* Abbas, *in cap. cùm in cunctis, ſub num. 16. in fin. de his, quæ fiunt à major. part.* Hoc verò intelligo, ſi potuit vocari, & non fuerit abſens. Eſt & hoc non obliviſcendum; quòd in præſtando conſenſu, debeat Univerſitas ſimul congregari, & non ſufficit, quòd cõſentiant ſeparatim: ſed requiritur conſenſus in communi, non in particulari. Nam quandò conſentiunt ſeparatim; ut ſinguli, & proprio eorum nomine conſentire videntur, *l. & magis, ff. de ſolution.* Trentacinquius, *dict. reſolut. 1. num. 11. &c.* Eoque intuitu Maſuerius ad Ferrarienſem, *tit. 30 gloſſ. 7. lit. q.* notat, Senatorum auctoritatem non eſſe diſgregatam in ſingulos, ſed junctam apud Collegium, & in Collegij formâ.

IV. Verùm de Conſiliariorum ejuſmodi electione, non inter ſe conveniunt noſtri Doctores. Quidam enim hanc poteſtatem plebi vel populo, quidam ipſi Conſilio, alij Domino loci adſcribunt: ut videre licet apud Moditium, *§. plebiſcitum. quæſt. 43. à princip.* Ubi pro communi proponit; quòd electio Conſiliariorum, à principio ad populum ſpectet, & à populo convocato fiat, auctoritate Magiſtratus. Qui Magiſtratus ſolùm proponere debeat, illos eſſe convocatos propter Conſilij electionem. Hacque primâ electione factâ, ipſos Conſiliarios ſucceſſivè, de tempore in tempus, eligere qui defecerint: ſed antè omnia conſuetudini ſtandum eſſe. Et ſic in Flãdriâ Princeps cõſtituit Conſilium. vide Cominæum, *fol. mihi 127. libr. 2. cap. 4.* Verùm nullâ conſuetudine exiſtente, Principem vel ſuperiorem, circa electos & conſtitutos, ſuper eorum legalitate inquirere, eóſve removere non poſſe: niſi notoriè eos propter crimen, vel aliàs inhabiles eſſe conſtet; ut latè & doctè Thomas Maulius docet, *tract. de homag. cap. 12. per Diſcurſ.* Nempe cùm unaquæque communitas circa adminiſtrationem rerum ſuarum, liberam habeat poteſtatem: licèt talis Univerſitas careat Juriſdictione. Et minimè ſint confundenda hæc tria. (1) Juriſdictio loci, quæ eſt penes ſuperiorem: (2) Dominium locorum, quod eſt penes corpus Univerſitatis: (3) Dominium bonorum, quod eſt penes ſingulos. Sicque alius ſit Magiſtratus, qui Juriſdictionem exercet; alius qui res Univerſitatis gubernat, atque adminiſtrat. At quomodò conſulatur Univerſitati, turbatæ in poſſeſſione eligendi, vide Moditium, *§ plebiſcitum, quæſt. 70.*

V. Conſiliariorum ejuſmodi officium eſt; rationem Urbis habere, & curam gerere, rerum ad Urbis ſtructuram, conſervationem, & commoditatem pertinentium. An verò, & quatenùs de culpâ teneãtur? pòſt Cavalcanum, Loſæus docet, *hîc cap. ultim. ad fin. part. 1.* Ab

Hh 3 adminiſtr-

administratoribus Civitatis, Syndicus differt; qui à Collegio, vel Univerſitate, ad cauſam ipſius agendam eſt delectus, *l. munerum, §. Defenſores, ff de munerib. & honorib. cap. quia in cauſis, extr. de Procuratorib.* Vocantur alio nomine defenſores Civitatum, ut oſtendit titulus *Novell.* 15. ubi Defenſor Latinè, nihil aliud ſignificat, quàm Syndicus Græcè. Vocantur & alibi in Jure noſtro actores Univerſitatis, *l 1 § quibus autem, & § ultim l. item eorum, §. actor, ff. quod cujusque Vniverſitat. nomin.* Ejuſmodi Syndici, vel temporales, vel perpetui ſunt: & ſanè Univerſitates, non niſi per Syndicos rectè peragunt litem; ne ſcilicet defenſio vel actio per plures ſciſſa, incommodo afficiat partem adverſam, Rauchbar, *part 2 quæſt* 1. *à princip.* Quæritur hîc, an aliquis Syndicus creari poſſit invitus? Affirmatur; Nam cùm Syndicus agat negocia Univerſitatis, id officij detrectare nemo poteſt, *dict l. munerum, §. defenſores ff. de munerib. & honorib.* Moditius, *quæſt* 115. *§. plebiſcitum.* Et conſtitui debet Syndicus Civitatis, vel per adunantiam populi totius, vel per Conſilium regens Civitatem, ſi adſit; Nec verò à minore parte conſtitui poteſt, etiam cum cautione de rato. Moditius, *dict. §. plebiſcitum, quæſt.* 115. Neque requiritur auctoritas Magiſtratus, *l. actor, ff. rem ratam haberi, l. 1: ff. de munerib. & honorib. cum ſimilib.* Univerſitas namque conſtituit Syndicum ſeu Procuratorem, in re propriâ; ubi non requiritur decretum, vel auctoritas Superioris, Moditius, *quæſt.* 131. *dict § plebiſcitum.* Sed ſæpè dubitatur; ánne hîc ſufficiat ſola Conſulum, Senatusque auctoritas: an verò præter eam, communitatis quoque requiratur conſenſus, ſeu utrùm Civitatis Syndicus à Conſulibus & Senatoribus; von Burgermeiſtern und Rahtsmannen/ abſq; Tribunorum plebis interventu, conſtitui poſſit? Verùm Tribunorum plebis, tùm demùm hac in parte intervenire conſenſum debere, cenſerem; ſi ad Tribunos plebis Civitatis gubernatio, & rerum ad Rempublicam ſpectantium adminiſtratio ſimul pertineat. In Civitatibus multis ſingulare Collegium eſt, plebem repræſentans, ut apud nos der Raht; differens vom Gericht/ alibi der Groſſe Raht/ Gemeins leut / rc. Cæteroquin abſque illorum interventu, in cauſâ vel lite Civitatis, Syndicum à Senatu legitimè conſtitui, arbitratur Rauchbarus, *dict quæſt. 2. num.* 11 *&c.* quæ opinio & Henrico Bruningio, *Diſputat. de var. Vniverſitat. ſpecieb. theſ.* 68. arridet: ubi ſcribit; id ex adminiſtratione Reipublicæ dijudicandum eſſe, ita ut ſi penes Conſules & Senatores adminiſtratio Reipublicæ in ſolidum conſiſtat, horum ſufficiat conſenſus, vide Diſſertationem meam, *de Democratiâ, cap ult. num. 9. &c.*

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT V.

De Bonis Univerſitatum.

VNiverſitates ejuſmodi, bona & res in communi, ut loquuntur, habere poſſunt: ſicut & hoc cuilibet perſonæ ſingulari eſt conceſſum; putà nemora, paſcua, piſcinas, ſalinas, &c. Item pecuniam in ærario, ſeu arcam aut burſam communem, proventusque proprios, *l.* 1. §. *quibus &* §. *ult. ff. quod cujusque Vniverſit. nom. l. bona Civitatis, l. inter publica ff. de verbor. ſignificat. l.* 2. *C. de diverſ. præd. vrban. libr.* 11. Loſæus, *hîc part.* 3. *cap.* 1. Moditius, § *plebiſcitum quæſt.* 65. Thomas Michaël, *Diſputat. de Iurisdict. theſ.* 137. Dn. D. Bocerus, *alicubi in tract. de collect.* Itidem nulla omninò ratio impedire videtur, quò minùs Univerſitates ſuo jure, ad onera Univerſitatis ſuſtinenda, collectas, gabellas, Schoß / Stewr / Umbgelt / Marcktgelt / indicere ac colligere queant. Pertinetque huc Plinij epiſtola 93. & 94. *libr.* 10. ubi Amiſenorum agitur cauſſa, quorum Civitas libera erat, ſuoque jure utens, ſive *αὐτονομίᾳ* gaudens, & fœderata Romanorum. Inter cætera verò Jura ipſorum etiam erat facultas habendi *ἐράνους*, hoc eſt, collationes, ad ſuſtentationem tenuiorum civium inſtitutas: quâ de re libellum ſibi ab ipſis datum Plinius Trajano mittit, quærens quid & quatenus ipſis permittere debeat, aut prohibere. Reſcribit Imperator, permitti poſſe Amiſenis *ἐράνους* hac tamen duplici conditione, (1) Si ipſorum Legibus proprijs ſeu *αὐτονομίᾳ*, *ἔρανοι* ſint conceſſi. (2) Si *ἐράνοις* utantur non ad illicitos cœtus, & Collegia, & conſpirationes, ſeu factiones; verùm ad inopiam Civium ſublevãdam. Addit autem, *ἐράνους* ſimpliciter eſſe interdicendos illis Civitatibus Provincialibus, quæ non gaudeant *αὐτονομίᾳ*, ſed jure utantur Romano. Et extat Cõſilium Ferrarij Montani, *quod eſt inter Conſilia Marpurgenſia, volum.* 1. *conſil.* 1. ubi Civitas ob æs alienum, & alijs publicis neceſſitatibus urgentibus conſtituit; ut per triennium, ſinguli Cives de bonis ſuis, de annuis reditibus, & de cereviſiâ venali, certum quid in publicum contribuerent. Et ibi reſpondetur; hanc conventionem de collectis ſine conſenſu Principis, non ſolùm valere: ſed & vicinis hominibus, ratione intereſſe prætenſi, quòd nimirùm precia rerum venalia augeantur, nullam competere actionem. Quæ eadem quæſtio theoricè diſcutitur ab Everhardo Bronchorſt, *cent.* 2. *Miſcell.* 77. & illuſtratur à Dn. D. Bocero, *tract. de collect. cap.* 5. *per tot.* Klock, *Diſſertat. de vectigal. theſ.* 11. *liter. g* Georgius Everhardi, *tom.* 1. *conſil.* 3. Wintzlero, *de collect. obſervat.*

Digitized by Google

obſervat.4. Eſt quidem Juris expediti,collectarum impoſitionem eſſe Juris Regalis,quod ſæpè aliâs dixi. Et tamen municipium exigere poteſt aliquam collectam; quamvis municipia, ut & ſuo loco tradam, careant Imperio,atque Juriſdictione. Nam dum municipijs commiſſa eſt adminiſtratio quarundam rerum; puta viarum,pontium,murorum,&c. refectio: per conſequens quoque ea poſſunt, ſine quibus adminiſtratio illa perfici nequit. Ideóque aliquâ coercitione poſſunt exigere hanc collectam; quæ toto genere differt à collectis, quæ Regalibus adſcribuntur:nec opus eſt,omnes & ſingulos,vel Principem conſentire; ſufficit enim, illos conſenſiſſe in conſtitutionem Univerſitatis. Et clarum eſſe ait Moditius, *quæſt*.144.§ *plebiſcitum*, quòd major pars obliget minorem, quando factum eſt utile, & neceſſarium Univerſitati; & iſtius utilitatis participes ſunt ſinguli de Univerſitate,quod etiam pluribus Thomas Maulius docet,*tract.de homag.cap* 9. *num*.4.*&c*.ubi *num*.9. probat; quomodo per ejuſmodi collectam,forenſes etiam poſſint prægravari:quamvis Paulus Buſius, *Diſputat.politic*.11.*theſ*.11. *& mult ſeqq.uſque ad num*.21.diſſentire videatur:qui ait, ejuſmodi collectam exigi vi pacti,ſeu conventionis; & ita unius contradictionem impedire, quò minùs is poſſit collectari: ſed aliter ſentiunt omnes,*cap.vetitum.de his quæ fiunt à major.part.* ubi Innocentius & Panormitanus,Petrus Coſtalius,*ad l*.1 *ff.quod cujuſque Vniverſit.nom.* Et cauſas, quæ ſint ſufficientes ad exigendam talem collectam, enumerat Moditius:*dict*.§.*plebiſcitum quæſt* 23.nempè ſi litem cum alieno ſubdito habeat Univerſitas,ex quâ multas erogare expenſas cogitur; pro ſolvendâ pœnâ, ob delictum ab Univerſitate patratum; ob refectionem vel ædificationem murorum Civitatis, pontium, viarum, aut alterius publici operis: ob publicam defenſionem; pro ſalario Medici,Prætoris,Magiſtri Scholarum,&c. Adde Paponium,*libr*.5.*tit*.11.*arreſt* 4.*& ſeqq*. ubi tradit; omnes de Univerſitate poſſe collectari; etiamſi ea collecta inſumatur in rem, vel onus amovendum, quod non omnes concernit:ſi modò tangat Jus Univerſale.

II. Ajunt & hoc noſtri Doctores: nec Principi de his rationem ſibi reddi, aut annuis Univerſitatis rationibus ſuo nomine aliquem adhiberi poſtulanti, obſequi tenere Univerſitatem: prout conſulendo reſpondit Henningus Göden, *conſil*.31.*& ſeq*. & pluribus probant Matthias Stephani, *libr*.2.*de Iuriſdict.part*.2.*cap*.2.*num*.172.*&c*. Henricus Bruning, *Diſputat. de Iur. Vniverſit. theſ*.89. Thomas Maulius, *tract.de homag.cap*.13.Petere enim rationem reddi,dominij eſt effectus, non Imperij,pariter verò,ut Principes inferiores,rerum particulariũ, quæ à ſubditis poſſidentur,Domini non ſunt;ita & bona Univerſitatum,

tum, omninò & pleno jure pertinent ad eandem, *argum.* § *ſingulorum, Inſtit. l. 1.* § *hæ autem res. ff. de rer. diviſ.* Verùm ſi vel conſuetudo, vel alia juſta cauſa hoc permittat: putà; ſi ſuſpicio vel fama ſit de malâ adminiſtratione, maleque re ſuâ uti Univerſitatem; aut ſi Cives ipſi conquerantur de negligentiori optimatum adminiſtratione, eaque ipſis ſit ſuſpecta: tunc Princeps per viam inquiſitionis, rationibus reddendis ſe rectiſſimè intromittit; *l ſi cujus* §. *æquiſſimum, ff. de uſufr.* & facit *l. 26.* § 1 *ff. de uſu & habitat.* quod & Matthias Stephani, *dicto loco* probat. Etenim Princeps, qui non poteſt privato imperare, ut ipſi rationem reddat ſuæ œconomiæ; cùm quilibet moderator & arbiter rei ſuæ exiſtat. Et tamen cùm Reipublicæ interſit, ne quis re ſuâ malè utatur: quemadmodùm contra prodigalitatem, varia remedia Juris ſunt inventa; ita adhuc multò magis Principis eſt curare, ne res Univerſitatis, per malam paucorum adminiſtrationem accipiant detrimentum: quamvis Manlius *dicto loco*, Principem omni in caſu excludere videatur.

III. Et adeò Univerſitatis bona ad eandem ſpectant: ut illâ diſſolutâ, bona per quemlibet de Univerſitate poſſint occupari, *argum l. 1. ff. de Colleg.* Quod tamen cum hâc diſtinctione procedit; ut locum ſaltem habeat in ijs bonis, quæ à ſingulis collata fuerunt, *argum l. 2.* §. *viarum ff. ne quid in loco publico*, Moditius, §. *plebiſcitum, quæſt.* 110 *à princip* cætera ipſi de Univerſitate, abſque Principis conſenſu dividere non poſſunt. Moditius, *dict.* § *quæſt.* 74.

IV. Bona illa Urbium & Civitatum multa Privilegia habent. Et in ſpecie, non ſolùm de pecuniâ Civitatis Romanæ, ſed & aliarum Urbium, accipienda eſt Lex Julia peculatus. Quamvis enim ea Lex coerceat illos tantùm, qui pecuniam publicam interceperunt; *l. 1. ff. ad Leg. Iul. peculat.* & propriè publica ea ſolummodò vocentur, quæ pertinent ad populum Romanum: cùm ſcilicèt aliæ Civitates habeãtur loco privatorum, *l. 16 ff de verbor. ſignificat.* Et tamen hoc ex Privilegio, ſingularique Jure receptum fuit; ut ſi de re Civitatis præter Romam, aliquid ſubripiatur, nihilominùs peculatus crimen commiſſum cenſeatur, *l. 4* §. *fin. ff. ad leg. Iul. peculat.* Hincque, quod reſpondet Papinianus, *in l. 81 ff. de furt.* ob pecuniam Civitati ſubtractam, actione furti, non crimine peculatus quem teneri; id accipiendum eſt de Jure communi: nec videntur ſibi contradicere Leges, cùm una de ſingulari, altera loquatur de Jure communi. Vide hâc de controverſiâ Lyclamam, *3. membran eclog 5. & ſeq.* Timæum Fabrum, *Diſputat. ad Inſtitut. ultim. ad* §. *9. de public. Iudic.* Bronchorſt. *centur. 4. ἐναντιοφανῶν, aſſert.* 86. Arumæum, *Diſputat. ad Leges difficiles 25. theſ. 14.*

Digitized by Google

V. Itidem contra Civitates omnes, non currit præſcriptio, niſi centum annorum: vid. Georg. Everhard. *conſil.* 5 ·. *tom.* 2. in rebus hereditarijs, item in legato, donatione, & venditione Civitati acquiſitis. Ita ut quoties Civitatibus hereditas, vel legatum, vel fideicommiſſum fuerit relictum, ſive donatio, vel venditio proceſſerit; ſit eorum penè perpetua vindicatio, & ad centum annos extendatur, *l. ultim. C. de Sacroſanct. Eccleſ.* Bronchorſt, *centur.* 2. *miſcell. aſſert.* 43 Gæddæus, *ad l.* 17 *num.* 16 *ff. de verbor. ſignificat.* Et quamvis quò ad Eccleſias, quæ itidem vigore *dictæ legis* hâc prærogativâ gaudebant, noviſſimo Jure centenaria præſcriptio fuerit abrogata, & ad quadraginta annorum prçſcriptionem redacta, *Novell.* 111. *&* 131 Nihilominùs, quia in rebus, actionibusque Civitatis, nihil legimus immutatum; nil impedit, quò minùs Jus vetus ſtare prohibeatur, *vulgatâ l. præcipimus* 32. *C. de appellat.* Quamvis Fachinæus, *libr. controverſiar.* 8. *cap.* 3. § *ſequitur, ut de Civitatibus, &c.* diſſentiat; ac plùs dictum, & minùs ſcriptum fuiſſe, in dictis Novellis putet. Id quod minimè probabile videtur: & in correctorijs, nec per rationem majorem, extenſio locum habet, *per Iura vulgata* & dixi, *in Commentar. ad titul.* 3. *&* 4. *libr.* 1. *ffor. quæſt.* 22. Verùm viciſſim Univerſitas vel communitas, circa præſcriptiones, hoc incommodum habet; quòd nequeat præſcribere contra alium, quamdiu unus ſupereſt de Univerſitate, habens ſcientiam rei alienæ. Moditius, *dubitat.* 75. § *plebiſcitum* quia talis ſcientia importat malam fidem: quæ obſtat præſcriptioni, *cap. poſſeſſor, de regul. Iur. in* 6.

VI. Pariliter Reſpublica minorum jure uti ſolet: ideoque auxilium reſtitutionis implorare poteſt, *l. Reſpublica C quib ex cauſ. major.* Quæ Juris ſanctio etiam locum habet in alijs Civitatibus & municipijs, Caſtrenſis, *ad dict. leg. Reſpublica*, & latè Johannes Mauritius, *de reſtitution. cap.* 417. Oddus, *eod tract. part.* · *artic.* 9. *&c* ac facit *l. in legatis. ff ex quib. cauſ ma or* ubi probatur; quòd Legati Civitatum, propter ipſas Civitates habeant beneficium reſtitutionis. Ergò multò magis ipſæ Civitates, hocce Privilegium habebunt. Præterea Reſpublica ideò reſtituitur ut minor; quia per alios regitur, ut minor per tutorem ſeu curatorem. Quæ ratio locum habet non in Civitatibus ſolùm; ſed & in villis, Caſtris, & Univerſitatibus quibuſcunque. Undè & ea reſtitui, communiter placet, ut Trentacinquius notat, *libr.* 2. *reſolut. practicar. tit. de reſtitut minor. reſolut* 3 qui idem hoc extendit ad parvas quoque Civitates, quæ paucos homines habent, ſeipſos regentes. Eò quòd ſecundum Baldum etiam in parvâ Univerſitate, non reperiatur conſenſus verus, ſed fictus; cùm ſint multi pupilli, infantes, &c. qui non conſentiunt, nec queunt conſentire: quorum favore,

Caſtra.

Caſtra & villæ habent in integrum reſtitutionem: ita ut nunc diſcedam ab opinione Cævallos, qui *opin. commun. quæſt.* 853. ait; Civitati, quæ ipſa per ſe propter exiguitatem regitur, non dari reſtitutioné. Ex eo fundamento, quia Cives omnes ex contractu obligantur; ſi cõſenſerint omnes. Nam minimè ſequitur: Univerſitas obligatur. Ergò reſtitutio ceſſat. Nam & ipſa reſtitutio, præſupponit obligationem. Ac quamvis in integrum reſtitutio, minimè competat Caſtris, villis, &c. vigore *dict. l. Reſpublica*, quia eæ Univerſitates, nec impropriè Reſpublicæ ſunt: nihilominùs tamen competit illa ex clauſulâ generali: ſi qua mihi juſta cauſa: & ſimul Jure minorum, ſi inibi ſint pupilli, minores & miſerabiles perſonæ, ut *dict. loc* Trentacinquius docet, *num.* 4. Verùm Civitates, Caſtra, &c. non habent ſemper facultatem petendi reſtitutionem, ſed tantùm per quadriénium integrum; quod incipit à die læſionis, *per cap. 1. de reſtitution. in integr. libr. 6.* Trentacinquius, *dict. loc. num. final.* Göden, *conſil. 5. de jur. Civitat. num.* 40. *&c.*

CAPUT VI.

De Contractibus Univerſitatum.

COmmunitatem ex proprijs contractibus obligari poſſe, nemini dubium eſſe poteſt: ſi nempè omnes Cives contrahant, ad conſenſumque dandum convocentur; vel ſi Concilium totam Civitatem repræſentans, mutuam pecuniam ſumat (nam tùm, etiam non conſentientes obligantur.) Moditius, *dict. §. quæſt.* 145. Göden, *dict. conſil. 5. quæſt* 1. Colerus, *de proceſſib. executiv. part. 2. cap. 3. num.* 337. *& ſeqq.* Köppen, *deciſ.* 60. adde omninò Georg. Everhard. *tom. 1. conſil.* 36. Et cùm Civitas hoc modò ex contractu obligetur abſolutè; ergò neceſſe non eſt, probari pecuniam in eius utilitatem erogatam fuiſſe. Fachinæus, *libr. 2. controverſ. cap.* 5. Quinimò, etiamſi in publicam Civitatis utilitatem, pecunia non eſſet verſa; ſed Principi vel alteri mutuò fuerit data: nihilominùs Civitas obligata erit. Brunning. *theſ.* 76. Quamvis Weſembecius, in caſu, quo Civitas pro Principe fidejuſſit, diſſentire videatur, *conſil.* 111. *quæſt.* 1. Et eſt Lubecæ Statutum, prohibens fidejuſſionem, vel mutui dationem, quæ Principi fiat. Aliâs verò, Civitas fidejubere poteſt. Hernig, *tract. de fidejuſſorib. cap* 7. *num.* 30. *&* 60. Colerus, *de proceſſib executiv. dict num.* 317. At vero, ſi Syndici, vel alij adminiſtratores Civitatem non repræſentantes, pecuniam acceperint mutuam; tùm demùm Univerſitas cõveniri poteſt, ſi ad eius utilitatem pecuniam verſam eſſe, fuerit adprobatum: & de hoc caſu

Digitized by Google

accipienda eſt *l.27.ff.de reb.credit.*ubi reſpondet Ulpianus: Civitatem mutui datione tùm demùm obligari, ſi ad utilitatem eius, pecuniæ verſæ ſint; alioquin ipſos ſolos, qui contraxerunt; non Civitatem teneri. Hartmannus Piſtoris, *libr.1.quæſt* 37 Petrus Friderus Mindanus, *libr.2.de proceſſib. & mandat.cap. 62.ſect.* 8. Heigius, *part.* 1. *quæſt.* 24. Bruning, *hic,theſ.77.& 79.* Nec tamen opus eſt, utilitatem perpetuam eſſe; ſed ſufficit, primò utiliter fuiſſe collocatam, licèt poſtea non ſequatur effectus. Molinæus, *tract.de uſur.quæſt.37 num.*281.

II. Sic & Syndicus generalitatis nequit vendere bona. Moditius, *quæſt.* 116. Sed tamen ratificatio communitatis, factorum à Syndico, mandato æquiparatur: & tunc valent geſta. Idem Moditius, *quæſt.* 120. Sicque ex communi traditione, quatuor requiruntur in alienatione Civitatis, Univerſitatis, vel Caſtri. (1) ut ſint in eâ præſentes omnes, vel pro majori parte curiales, & honoratæ perſonæ, ac poſſeſſores immobilium. (2) quòd dictæ perſonæ jurent, alienationem eſſe, & fore utilem Civitati. (3) quòd interponatur decretum. (4) Aliqui requirunt ſubhaſtationem. Capycius, *deciſ.93.num.*1 & his requiſitis non poteſt renunciari, Capycius, *num.*2.

III. Maxumum hîc oritur dubium; An & quando Univerſitas, vel per ſe, vel per decuriones, aut etiam Syndicos, obligare poſſit ſingulares perſonas, & bona particularium ipſiuſmet Univerſitatis, ipſis particularibus haud conſentientibus? Et nunc, niſi de meliori edocear, Baldi & Caſtrenſis opinio arridet, qui dicunt; nunquàm hoc fieri poſſe, quicquid in contrarium diſputet Loſæus, *hîc part.3 cap.3.* Johannes Elſvvych, *Diſputat.politic.2.theſ.*10. Et item Gail, *tract. de arreſt cap.9 per Diſcurſ.* de hâc quæſtione tractans, ait: communiter concludi, talem obligationem valere, ut eorum Cives ubique locorum, in Imperio, vel extrà, prehendi & arreſtari poſſint; ſi modò talis Univerſitas habeat poteſtatem condendæ legis: ſed tamen *nu.* 8. *&c.* hanc deciſionem duram, & naturali æquitati contrariam eſſe putat: adſtipulatur Bruningus, *Diſputat.de var.Univerſit.ſpecieb.theſ.*78.& præjudicium Camerale addùcit, idemque pulchrè Berlichius docet, *tom.1.cõcluſ.*52.& adhuc meliùs Trentacinquius, *libr.1.tit: quod cujusque Univerſitat.nomin.reſolut.*2. & quoque Göden, *conſil* 5. *de jur Civitat.per Diſcurſ.* Franciſcus de Clapperijs, *cauſ.*14 *quæſt.*1.& 2.*fol* 118.*&c.* Ratio eſt, quia nempè obligare ſingulas perſonas civium, non reſpicit utilitatem publicam: neque Princeps, neque Reſpublica in bonis privatorum quicquam juris habent. Accedit, quòd contractus non obligant, niſi conſentientes; & quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro auferri non debet, *l.venditio,§.ſi conſtat,ff.commun.prædior.l.id quod noſtrum* 11.*ff.*

Digitized by Google

11.*ff.de regul.jur.* Textus eſt elegans, *in l.4.C.de executorib.& exactorib.* ubi reſpondetur: nullam poſſeſſionem pro debitis alienis, publicis vel privatis conveniri debere. Nec ſolùm grave eſt legibus, ſed & naturali æquitati contrarium, pro alienis debitis moleſtari; *l. unic. C. ut nullus ex vicaneis, &c.* Pro noſtrâ quoque ſententiâ ſtat Weſembecius, *cõſil.46.num.17.&c.* ubi deducit: Principem ſubditos ſuos, ignorantes & invitos, repræſſalijs obligare nequire. Nec quidem ſuperiorem, ſuos ſubditos, non conſentientes, pro ſuis debitis obligare poſſe, *per l. Civitas, ubi gloſ. & Dd.* præſertim Jaſon, *ff. ſi cert. petat.* Imò addit; creditores Jus ſuum amittere, qui talibus ex pactis repræſſalias exercent, *per l. extat, ff. quod metus causâ.* Non hîc licet argumentari à Lege ad contractum: nec ea ratiocinatio procedere videtur. Multa enim poteſt Princeps circa Leges, quæ non poteſt circa contractus. Quin & contra ſingularem perſonam, Legem vel Statutum condere non licet, *l. 8 ubi Dd. ff. de Legib.* & Civitatem non poſſe facere Statutum, per quod auferatur Jus privati: ſed benè legem generalem contra Cives, & obligare eos, probat, *l. Antiochenſium, ff. de privileg. creditor.* ubi Bartolus, *num.*1. ac quidem in univerſum, non ſingulares in individuo, *l.3 §.Divus Adrianus, ff. de ſepulchr. violat.* Et Dominium, quod Imperator habet in bonis ſingulorum, reſpicit ſaltem Juriſdictionem & defenſionem. Nec item obſtat, quòd dicitur à quibuſdam: Proceres Civitatis, quibus gubernatio, & communis publicarum rerum cura eſt commiſſa, vi illius commiſſionis, liberam videri habere adminiſtrationem, & idem facere poſſe, quod ſinguli facerent. Gloſſa, *in Rubric. C quæ ſit long. conſuetudo*, nam reſpondetur: liberam illos habere adminiſtrationem rerum Univerſitatis, non bonorum privatorum, ſeu ſingulorum, & ita à diverſis malè fieri illationem.

IV. Et ampliatur deciſio noſtra, ut nec valeat talis obligatio; licèt major pars Civium conſenſerit: ſed tradunt, illos, qui non conſenſerunt, arreſtari, vel perſonaliter detineri haud poſſe; ſed illos ſolos, qui præſentes fuerunt, tanquàm ex mandato teneri. Quia in his, quæ competunt pluribus, ut ſingulis, major pars nequit præjudicare minori, *cap. quod omnes 29. tit. de regul. jur. in 6.* Trentacinquius, *dict. reſolut.2 num.7.* nec in merè voluntarijs major pars Univerſitatis obligat minorem. Cravetta, *conſil.379.* Notandum tamen in ijs caſibus, in quibus Cives & ſubditi pro debitis Civitatis, vel Magiſtratus conveniri, arreſtari, detinerive poſſunt: (putà ſi ſe ſingulariter obligarunt) quòd etiam unus Civis pro toto debito arreſtari, detinerique queat, donec ſolidum ſolvatur, vide Brunningum, *dict. loc.* & Berlichium, *dict. concluſ.52.num.17.* Maximè, ſi illa clauſula inſtrumento & obligationi

Digitized by Google

fuerit adjecta; Obligamus ſingulos & omnes in ſolidum: ſed tamen debet arreſtatus, vel perſonaliter detentus, indemnis ſervari per Magiſtratum, vel Senatum; & debet Magiſtratus, vel ex communi ærario, vel indictâ omnibus collecta, eum liberare; vide etiam Moditiũ, *§. plebiſcitum, dubitat.* 62. 103. 109. & 60. Et licèt talia verba non reperirentur in inſtrumento; tamen putarem ſingulos in ſolidum eſſe obligatos ipſo jure. Nam ſi quilibet obligaretur in virilem portionem, tùm certè eluſoria quodammodò obligatio eſſet, ut pluribus docet Moditius, *quaſt.* 161. Sed addatur Colerus, *de proceſſib. executiv. part.* 2. *cap.* 3. *num* 366. Köppen, *deciſ.* 60. *num* 27. Si item Cives ſe obligent univerſi ut ſinguli; obſtricti manent eorum heredes, etiam Privilegiati: putà Presbyteri, &c. Paponius, *libr.* 5. *tit.* 11. *arreſt.* 3.

CAPUT VII.

De delictis Vniverſitatum.

NVnc de delictis eſt dicendum: poſtquàm de contractibus actum fuit. Et ſcias, non ſolùm contrà Univerſitatem, ſed & ab eâ delinqui. Contrà Univerſitatem delinquitur; cùm tota, vel pro parte aliqui tantùm offenduntur, intuitu Univerſitatis. Et Univerſitas poteſt agere contra injuriantem aliquem ex Univerſitate, ad inſtar patris, qui agit pro injuriâ filio illatâ: *l. ſed et ſi, §. prator, ff. de injur.* tunc tamen non agit nomine proprio, ſed nomine ſubditi, ut Moditius docet, *quaſt.* 97.

II. Etiam Univerſitas ipſa delinquere, & ex delicto conveniri poteſt, Paponius, *libr.* 24 *tit.* 12. *arreſt* 1. Nam Hiſtorias pervolanti obſcurum eſſe nequit, quòd in Civitates ob delicti gravitatem ſeverè fuerit animadverſum, & pro diverſitate circumſtantiarũ ſupplicium ſumptum. Elsvvych, *Diſputat. politic.* 2. *theſ.* 9. Quamvis enim Univerſitas ſit nomen Juris, & non habeat animum atque intellectum, & ſit perſona ficta atque repræſentata, *l.* 1. *§. quibus, l.* 2. *l ſicut §. fin ff quod cujusque Vniverſitat. nomin.* Carens autem animo & intellectu, delinquere non poſſit; undè nec animal brutum injuriam feciſſe cẽſetur, cùm ratione deſtituatur, *l* 1. *§.* 1. *ff. ſi quadrup. pauper. feciſſ. dicat.* Quo argumento, Innocentius, gravis certè auctor; quòd Univerſitas non poſſit delinquere, cenſet *in cap. gravem, de ſentent. excommunicat.* Facit, quòd contra Univerſitatem non ſit proferenda ſententia excommunicationis, *cap. in Vniverſitatem, de ſentent. excommunicat. in* 6. *can. non poteſt, cauſ.* 23 *quaſt.* 4. Et tamen Univerſitas, cùm conſtet hominibus, ut

ſuprà

Digitized by Google

ſuprà dictum fuit; ea tùm delictum perpetrare cenſetur, quādo communicato conſilio & præcedente deliberatione, vel ipſi Rectores, vel majorpars delinquit, Moditius, §. *plebiſcitum, dubitat.* 3. Mynſinger, *centur.* 4. *obſerv.* 78. & 79. Sicque populus, Civitas, vel Collegium, alicui metum aut injuriam inferre queunt: ſi ſcilicèt conventu habito, vim fecêre, *l.* 9. §. 1 *ff quod metus cauſ.* Si verò pars aliqua populi, ſine conſilij communicatione, & præcedente convocatione delinquat (imò ſi omnes particulatim delinquant, Rayger, *in theſaur. jur.* §. *Civitas, num.* 48.) tunc Univerſitas non obligatur ex delicto: quia non Univerſitas, ſed particulares aliquot Cives, proprio motu deliquiſſe cenſentur, niſi in delicto ſucceſſivam cauſſam habente: Moditius, *quæſt.* 30. *ad fin.* tunc enim præſumitur ratificatio omnium, Moditius, *quæſt.* 67. *num.* 1. & 2. *ac quæſt.* 192. Quod idem & tùm procedere Moditius reſpondet; *dubitat.* 195. & *ſeq.* ſi Civitas teneat in ſuâ poteſtate delinquentem; nec eum puniat; *argum.* Judic. *cap.* 20. *verſic.* 10. & *ſeq.* Et hoc intuitu dicitur, *in l ſed ex dolo* 15 § 1. *ff. de dolo* in municipes non dari actionem de dolo: & additur ratio; quia municipes nihil dolo facere poſſunt. Quod ſanè ita eſt intelligendum, ſi non ut Univerſitas, hoc eſt, cōgregato populo delinquatur. Bronchorſt, *centur.* 1. ἐναντιοφ. *aſſert.* 59. Et fatetur Oldendorpius, *in tract. de æquitat. tit.* 11. *fol. mihi* 147. qui hâc de quæſtione *ibid. fol.* 144. & *c* latè agit; ſi ſtrictum Juris præſcriptum ſequamur, non poſſe dici propriè, quòd Univerſitas delinquat. Cæterùm cùm æquitas non patiatur, tàm pertinaciter delicta excuſari, quæ ubique fiunt ab ijs, qui ſunt in Univerſitate; temperandum eſſe hoc Jus, eo quo dictum eſt modo: ut nempè convocatio, & forma quædam Univerſitatis, an in ipſo delicto fuerit obſervata, perpendatur. Ac ſanè, ſi Univerſitas puniri nequiret, nunquàm poſſet inferri alicui populo bellum: utpotè, quod ſemper ferè nocet fœminis, infantibus: ubi ſubditi propter Principes puniuntur, vaſtantur, occiduntur, pelluntur, ſine culpâ quidem, ſed non ſine cauſâ. Sed adhûc magis Innocentius inſtat, & ait: Univerſitatem nullo modo poſſe puniri, probatque illud axioma duabus rationibus, à naturali Juſtitiâ ductis. Innocentia, ait, non debet puniri: ſed in Univerſitate, maxumè majori, ſemper multi ſunt innocentes, multi nondum nati; qui contrà omnem rationem punirentur; & teſtatur Oldendorpius, *dict loc.* neque Bartolum, neque ullum unquàm Juriſperitum tentâſſe Innocentio, vel potiùs divinæ rationi contradicere. Sed tamen ita punienda Univerſitas eſt, ut hæc pœna, ad innocentes principaliter non pertingat (nam & DEUS Optimus Maximus parcere voluit Sodomitis, ob paucos bonos) at per conſequentiam hoc fieri poteſt. Ita nam que

Digitized by Google

punitur filius ob delictum patris, in crimine Majeſtatis: & cùm publicantur bona, hoc in præjudicium filiorum vergit. Adde Molinam, *de Iuſtit. & jur. tom.* 4. *Diſputat.* 34. & 35. Undè ſi ſolus populus vel plebs delinquat, ſine regentium aſſenſu, excuſantur regentes. Quòd ſi ſoli Conſules vel regentes delinquant, illorum delictum haud gravabit Univerſitatem. Brunning, *theſ.* 96. Nec approbare queo, quod Moditius tradit, *dubitat.* 30. teneri ex rebellione Adminiſtratorum omnes Cives, etiam contradicétes; & diſputatur de hoc in causâ Donavverdenſi, ubi quidam Cives, non Magiſtratus deliquiſſe dicuntur. Vide informationem. Et ipſe Moditius idem alibi negat, *dubitat.* 194. Et quòd contra Univerſitatem delinquentem ſeveritati ſit detrahédum, neque pœna ſtatim exequenda, ne multorum fiat ſtrages, aſſerit Hippolytus, *in l. qui cædem, ff. ad leg. Cornel. de ſicar.* juxta illud:

Ob populum multum, crimen pertranſit inultum.

III. Variè autem Univerſitas punitur: mulcta illi infligitur quãdoque. Nonnunquàm pro gravitate delicti, bona publicantur: interdùm Privilegia adimuntur. Nonnunquàm Civitatis muri deijciuntur: tuncque perpetuò ita eſſe debet. Marſilius, *de bannitis, in verb. confinatas, num.* 3. interdùm illa in totum ſubijcitur aratro, Brunningus, *theſ.* 98. Moditius, *quæſt.* 71. & 113. tuncque pro mortuâ habetur, *l. ſi uſusfructus Civitati ff. quibus mod. uſusfr finitur. ubi Dd.* Sicque Henricus Imperator Brixiam ſibi rebellem, aratro damnavit: tamen poſtea ſententiam mitigavit. Bartolus, *in l.* 1. *ff. de Iurisdict. & in l. aut facta* 16. §. *nonnunquàm ff. de pœn.* Sed hâc de materiâ habent plura Bodinus, *libr.* 3 *de Repub. cap* 7 *num.* 337. *& c. mult.* Maſcardus, *de probationib.* § *Univerſitas* Farinacius, *quæſt* 24. *num.* 109. An infamiâ affici queat, vide Moditium, *quæſt.* 26. Lubet hîc adſcribere, quæ habet Ærodius, *rer judicat. libr.* 7 *tit. ultim. cap.* 31. Neque lues, neque incendium, neque ipſe terræ motus, abſumit omnia: quin imò pleriſque parcit. In ijs, quæ ab Univerſitate delinquuntur, plùs ineſt ſæpè ſtultitiæ, quàm privatis. At nihilominùs publicâ & populari animadverſione opus eſt. Quid ergò? Singuli dimittuntur: Duces caſtigantur: deletur autem id, quod univerſorum eſt, arx, Urbs tota, (hinc Sulpitius ad Ciceronem, oppidorum cadavera appellat) aut muri duntaxat, aut loci publici, ut forũ, balnea, porticus, theatra, fana: aut colonia deducitur: aut Jura, Judicia, ludi, ſuffragia, Privilegia denique abrogantur. Fit enim eo pacto, ut pœna omnibus imponatur, & morte ipsâ gravior tamen, dum vivi ſe rebus ijs vitio ſuo carere aſpiciunt, quas unusquiſque ſibi etiam mortuo ſervari cupit: patriâ, foro, laribus, ſepulchris, ſacris, atque monumentis majorum ſuorum; & tamen multitudo conſervatur, quæ vix

unquàm

Digitized by Google

unquàm peccat, niſi aut non retracta, aut incitata à Magiſtratu. &c. Et idem, *cap*.34. Salaminij, bello quod ab Athenienſibus cum Caſſandro & Macedonibus gerebatur; verbo, Athenienſibus; re, Macedonibus auxilio fuerant. Hujus proditionis cauſsâ, decreto Athenienſium, Civitas tota everſa eſt: ſedibus Salaminij pulſi: Aſcetales, qui Prætor obtinuerat Inſulam, capite damnatus eſt, Item Sacramentum adjectum, NEFARIÆ IPSIUS PRODITIONIS, ATHENIENSIBUS PERPETUAM MEMORIAM FORE. Et certè Pauſanias ſcribit, ſuâ etiam ætate, (ſub Adriano fuit) veſtigia hujus ruinæ extitiſſe. Sed præclarè Cicero, *libr.1.de offic.* de evertendis, diripiendiſque Urbibus, valdè illud conſiderandum eſt, ne quid temerè, ne quid crudeliter fiat: idque eſt viri magnanimi, rebus agitatis, punire ſontes; multitudinem conſervare: in omni fortunâ, recta atque honeſta retinere. Item *cap*. 35. CARYA, Civitas Peloponeſi, cùm Perſis adverſus Græciam conſenſerat, patriæ, libertatis, ſacrorum, fœderumque immemor. Igitur quod ad eam attinet, univerſam Græciam dolo malo prodiderat Xerxi. Verùm pôſt celebrem illam victoriam ad Salaminem, Græci (inquit Vitruvius) communi conſilio, Caryatibus bellum indixerunt; atque oppido capto, viris interfectis, deletâ Civitate, etiam matronas in ſervitutem redegerunt Sed & hoc conſtituerunt, ut hæ, earumque filiæ, licèt ſervitutem ſervientes; attamen neque deponerent ſtolas, neque matronales habitus: ut non uno triumpho Caryates ducerentur, ſed iſto exemplo tàm inſolitæ ſervitutis, perpetuaque iſtâ contumeliâ, pœnæ ſempiternæ ab ijs exigi viderentur. Reliquis Civitatibus, quæ Medum ſecutæ eſſent, licèt ab initio placuiſſet, ut earum decima quæque everteretur: veniam dederunt, inquit Ariſtides. Et demùm, *cap. ultim.* Cùm Annibal Pœnus cum exercitu in Italiâ eſſet, aliquotque pugnas populus Romanus adverſas pugnaviſſet: primi totius Italiæ, Brutij ad Annibalem deſciverunt. Id Romani ægrè paſſi, poſtquàm Annibal Italiâ deceſſit, Pœnique ſuperati ſunt: Brutios ignominiæ cauſsâ (inquit Gellius) non milites ſcribi, nec pro ſocijs haberi, ſed Magiſtratibus in Provincias euntibus parere, ac præminiſtrare ſervorum vice, decreverunt. Idem & adverſus Picentes, & Lucanios obſervatum, viatorumque & tabellariorum vice eos habere placuit.

Digitized by Google

CAPUT VIII. & Ultimum.

De Juriſdictione Univerſitatum.

EIuſmodi in Univerſitates, & Urbes municipales (quas rectiùs Provinciales adpellat Paurmeiſterus, *libr.2.de Iuriſdict.cap.ultim. num.32.*) Principi eſt Juriſdictio territorialis: eæque regulariter, mero, mixtoque Imperio deſtituuntur, *argum.l.30.ff.ad municipal.l.3. C de natural.liber.l.54.C.de Epiſcop.& Cleric.* Göden, *conſil.31.num.1.* Undè & privatorum ſunt loco. Etenim illæ Univerſitates, tantùm habent politiæ curam; quæ ut differat à Juriſdictione, vide Ærodium, *rer.judicat.libr.2.tit.12.cap.1.* Quemadmodùm & olim Magiſtratus municipales, non mixtum Imperium habuerunt; ſed ſimplicem tantùm Juriſdictionem. Erant namque Magiſtratus municipales minoribus Magiſtratibus adnumerati, qui de modicis & parvis Summis tantùm Jus dicebant, & ſine Imperio ac poteſtate conſtituti erant; *l.32.ff de injur.l.28.ff.ad municipal.* quamvis aliquali coercitione, ne vana & eluſoria eorum Juriſdictio eſſet, præditi erant: quæ quidem ad mixtum Imperium aliquo modo ſpectat; ſed tamen eius infimus eſt gradus; Bronchorſt, *centur.1.miſcell.aſſert.11.* Paulus Buſius, *ſubtil.libr.2.cap.14.* Arumæus, *Diſputat ad leg.præcip.2.theſ.4 ad fin* Quomodò intelligendum eſt, quod ſcribit Dn. Hilligerus, *ad Donell.libr.17.cap.7. liter.R* Imperium habuiſſe Magiſtratus municipales, pro modo Juriſdictionis ſuæ; quo effectui dare potuerint, quæ decreverunt: ſed illud Imperium moderatum fuiſſe ad modum Juriſdictionis. Verùm ab illis municipijs, ad noſtrorum temporum Urbes Provinciales, zu den Land: vnd Fürſten Stätten/ argumentum duci poſſe, probant Dn. D. Bocerus, *de Iuriſdict.cap.8 num.86 & ſeq* Scipio Gentilis, *libr.2. de Iuriſdict. cap.7.* Attamen hæc omnia dijudicanda ſunt ex uſurpatione, pactis, Privilegijs, Legibusque fundamentalibus cujuſque loci. Pertinet hùc, quod ſcribit Johannes Ferrarienſis, egregius ſanè JCtus, *in form. libell.in action confeſſor.tit.30.gloſ.7.num.11.* Ulteriùs quæro; Nunquid quælibet Univerſitas habeat generalem Juriſdictionem, cum mero & mixto Imperio, à Lege, vel à Conſuetudine, aut uſucapione? Breviter ſecundùm Bartolum diſtingue, ut eleganter tractavit, *in l. Imperium 3.ff de Iuriſdict. & l.1.ff. de damn. infect.* Quædam eſt Univerſitas, quæ facit, ſeu conſtituit unam provinciam, ut eſt populus Lombardiæ, vel Montisferrati, vel Tuſciæ, & ſimiles: & tunc talis Univerſitas, ipſiusque Rector ſeu Præſes, habet omnem Juriſdictionem, cum

mero

mero & mixto Imperio, *ut in l.1.& 3.ff.de offic.Rector.Provinc.& l.illicitas,§.qui univerſas.ff.de offic.præſid.* Quædam eſt Univerſitas, quæ conſtituit ſolam Civitatem: & tunc ipſius Rectori competit de Jure communi Juriſdictio ſimplex, in caſibus levibus tantùm, non tamen merum & mixtum Imperium, ut *C.de defenſorib.Civitat.l.1.& in Authent. de defenſorib. Civitat.§ Iudicare, & § audient, & §. Iusjurandum, in fin.* Fallit in Civitate Romanâ, ut *l 1.§.cùm urbem, ff.de offic.præfect.urb.* Fallit etiam hodiè in Civitatibus Lombardiæ, quibus merũ & mixtum Imperium eſt conceſſum per legem, & pacem, Conſtantiæ, & in aliquibus alijs Civitatibus, quæ hodiè infinitæ ſunt, quæ omnem Juriſdictionem, cum mero & mixto Imperio ſibi preſcriptione longiſſimi temporis quæſierunt, aut Imperiali conceſſione. Quedam eſt Univerſitas, quæ conſtituit aliquod ſimplex Caſtrum: & tunc aut iſtud Caſtrum ſubeſt alicui Civitati, & tunc ei nõ competit aliqua Juriſdictio, imò ipſa Civitas, cui ſubeſt, habet illam, quam exercet in illo Caſtro, & eius Univerſitate, ut *in l.qui ex vico.ff.ad municipal.* facit *l.4.Codic.de naturalib.liber.& l.nulli C de Epiſcop & Cleric. ut & Authent.quib. mod. natural.efficiant ſui.§ ſi quis igitur.* Aut tale Caſtrum nulli ſubeſt Civitati, ſed ſolùm Præſidi, vel generali Domino Provinciæ, & tunc habet illam eandem Juriſdictionem, de Jure communi, quam habet quælibet Civitas, ut patet in Caſtris Montisferrati, Pedemontium, Delphinatus, Cremæ, & Soncini, ſecundùm Azonem, *in ſuâ Summâ, C. de Magiſtratib.municipalib.* Quædam verò eſt Univerſitas, quæ non conſtituit Provinciam, nec Civitatem, vel Caſtrum, ſed quoddam Collegium artificum: ut puta lanificum, cerdonum, pelliipariorum, & ſimilium: & tunc habet ſimplicem & inferiorem inter ſeipſos Juriſdictionem, ut *l.penultim.& fin. C. de Iuriſdict. omn. Iudic.* de quo plenè notatur per Innocentium, *in cap.cùm ab Eccleſiarum.de offic Ordinar.*

II. Quandò Civitati cenſeatur conceſſa omnis Juriſdictio? diſquirit Georgius Everhardi, *tom 1.conſil.12.* Ergò quæri hîc poſſet: an oppida, quæ ſunt in Württembergico Ducatu, gaudeant Imperio mero? & quamvis Obrechtus, *de Iuriſdict. cap. 6. ad fin.* & etiam Dn. D. Bocerus; *de Iuriſdict.cap.3.num.90.* hoc affirment; Id tamen vix eſt, ut omni ex parte admittamus: cùm tàm accuſatio, quàm etiam ordinatio proceſſus, ipſaque ſententiæ executio Illuſtriſſimi Principis ductu inſtituatur; & Oppidano Senatui, cognitio cõpetat nuda, ac der Blutrichter ibi adſit tantùm pro formâ. Alt Württembergiſch Landrecht/ *part. [illegible] fol.4[illegible]* §.daß vor [illegible]m/ *ibi*, berechtet/ id eſt, de crimine cognoſci. Fürſtlich Württembergiſch Landts Ordnung/ *fol. [illegible]5* ubi fit mentio der Amptleut (qui vices Principis gerunt) [illegible] deß Gerichts Im-

 perium

perium merum, pertinet ſimùl ad facinoroſi apprehenſionem, cuſtodiam, torturam, criminis judicationem, & correctionem facinoroſi. Dn. D. Bocerus, *Diſputat. de Iuriſdict. theſ. 54. in claſſ. 5* Hos autem actus omnes, Decuriones oppidorum Württembergicorum exercere, nemo dicere poteſt.

III. Quæri item licet: an Jus dandæ Civitatis ſpectet ad municipij Decuriones? Ob Einer Statt ein Fürſt könne einen Burger auffdringen? Et quidem communiter hoc negant noſtri Doctores: qui aiunt, Cives creare, non eſſe de reſervatis Principum, ſed competere Ancianis ſeu Senioribus, Curatoribúſve Civitatum. Petra, *de Iure quaſito, cap. 15. num. 1. fol.* 208. Lancellottus, *Templ. Iudic. libr. 1 cap. 1. § 4. fol.* 411. Brunningus, *theſ.* 50. Et quoque interventus Superioris, in gravioribus tantùm actibus Univerſitatis, neceſſarius reputatur. Cravetta, *conſil.* 238. At quamvis hoc non negem: puto tamen Principem jure inſpectionis, generaliſque Juriſdictionis hîc debere & poſſe providere, ne repellantur idonei, & ſub prætextu cujuſdam Juris, Monopolia inſtituantur. Adhûc ergò minùs attendendum eſſe putant quidam Privilegium, quod ab Imperatore ſe habere nonnulli prætendunt, daß man ſie in allen Reichsſtätten ſitzen laſſe: quia inſuper turbaretur Statuum Juriſdictio, & autonomia irrevocabiliter illis conceſſa.

IV. Varijs inſuper Privilegijs propter utilitatem publicam, municipia inſigniuntur: quæ prærogativam Legum Civilium & Conſtitutionum, non autem communionem ullam cum Regalibus obtinent. Matthias Stephani, *libr. 2. de Iuriſdict. part. 2. cap. 2. num.* 30. Et varijs etiam ex cauſſis revocantur, de quibus enucleatè Brunningius, *theſ 59. & aliquot ſeqq. uſque 65.* Diſputari hîc poteſt; an impetrans Privilegium à Superiore contrà publicam utilitatem, dicatur feciſſe contra Juramentum, quo juravit, ſe promoturum utilitatem Civitatis? quâ de re conſulatur Modeſtinus Piſtoris, *part. 3. quaſt.* 121.

V. Quæſtio hîc itidem occurrit maxumè controverſa, & in causâ Brunſvvicenſi ab utriuſque partis Patronis agitata; An in Germaniâ ſint Civitates, inter Civitates verè Imperiales, vereque municipales, inter medium, ſeu mixtum Statum obtinentes: hoc eſt, quæ quidem Principem, in cujus territorio ſitæ, pro Superiori agnoſcant; ſed tamen Juriſdictionem, aliaque publica Jura, proprio Jure habeant, Imperij nimirùm, vel Imperatoris conceſſione? Et quidem, licèt Kniché, multis in locis, hoc acerrimè oppugnet: ac cōſentit Engelbrecht, *Diſputat. de Iuriſdict. Imper. Rom. theſ. 155. & ſeq.* videntur tamē rectiùs ſentire, qui hoc dicunt. Et idem jam olim agnovit Mynſingerus, *reſponſ. 10. num. 13.* ac ex recentioribus itidem propugnāt, Matthias Stephani,

phani,

Digitized by Google

phani, *libr.2.de Iuriſdict.part.2.cap.1.num.*18. Brunning. *theſ.*14.& 38. *innotat.verſic.hinc nova,&c.* Arumæus, *ad Aur.Bull. Carol.IV. Diſcurſ* 3. *theſ.*8.*&c.* Dauth, *in hypotypoſ.ſect.*7.*&c ac in Diſcurſ.ſingular de Rebpublic. Saxonic.* Junior Dauth, *in Diſputat. de hâc re, in part.2. Iur publ. Francoſort.* adde Conſilium Matthiæ Coleri 1. Waremundum ab Ehrenberg, *libr.2.de fœderib.cap.1.num.*35.*fol.*29.*&c.* Confirmari ſolet hęc diſtinctio Civitatum, præjudicio maxumè illuſtri. Civitas Hamburgenſis, unà cum Univerſitate Ducatus, cui illa adhæret, in feudum concedi ſolita ſemper fuit Holſatiæ Duci, cui & illa homagium præſtavit jam olim; & etiam hodiè quoque. Quod item ex Cranzio probat Hotomannus, *Diſputat.feudal. cap.*24. Verùm cùm illam Civitatem, multos antè annos Holſatiæ Principes, tanquàm ſimpliciter ſubjectam, mereque Provincialem ſibi adpropriare, inibique Imperium exercere niterentur; hanc litem ita diremit Carolus IV. Romanorum Imperator Lubecæ; Nempè (ut Cranzius, *Saxoniæ, libr.*10. *cap.*2. recenſet) juſſit Hamburgum, Comitibus, (nam tales tùm erāt, qui hodiè Duces Holſatiæ) parere; ſalvis libertatibus, quas ab Imperiali culmine promeruerunt. Quod nihil aliud eſt, ac ſi dixiſſet: Civitatem, quò ad ſuas immunitates, libertates, Privilegia, Imperio immediatè ſubjectam eſſe; horumque etiam reſpectu, Principem ipſi nil præcipere poſſe: undè ſanè ipſi plenè ſubdita, haud dici debet. Simile, & nuperum magis præjudicium habemus, in cauſſâ Braunſchweig contra Braunſchweig. Nempè Anno XCIX. XXVII. Septembris Spiræ Decretum, Ducique Brunſvvicenſi purè, & abſque clauſulâ mandatum fuit; ut ille à cognitionibus & proceſſibus cauſarum, quæ Civitatis Regalia tangunt, abſtineat omninò. De hiſce Civitatibus quoque Sixtinus, Juris publici conſultiſſimus Scriptor, *tract de Regal. libr.1.cap.4.num.*84.*&c.* ſcribit; Haſce Civitates, non aliter, quàm certis pactis, conditionibusque, alijs inferioribus Principibus ſubjectas eſſe: imò olim merè Imperiales fuiſſe (quod tamen ego de omnibus vix dixerim.) Indè tantùm quò ad illa pacta, & expreſſas conditiones, ſubditas cenſeri; in reliquis liberas manere, *argum l 2 ff de jur.immunitat.* Undè non ut aliæ Civitates merè Provinciales, *l. eum qui vectigal.*16.*ff.de verbor.ſignificat.* privatorum ſunt loco. Quin & pro hâc opinione, mixtum aliquem facientium Statum, militant etiam Imperij receſſus, ac potiſſimùm Auguſtanus, *de Anno* XLVIII. §. Solchem zu begegnen. Ibi: wie die See vnd Anſee Stätte/dem Reich oder andern vnderworffen / &c. Sed tamen & hoc eſt obſervandum, Civitatum mixtarum poteſtatem, vel ampliorem, vel anguſtiorem, nec uniformem eſſe. Undè Ampliſſimus Rulandus, *libr.*5. *part.* 2. *de Commiſſar.*

*cap.4.num.*47. tenorem pactorum, ac conditionum, quibus Principi ſubjectæ ſunt, ut & Privilegia inſpicienda eſſe, dicit. Qui idem differentiam (& meo judicio rectiſſimè) inter eas facit, quæ Regalia, & Privilegia ſua ab Imperatore, & eas, quæ illa à ſuis Principibus habẽt. Sic & Brunning. *theſ.*20.*in not.* circa quæſtionem, An ejuſmodi Civitates, exercitium Religionis mutare queant, Principe ſuo non volẽte? rectè monet, Privilegia eſſe perpendenda: quaſdam enim vigore libertatis, & Jure Regalium, publicè Religionem exercere; quaſdam inſuper peculiares cum Cæſare, ſuper negocio Religionis initas trãsactiones allegare. Ac quamvis noviſſimè Paurmeiſterus quoque, *libr.* 2.*tract.de Iurisdict.cap.ultim num* 17.*&* 31. tertium hocce genus Civitatum, ex eo oppugnet; quòd conſtitutiones & acta Imperij, nulla alia Civitatum genera agnoſcant: hoc tamen non me movet. Etenim nomen & diſtinctio hæc artificialis, & à Jureconſultis excogitata; ſed tamen ex rei ipſius naturâ deſumpta eſt. Quis enim non videt, notabilem differentiam eſſe inter eas Civitates, quæ Regalia, Juriſdictionẽ, libertatem, & alia Jura immediatè ab Imperio habent, in quorum exercitio non queant à Principibus ſuis impediri, ijsque non abſolutè, ſed ſalvis Privilegijs ſubſunt; & eas, quæ omnimodâ ſubjectione Principibus ſubjectæ ſunt; ac licèt Privilegia à Principibus habeant; tamen eorum revocatio, in Principum arbitrio poſita eſſe videtur. Et ipſe Paurmeiſterus, ſibi quaſi contrarius, *in hoc ipſo cap. ultim. ſub num.* 19 *ad fin.* fatetur: Civitates quaſdam eſſe, quæ non omninò, ſed in quibuſdam, à Principum & Ordinum aliorum Juriſdictione ac poteſtate exemptæ ſunt: & talem eſſe fatetur Magdeburgum. Ego verò non video, quomodò differat, negare Civitates mixtas, & fateri, quaſdam ex parte liberas eſſe.

VI. Porrò quamvis Statuta condere, Regalibus adnumeretur; nihilominùs tamen Civitates municipales, ſive Provinciales, licentiam illam habent: at de his tantùm, quæ negocia ipſius populi concernunt; & quæ Univerſitatis, vel eorum deputatorum adminiſtrationi liberæ ſunt commiſſa. Puta qualiter pecunia publica expendatur, vel frumentum vendatur, aut circa ſimilia, *l. ſi quid extraordinariũ, C. de legationib libr.*10. Moditius, § *plebiſcitum, quaſt* 4. Nam ſemper poteſtas faciendi Leges, regulatur ex Juriſdictionis, & adminiſtrationis modo, quã habet is, qui Leges facere cupit. Undè Juriſdictionem habens limitatam, poteſt facere Statuta in his, in quibus habet adminiſtrationem, ſeu Juriſdictionem; in alijs non, ſine licentiâ Superioris, Bartolus, *in l. omnes populi, num.* 1 *ff. de Iuſtit & Iur.* Sicque Univerſitas poteſt facere Statuta, in pertinentibus ad ſuam adminiſtrationem;

etiamſi

etiamſi illa Statuta in præjudicium ſingularium perſonarum, per cōſequentiam tendant. Moditius, *quæſt.5.* E contrà verò in ijs, quæ utilitatem publicam concernunt, vel patriæ totius, abſque conſenſu Superioris, nil diſponere Univerſitas poteſt. Doctores communiter, *in d.l. omnes populi ff de Iuſtit. & Iur* Nicolaus Betſius, *tract. de pact. famil. Illuſtr. cap.1. & 2* Bronchorſt, *centur.1. ἐναντιοφ. aſſert.6.* Rutgerus Rulandus, *deciſ. Iur. controverſ. quæſt.16.* Brunning. *theſ.51.* Parilem propter rationem collectas particulares, ut jam dixi ſuprà, exigere poteſt communitas: & quemadmodùm illæ collectæ, veniunt quaſi ex pacto; ita & hæc Statuta, vigore conventionis ſubſiſtere dicuntur. Hincque quibuſdam in locis Willkür indigitantur, à delectu ſeu judicio mentis Chur/ & liberâ voluntate Will. Elias Röberus, *Diſputat. ad Inſtitut.1. theſ.6. in notat.*

VII. Sed ad ſpeciem, ſeu exemplum perveniamus. Quæritur, an Magiſtratus municipalis Civitatis, qui Juriſdictionem omnimodam non habet, condere queat ordinationes de rebus, quæ venales in foro proponendæ ſunt; & maxumè, an poſſit alicui prohibere uſum fori, ſine causâ, verbi gratiâ, ut extraneus quiſpiam res eas, quas artifices & Cives illius Civitatis faciunt, ſeu operantur, venales haud exponat? Et quamvis hoc decretum ambitioſum, & monopolium redolere videatur; cùm ſit contrà Jus, quod vult, ut publicus locus, publicis uſibus ſit deſtinatus, § *At ſi quis verſic. Iure. Inſtit. de inutil. ſtipulation l.83. §.5. ff. de verbor. obligation.* Et tamen contrarium fuit deciſum, teſte Modeſtino Piſtoris, *part.4. quæſt.131.* Nam cùm forum Jure Dominij ſit in populi poteſtate, videtur Jure Dominij magis, quàm Juriſdictionis, facere poſſe tales ordinationes. Et quamvis Magiſtratus talis, nullam aliam cauſam haberet hujuſmodi decreti, quàm commodum Civium ſuorum: & tamen ea cauſa ſufficiens eſſe videtur. Cùm enim Cives ſolvant tributum, & ſuſtineant alia onera Civitatis, meritò juvātur illi ejuſmodi decretis, præ alijs extraneis, qui talia onera non ferunt. vide etiam Klock, *Diſputat. de vectigalib. theſ.54. & ſeq.*

VIII. Sed hîc omninò notandum eſt, quòd hæc communitatum Statuta, ſubditos tantùm, non dominum, vel eius uxorem comprehendant. Sic, cùm oppidi cujuſdam Statutis proſpectum eſſet, quemadmodùm ſubditi hereditates inter ſe obirent: accidit, ut Nobili eius Civitatis Domino, uxor moreretur, liberis univerſaliter heredibus inſtitutis, præteritiſque ijs, quibus portio certa ex Statuto debebatur; cœpit igitur dubitari, ratúmne eſſet, quod teſtatrix hac ratione, contra formam Statutorum ordinâſſet? Et quamvis in validitate teſtamenti ordinanda, conſuetudo domicilij teſtatoris, inprimis

Digitized by Google

ſoleat attendi, *l.13.§.1.ff. commun. prædior. cum ſimilib.* attamen contrarium concluſum fuit: Jacobus Schultes, *practicar. quæſtion.3.* quia nempè Statuta, etiam à Superiore confirmata, ſubditos tantùm, non dominum, & eius uxorem, vel liberos comprehendunt. Namque cōtra naturam Legis eſt, ut ipſum Legislatorem ſanctione ſuâ obliget, *argum. l.18. ubi gloſ. C. de ſolution.* Majus dubium eſt; An Statuta Civitatis ligent Judicem non Civem, ſed Superioris locum tenentem? Et quamvis Modeſtinus Piſtoris, *part.2. quæſt.8.* variè diſtinguat; Ego tamen ſentio, Judicem ejuſmodi Statutis, niſi ſint à Superiori approbata, non teneri. Nam ſi illud factum fuerit, tunc cenſentur magis Statuta ſuperioris, quàm inferioris: cùm à potiori denominatio fiat. Si verò non ſint confirmata, tunc Judicem in perſonalibus haud obligatum cenſerem. Quamvis enim incola ſit, eſt tamé privilegiatus: quoad bona verò immobilia, ea ſubjacere puto Legibus Civitatis.

IX. Quæri itidem poteſt: Si quæ Civitates habeant Imperium merum, Principis largitione; an hoc exercere poſſint adverſus aulicos, aliosve, qui de familiâ Principis exiſtunt? Quod negatur à Matthia Stephani, *de Iuriſdict. libr.2 part 2 cap.2. num 41.* Vide Georgium Everhardi, *tom.1 conſil.68.* Nam ſi exempta eſt perſona ab alicujus foro, exempta quoque eſt tota domus, & eius familia, *l. non aliter, ff de Iudic.* Ac exemptio Domino competens, etiam ad familiam & Miniſtros extenditur, ſine quibus is eſſe nequit, *argum l huius, ff qui potiores in pignor. hab* Cùm ergò Princeps ſit exemptus, & Princeps commiſerit Civitati Imperium merum; non poſſunt vigore illius puniri, quos Princeps ex Juris præſumptione excepiſſe, & ſpecialiter in ſuam cliētelam recepiſſe intelligitur. Quod & Heigio placet, *part.2. quæſt.25.* Verùm Nobiles in Marchiâ puniuntur à Civitatibus. Scheplitz, *part. 4. tit 13 §. final.* Et certè cum Brunningo, *theſ.27.* adhuc notabili limitatione coerceo hanc opinionem: ut nempè locum vix tueri poſſit in Civitatibus, quæ oneroſo titulo, maxumè hâc adjectâ clauſulâ Juriſdictionem acquiſiverunt; ut tàm liberè poſſint exercere Juriſdictionem, quàm prædeceſſores Principis, vel ipſe concedens eâ potuerit uti. Quò confert, *l in officiales, C. de offic. Rector. provinc.* ubi expreſsè dicitur, quòd Rectores, vel Præſides Provinciæ, qui præfectis Prætorio inferiores erant, officiales quoſcunque præfectorum delinquentes [illegible] poſſint. Ad quam Legem Bartolus notanter ac generaliter [illegible] Judicem minorem poſſe punire officialem majoris, in ſuo ter[illegible]nquétem. Sed nihilominùs cum Caſparo Leopoldo, *theſ.* [illegible] *concurrent. Iuriſdict quæ eſt in Diſcurs.* Arumæi, *de jur. pu*[illegible] *Diſcurſ.13.* ſemper reputarem: Civitates Provinciales, prætenden-

tendentes adverſus Dominum Univerſalis territorij, atque eius Præſides, privativam Juriſdictionis conceſſionem, id omninò neceſſe habere probare. An hoc in caſu Princeps poſſit dare ſalvum cōductum, quòad Civitatem, mero, mixtoque Imperio gaudentem? diſquirit Georgius Everhardi, *tom.1.conſil.16*. Et Num Cives poſſit Princeps teſtimonij causâ evocare? Idem Everhardi, *tom.1.conſil.7.* diſputat, & ferè ſimilis caſus eſt apud eundem, *conſil.17*.

X. Nec à propoſito multùm diſcrepans quæſtio vertitur, inter Dominum Mareſcalcum hereditarium de Pappenheim / & Imperiales Civitates, ubi Comitia celebrari ſolent: utrùm ſcilicèt prædictus Sacri Imperij Romani Mareſcalcus, vigore officij ſui, Juriſdictionem in civilibus & criminalibus cauſſis, in extraneos Comitia Imperij ſequentes, ex vi commiſſæ ſibi poteſtatis exercere queat? Et quamvis deciſio illius quæſtionis, ex Camerâ Imperiali petenda videatur; Et licèt item Bertram, *Diſputat. de Comitijs, theſ.60.& ſeq.* apud Arumæū, *Diſcurſ. de jur. public. fol.163.* contrarium aſſerat: non tamen pręter magnam rationem dici poteſt: Aulæ Cæſareæ Mareſchallum, in eos, qui ejuſdem Aulæ ſunt addicti; hereditarium Mareſchallum, in Legatos, Legatorumque familiam; At verò Senatum Civitatis, in advenas cæteros habere Juriſdictionem. Nam cùm Civitates habeant territorij Jura, & ita merum mixtumque Imperium, ceu jus territorio inhærens; id ipſis competit, in omnes quomodocunque delinquentes, *l.7. §. Idem, l. ult. ff. de accuſation. l.1.* ubi Sichardus & Vultejus, *C. ubi de criminib agi oport.* Exceptis, per rationes ſuprà deductas, ſolis Aulicis Imperatoris, & qui Aulam ſequuntur; putà Deputatis Imperij Statuum: namque ij, ad Imperatorem ſunt miſſi. Et addantur hiſce quæſtionibus ea, quæ docui, *libr.1. politicor. cap.2. num 28. ad fin.*

XI. Sed ánne Civitas, merum, mixtumque Imperium habens, illud exercere poteſt, in Principis Vaſallos, in Civitate delinquentes? Et quidem, quamvis in theſi, hæc res vix queat decidi: in dubio tamen id affirmarem. Namque generalis conceſſio, intelligitur ſecundùm naturam rei conceſſæ. Sed merum Imperium, hanc habet naturam, ut eius vigore puniri queant omnes in territorio delinquentes; etiam majores. Ac quoque hâc in parte, diverſitatis eſſe rationem, inter Principis Aulicos, & Vaſallos, ſeu Nobiles extra Aulam, eleganter oſtendit Matthias Stephani, *dict. libr.2. de Iuriſdict. part. 2. cap. 2. num. 100. &c.* Ac confert hûc, quod docet Decianus, *prax. criminal cap 17. num. 26.* etiam delegatum Principis poſſe puniri à Judice ordinario eius loci, in quo deliquit; ſi extra terminos cauſſę delegatæ delinquat. Haberi tunc nempè pro privato, ac ut privatum puniri. Quantò ergò

magis

Digitized by Google

magis hoc dicendum erit de Vaſallis?

XII. Tandem & de hoc quæri poteſt: an merum & mixtum Imperium habens, punire poſſit delicta, quę jure ſingulari Principis prohibita ſunt? Et quamvis id neget Johannes Petrus Surdus, *conſil.* 152. opinio tamen contraria, quæ Nattæ, ut *dicto loco* Surdus atteſtatur, placet; magis vera videtur: nempè etiam hoc in caſu, merum mixtumq; Imperium habentem, punire poſſe delinquentes. Quippè, qui mero Imperio pollet, punit delicta, à Jure naturali, Cæſareoque vetita; nec tantùm ea, quæ ipſe merum Imperium habens, prohibuit. Vide Conſilium elegans & latum Caſpari Antonij Theſauri, *in addition ad deciſion. ſui patris, poſt addition. ad deciſ. 133. & in fin.* illarum additionum habetur aliud Conſilium Bagnaſachi. adde Cravettam, *conſil* 411. Facit, quòd Imperium quædam Univerſitas ſit, ubi nihil eſt exceptum. Et ita nec mulcta poteſt adplicari ſuperiori. Nam qui habet Imperiũ, habet etiam fructus. Jus ſuperioritatis conſiſtit in prohibitione, non in executione. Et ita non abſurdum eſt, alium habere prohibitionem, alium mulctam. Sunt namque ſeparata ipſo jure, & illud pertinet ad Regalia, hoc ad Imperium merum. In Academiâ quidem Tubingenſi, wann ein Studioſus wildpret ſchieſſet, amittit Privilegium Studioſi, & à Principe punitur: ſed id eſt ſingulari Lege conſtitutum. Multò minùs ergò, municipalis Civitas talis, in præjudicium Principis ſuperioris, aliquid moliri; eiúsve Juriſdictioni ad placitum ſe ſubtrahere, aut alterius protectioni, graviſſimis ſine cauſſis, ſeſe ſubmittere poteſt. Caroli IV. Bulla aurea, *tit.* 16. Thomas Michaël, *Diſputat. de Iuriſdict. theſ.* 138. quâ de re & Ego, *in tract. de fœder. jur. cap.* 3 *num.* 13. ex profeſſo egi.

DISSERTATIONIS JURIDICO-POLITICAE VI. & Ultimæ, De Jure Territoriorum,

CAPUT I.

Quid ſit Territorium?

RERUM Univerſitas, communiter territorium appellatur, quod varias habet ſignificationes. (1) Sumitur pro Univerſitate agrorum, intrà fines cujuſque Civitatis, oppidi, vel villæ, aut Caſtri: ut Pomponius JCtus reſpondet, *in l. pupillus*

239. §.

Digitized by Google

239.§.*territorium* 8.*ff.de verbor.ſignificat.* Agri verò verbum hìc capiédum eſt, non ſtrictè; ſed & pro contentis in agro, ſylvis, vineis, lacubus, fluminibus, &c. Albericus Gentilis, *ad dict. l. 239.§. 8. ff. dict. tit.* Unde Hebræis pro territorio, dicitur ager, Druſius, *ad libr 1. Samuel. cap.6. verſic.* 1. (2) pro Univerſitate agrorum, cum Juriſdictione, vel parte terrendi: ac ita appellatur ſpacium terræ, munitum & armatum Juriſdictione: eoque reſpectu dicitur, Juriſdictionem materialiter, & paſſivè territorio cohærere, tanquàm nebula ſuper paludem. Natta, *conſil.149.num.19. tom.1.* vide Vultejum, *ad l.1. C. de Iuriſdict. num. 9.* Eaque occaſione quæri ſolet: an territorium & Juriſdictio ſint idem, hoc eſt, an qui Juriſdictionem habet, etiam territorium habeat, & è contrà? Guilielmus Onciacus, *quæſtion. Philoſophic. 25.* Sic quamvis agri ſint ſingulorum; tamen Dominium univerſale ad territorij Dominum ſpectat. Sumitur enim in hoc ſecundo ſignificatu, territorium pro diſtrictu Juriſdictionis; in quo territorij Dominus, vel ab eo conſtitutus Magiſtratus, jus terrendi, vel notionem, aut Imperium habet, *l.final.ff.de Iuriſdict.* Paurmeiſter, *libr.1.de Iuriſdict.cap.30.num.7.* Sic & Hebræi Provinciam מדינה *Medina*, vocant, à דין *Din* quod eſt judicavit: vide Avenarij *Lexicon*. conſonat Germanicum, Ein Gerichtszwang. Undè & territorium, quidam ab eo dictum autumant; quòd Magiſtratus eius loci intrà eos fines terrendi, id eſt, ſubmovendi jus habeant. Becmannus, *in originib. verbo tero fol.850.* Scipio Gentilis, *in originib. verb. territorium.* Quamvis Varro, *libr.4.* Territorium dictum putet, quòd maxumè teratur. Siculus Flaccus, & poſt eum Iſidorus, *libr.14.cap.5.* Territorium vocatum ait, quaſi tauritorium: tritum bobus & aratro. Antiquos enim, ſulco ducto, poſſeſſionum & territoriorum limites deſignaſſe, vide Doctores, *ad l. 239. ff. de verbor. ſignificat.* Et porrò, quatenùs territorio, in hâc ſecundâ ſignificatione ſumpto, Juriſdictio adhæret; rei ſitæ ratione forum ſortiri, & illius rei reſpectu ſubditum eſſe etiam eum, qui perſonæ ratione forenſis eſt, dici ſolet. Ubi major reſpectus habetur ad rem, quàm perſonam, *l.7.ff.de publican. & vectigal.* Undè & Clericum ratione bonorum, coram Judice ſeculari conveniri poſſe, receptius putat Gail, *libr.1.obſervat.137. num.4.* Mynſingerus, *centur.1. obſervat.22.* Quin ratione rei, etiamſi poſſeſſor honore ſuperior ſit, inferioris tamen Juriſdictionem ſubit. Eoque reſpectu, ſubditum quem tradunt, etiamſi emineat Regiâ dignitate. Licèt ea ſubjectio impropria ſit, & tantùm ad res reſtricta. vera namque & omnimoda ſubjectio, ſimul perſonam ligat. Vide Hilligerum, *ad Donell.libr 17 cap.17. à princip.* Addi debent de territorio agentes latè Knichen, *de jur. territor.* & Johannes Steinberg, *in Diſſer-*

tat. de territor. quæ extat tom. 5. Diſputat. Baſileenſ.

II. Politicam hîc attingere lubet quæſtionem; An nempè ſine territorio, Reſpublica eſſe poſſit? Seu an ad conſtituendam Rempublicam veram & legitimam, requiratur, ut homines conſentiant, ſive tacitè, ſive expreſsè, in cohabitatione certo loco? Seu an inter Zingaros & Hamaxobios, vera Reſpublica ſit? cùm perpetuò de loco in locum migrent, nec certas habeant ſedes. Hacque de quæſtione, & ego egi, *libr. 1. politicor. cap. 1. num.* 44. Verè Rempublicam non faciunt, ſed tamen impropriè; ſi ita populus agminatim diſcurrat, ut poſſit terrendi, & imperãdi jus habere, quocunque eat. Quemadmodùm Tartari, aut etiam Arabes, qui vagi ac otioſi, & tamen Regem habent, quem ſummè colunt. Rauwolff in ſeiner Raiß *fol. mihi* 159: Et eâ ratione alicubi, *in tractat. de jur. territor* Knichen ſcribit; Belli Ducem, Juriſdictionem ſuam exercere poſſe, ubicunque exercitus exiſtat.

CAPUT II.

De Diſcontinuatione & finibus Territoriorum.

Porrò territorium hoc, non continuum ſemper: ſed quandoque aliarum Rerumpublicarum provincijs interruptum eſt. Imò poteſt aliquis Rex Juriſdictionem habere, in parte aliquâ territorij alterius Regis. Et multa ſunt in territorio, quæ minimè tamen de territorio exiſtunt: parique greſſu incedunt, locum eſſe extra territoriũ, & exemptum, ſeu non ſubjectum exiſtere. Knichẽ, *de jur. territor. cap. 4. in princ.* Et ſic contingere poteſt, ut intrà fines quid ſit, nec tamen territorij ſit. Siquidem in alieno agro, ſeu Regione, incluſa videmus, quæ Jure terrendi ad alios ſpectant. Proindè territorium eſt Univerſitas, hoc eſt, collectio quædam Juris intellectu; non tàm unitio corporum, ſeu agrorum. Albericus Gentilis, *ad dict. l. 239. §. 8. ff. de verbor. ſignificat.* Hæc tamen diſcontinuatio Dominiorum magnas parit difficultates atque confuſiones. Nam quod de contiguitate privatarum poſſeſſionum, diſputat Plinius Junior, *libr. 3. epiſt.* 19. nempè non minùs utile, quàm voluptuoſum eſſe, poſſe prædia bina, eâdem operâ, eodem viatico inviſere; ſub eodem Procuratore, ac penè ijſdem actoribus habere; unam villam colere & ornare, alteram tamen tueri, &c. hoc itidem ferè de Imperijs dici poteſt. Nempè, quæ contrariorum aut diverſorum generum exiſtunt, haud facilè ad ordinem aliquem

Regi-

Digitized by Google

Regiminis redigi poſſunt. Contrà ea, quæ unius generis ſunt, longè faciliùs reguntur, & in ordine continentur.

II. Eaque ratione, etiamſi Rex Hiſpaniarum, opibus immenſis, & theſauris cumulatus eſſe videatur; & quamvis plurimis imperitet Regnis, ſpacio terrarum, hominumque multitudine abundè dotatis, ita ut nullus unquàm ferè fuerit Monarcha, qui ei æquiparari poſſit: quod ſingulari Diſcurſu docuit Horatius Malaguzzi, qui extat *in Theſaur. politic. part.* 2. addatur Dn. D. Lanſius, *Orat. pro Hiſpan. fol.* 223. *&c.* Quamvis item ſollemnitas Miſſæ, nō niſi ante meridiem celebretur; & tamen per diem æquè ac noctem, in Hiſpanico territorio, nullus abeat horæ quadrans, quo non illud fiat. Thomas Campanella, *de Hiſpan. Monarch cap.* 4. Nihilominùs tamen, potentiâ vix ſuperare Galliæ Regem exiſtimatur. Keckermannus, *Diſputat. practicar.* 31. *problem.* 15. Theſoro politico, *tom.* 1. *relat. di Spagna, fol.* 88. & adhuc minùs comparari poſſet Hiſpanica potentia Germaniæ, ſub unum parileque Imperium redactæ. Et adferunt inprimis Gallicanæ potentiæ patroni; quòd Franco-Gallici Regni partes omnes, arctè & quidem circulariter ſunt continuatæ, linguaque & moribus unitæ. &c. Vide la Noüe, *Diſcours.* 20. Theſoro Politico, *part.* 1. *relat di Francia, fol. mihi* 167. Indeque Galliæ Rex Franciſcus, multitudinem titulorum, Hiſpaniæ Regum riſit jam olim: & loco pompoſæ inſcriptionis, quâ Carolus V. Imperator utebatur; præcepit, ut literis dicto Imperatori præſentandis præfigeretur ſolùm: Franciſcus, Dei Gratiâ, Franciæ Rex, & Dominus Goneſſæ; quæ pagus eſt minimus totius propè Regni. Guazzo, *Dialog.* 2. *fol. mihi* 64. Et ſanè Rex Hiſpaniarum, toto ſuo Imperio, uti non poteſt; quodlibet namque Regnum indiget ſemetipſo, & alteri ſuccurrendo, debilitat ſemetipſum: ſicque ad mutua auxilia ferenda, non ita promptè, prout res poſtulat, concurrere poteſt. Videatur la Piedra del Paragone, *d. Trajano Boccalini*, non uno in loco, & præſertim *cap* 1 ubi fingit Hiſpaniæ pondus, propter acceſſionem Regni Neapolitani, & Ducatus Mediolanenſis, non accreviſſe, ſed minus redditum fuiſſe. Qui idem *centur.* 2. *ragguagl.* 90. *ad fin. fol. mihi* 402. Hiſpanos nil juvare ait, quòd poſſideant Orbes multos; proindè ex ſententiâ nonnullorum, mole ſuâ laborare videtur Imperium Hiſpanum. Namque ut Hiſpani ipſimet in communi proverbio dicunt: *No todo lo grande es bueno, ma todo lo bueno es grande.* Non omne magnū eſt bonum; ſed omne bonum eſt magnum. Floreſta Eſpagnola, *libr.* 11. *cap.* 1 *num* 4 Hiſpanicum Regnum caput eſt, diverſa corpora habens: & ita aiunt, magnitudinem ipſius eſſe monſtroſam; hoc eſt, nō Rempublicam exiſtere unitam. Galliam item Hiſpaniæ multùm præfert

Buchananus, *in ſcripto illo, cui titulum fecit, fratres fraterrimi*, ubi de adventu ſuo in Galliam agit:

Iejuna miſeræ teſqua Luſitaniæ,
Glebaq; tantùm fertiles penuriæ,
Valete longùm. At tu beata Gallia
Salve bonarum blanda nutrix artium.
Cœlo ſalubri, fertili frugum ſolo,
Vmbroſa colles, pampini molli comâ. &c.

Sed verò adparet potentia Hiſpaniæ Regis, quòd potentiſſimis hoſtibus, cùm tamen ferè non niſi æmulos habeat amicos, reſtitit hactenùs feliciter. Ac quoque, ſi Hiſpanica Regna probè unita, in uniusq; formam æquabilem redacta eſſent; ſi item per Colonias Indicas, & bella externa non exhauriretur; certè potentiſſimum Regnum eſſet, ac item Johannes Boterus, *tract. del. ſtat. fol. mihi* 10. *&c* ſatis adpoſitè probat: Hiſpanico Regi prodeſſe, diſtantiam ac diſiunctionem ſuarum ditionum; cùm eæ ita ſint comparatæ, ut ſingulæ per ſe, defendere ſemet poſſint. Cùm unà ſimul non queant oppugnari omnes: & nec ſubditi ſimul unà contra Principem conſpirare poſſint; ac ita in proclivi ſit, ſubſidio fidelium caſtigare rebelles, & viribus Regnorum non oppugnatorum, ſuccurrere ijs, quæ periclitantur.

III. Territoria varios terminos habent; territoriorum diviſiones de Jure gentium introductæ ſunt: & genus humanum conſervari aiunt, propter Juriſdictionum diviſiones. Hieronymus de Monte, *tractat. de finib. regund cap.* 1. Ad hancque diſtinctionem conſervandã, & denotandam, termini ſunt inventi. Et ideò terminus, limes, vel cõfinis, dicuntur eſſe ſigna, demonſtrantia finem, *l. 2 in princip ff de termin. mot.* Ac communiter ſaxa, quæ terminales lapides vocantur, ſunt pro limite: Landtgränſtein. Sed & Civitates, vel Caſtra, & Provinciæ, varios terminos habent: aut ſcilicèt mare, vel ripas fluminum intercurrentium, vias Regales, montes, aut muros, aut ſtipites, &c. Quò refero etiam valles, foſſas, aggeres; Landtwähren/Landtgräben/ quibus de rebus eleganter & pluribus Hieronymus de Monte, *in tract. de finib. regund. per Diſcurſ. præſertim* 14. *priorib. capp.* agit, ut & Fautor meus, Rutgerus Rulandus, *tract. de commiſſar. libr. ultim. cap.* 1. *& ſeqq.* Saxones terminos vocant Weichbildt. vide Treutlerum, *Diſputat.* 1. *fol.* 17. ubi malè notationem adfert. Dicitur Weichbildt/ ein Bildt/ oder Stockh/ dem man weichen ſoll/ arcés vicinorum Juriſdictionem. Vocant etiam Jus municipale Weichbildt/ quaſi intrà limites valens. Et tandem termini limitesque Imperiorum ſunt divini, quos ipſe ponit DEUS: eorumque mentio fit Exodi, *cap.* 23. *verſic.* 31. Hosque fir-

Digitized by Google

miſſimos reputare debemus, eos item egredi non licet. Sicque termini certi, tàm temporis, quàm loci ratione poſiti ſunt Imperio Turcarum. &c.

IV. Termini verò, aut ſunt totius Imperij, aut ſingularum Provinciarum, vel etiam Univerſitatum. Nam ut Provinciæ alicujus, Civitates, Caſtra, &c. poſſunt eſſe plura; ita etiam pro numero Civitatum illius Provinciæ, totidē in Provinciâ illâ territoria ſunt: & ſicuti Civitates illæ conjunctæ totum aliquod conſtituunt, quod Provinciam nominamus; ita territoria illa plura conjuncta, unum iterum conſtituunt territorium univerſale. Vultejus, *ad l 1. num. 8. C. de Iuriſdict.* De fluminibus publicis, ſi limites (hoc eſt, ſi inter duas Juriſdictiones, ſeu in confinio duorum territoriorum) ſint, id obſervandum eſt: ut in dubio communia eſſe præſumantur. Et proindè Juriſdictionem cuilibet territorio competere, in ipſo flumine, uſque ad mediũ; *argum. l. 19 ff. commun. divid. l fin ff. pro ſoc. l. arbor, ff. de rer. diviſ. cum ſimilib.* Bartolus, *in tractat. de fluminib. verſic. acquiritur nobis. num.* 8. Cæpolla, *tractat. de ſervitutib. ruſticor. prædior. cap.* 13 *num.* 14. Sicut etiam ad mare, ſi Provincia ſita ſit, territorium dicitur habere in mari. Cæpolla, *dict. loc. cap* 26. *num.* 26. Et inibi poteſt agi finium regundorum. Baldus, *in cap. ex literis. extr. de probation.* ac dixi ſuprà, *in Diſſertat. de Iure rerum. cap.* 1. *num.* 8 Præterea ſi flumen publicum, duo dividat territoria, & id alveum mutet impetu aquarum; ob id territorij fines non mutantur, *argum. l. damn.* 18. § 4 *ff. de damn. infect. l.* 1. § *illud, l.* 3. § 2. *ff. de aqu. quotid. cum ſimilib.* Nec alluvionis Jus, in Juriſdictione, vel territorio vendicat ſibi locum: hoc eſt, Jure alvei derelicti, territorium haud augetur. Qua de re Agenus Urbicus refert, Caſſij Longini reſponſum. Caſſius, inquit, Longinus decrevit, ut quicquid aqua lambendo abſtulerit, id poſſeſſor amittat: quoniam ripam ſuam, ſine alterius detrimento tueri debuerat. Si verò majore vi decurrens, alveum mutavit, ſuum quiſque modum agnoſcat. Quia non poſſeſſoris negligentiâ, ſed tempeſtatis violentiâ abreptum apparet, quod & Bartolus, alijque ſequuntur, adducti à Valentino Forſtero, *tractat. de Iuriſdict. part.* 2. *fol. mihi* 612. Ex quo decidi poteſt illa quæſtio, de quâ latè & doctè Petrus Heigius, *part.* 2. *quæſt. ult.* agit. An nempè de aquis & fluminibus inveſtitus, fluviatica incrementa, Jure feudi ſibi vindicare, ſublato alluvionum Jure poſſit; & cujus Juriſdictionis cenſeantur, quæ per alluvionem accreverunt?

Digitized by Google

CAPUT III.

Varias de finibus territoriorum Diſceptationes continens.

OCcaſione finium, territoriorum Juriſdictiones ſeparantium, multæ occurrunt quotidiè controverſiæ ſat graves: quarum nonnullas proponere lubet. Dubitatur enim, quid Juris ſit, ſi delictum in aliquo territorio ſit cœptum, in altero conſummatum? Et quidem cum Deciano, *prax. crimin. libr. 4. cap. 17. num. 6.* & Caſparo Leipoldo, *tractat. de concurrent. Iurisdict. quæſt.* 14. utroque in loco aliquem puniri poſſe putarem, ſi ſcilicèt delictum diviſibile exiſtat. Verbi gratiâ, aliquis in uno territorio aliquem cepit, & in altero exſpoliavit; tunc de capturâ judicatur à Magiſtratu loci, in quo illum cepit, & de ſpolio à Judice territorij illius, in quo illum ſpoliavit: nam quilibet Dominus, ex delicto in ſuo territorio commiſſo, ſolus habet Juriſdictionem, nec in eâ cōcurrunt. Pariter ſi duo tractatum fecerunt, de occidendo Titium, & unus ipſorum illum interfecerit in alio loco; poterunt puniri, de tractatu in loco, quo illum machinaverunt: quia tractatus delictum eſt per ſe, & in ſpeciale crimen cadit; ac ab homicidio ſubſecuto dividi poteſt. Sic, ſi in uno territorio tantùm vulnus inflictum, in altero verò mors illata; illius Domini ſolùm, de vulnere cognitio erit: hujus de morte; etiamſi in alio poſtea territorio moriatur læſus. Nam mortiferè vulneratus, occiſus reputatur tēpore vulneris mortalis inflicti: licèt multò pòſt moriatur. Si verò delictum indiviſibile ſit; putà, ſi quis in aliquo territorio exiſtens, bombardâ exploſâ, petat aliquem in alio territorio exiſtentem? tunc amputatis diſtinctionibus, quas Decianus adducit, *dict. loc. num* 95. *&c.* dicerem, utrobique eum puniri poſſe: nam utriuſque Juriſdictionem violavit, ſed præventioni locum eſſe; Rudolphus Volcmarus Heſs. *Diſputat. de for. compet.* ex prælectionibus Dn. Friderici Martini deſumptâ, *theſ.* 18. ne quis duabus vicibus propter unum delictum puniatur. *l. 3. in fin l. 6. §. fin ff. naut. caupon ſtabular. ut recept. reſti. l. ff de privat. delict* Utriuſque quidem loci Dominus Judex eſt, potentiâ ſaltem, non actu; & ideò locus eſt præventioni. Paulò aliter hâc de re agit Farinacius, *quæſt. crimin. 7. num. 44. & ſeqq* ac Zangerus, *de exception cap. 1. num. 230. &c.* Petrus Theodoricus, *in Colleg crimin. Diſputat. 4. theſ. 3. liter. A.*

II. Quæritur porrò, circa delictum in confinio, auff der Gräntz vnd Anwendung/ duorum territoriorum perpetratum: ſi non cõſtet, in utro illud ſit inchoatum, vel perfectum, ſi nempè delictum, quaſi in centro duorum territoriorum, Mitten auff der Marckſcheidung ſit commiſſum, Wann ſie einander/ vmb vnd vber die Gräntz gejagt; An confines, in Juriſdictione concurrant? Quod mihi vero ſimilius videtur. Caſparus Leipoldus, apud Arumæum, *de Iur. public. Diſcurſ. 13. quæſt. 11; fol. mihi 287.* Nam ibi de delicto agitur, ubi illud eſt perpetratum: hoc autem in caſu, quaſi in utriuſque territorio, criminoſus cenſetur deliquiſſe; maxumè, ſi cadaver occiſi, utrumque territorium attingat, & ſanguine polluat. Ac in dubijs, & indifferentibus caſibus, mediam viam ingredi debemus: *argum. §. final. Inſtit. quib. ex cauſ. manumitt. non licet*, media autem via videtur, ſi utrique cognitio adjudicetur. Ac hinc præveniens, cadaver judicialiter tollendo, particulam, vel de corporis, vel eius veſtis parte ſanguinolentâ (Fraiſchpfandt/ oder auch Stich: vnd Wundtmaß/ appellitant) in teſtimonium homicidij, ac teſſeram criminalis ſuæ Juriſdictionis, auferre poteſt: nec eo Juriſdictionem alterius violâſſe cenſebitur. Idemque Judicium eſſe videtur, ſi occiſus in flumen publicum, quod utriuſque territoria diſterminat, proijciatur: niſi evidentibus ſignis, indicijs ac præſumptionibus urgentibus, cædes in alterutrius Dominorum territorio peracta evincatur. Quâ occaſione rurſus hæſitatur: ex quibus indicijs præſumi poſſit, cædem in confinio factam, in hoc vel illo territorio perpetratam eſſe; & per conſequens, quis ſibi ſumere debeat Juriſdictionis partes? Vulgò caput ad ſe trahere, totius corporis Juriſdictionem ajunt. Ita ut primus actus (das Auffheben) non tantùm inchoari poſſit ab eo, in cujus territorio caput invenitur; ſed & cognitio atq; executio ſuſcipi queat. Vide de hâc re, Niellium, *Diſputat. ult. de feud. Corollar. 2.* Zangerum, *de exception. part. 2 cap. 1. num* 238. Matthiam Stephani, *tractat. de Iuriſdict. libr. 1. cap. 30. num.* 43. Hackelmannum, *illuſtr. quæſt. 8. theſ. 2.* Treutlerum, *Diſputat. 19. theſ. 4. volum. 1.* Roſenthal, *tract. de feud. cap. 5. concluſ. 21. in allegat. lit. a.* Verùm ego nunc planè diſſentio ab hac opinione. Nec ea juvatur, *per l. 44. ff. de religioſ. & ſumptib. funer.* Ubi reſpondet JCtus, cùm in diverſis locis aliquis ſepelitur, eum ſaltem locum effici religioſum, ubi ſitum eſt caput. Emundus Merillius, *obſervat. libr. 2. cap. 40.* Namque exindè, tanquàm à noſtro caſu diverſo illatio fieri nequit. Non enim noſtra quæſtio, ex præſtantiâ partis, quæ in alicujus territorio reperitur, eſt definienda; ſed ex præſumptione cædis perpetratę. Eius enim cognitio eſt de delicto, in cujus territorio illud eſt commiſſum. *Novell. 134. cap. 5.* At ſi ex cor-

Digitized by Google

poris ſitu, aliqua ſumenda eſt conjectura; magis præſumitur cædes facta eò loci, quo corporis pars inferior reperitur, quàm quo ſuperior. Eſt enim notiſſimum, quòd is, qui cadit, capite, ut & reliquâ corporis parte, alium locum occupet, quàm eum, quo antè ſtetit. Pedes autem eundem locum ſervent, quem antea occupabant, vel ſaltem ei quàm proximum. At cùm conjecturæ cædis, ex parte corporis quæ colligũtur, non rarò fallere poſſint; fortè enim moriturus, ſe in alium locum provolvit, vel aliquos paſſus, à loco delicti fugit, aut à delinquente in flumen, vel foveam conjectus fuit. Ideò adhuc perſto in ſententiâ, à me ſuprà laudatâ; in dubio nempè, cùm probabiliter ignoratur, ubi delictum fuerit perpetratum, concurrentiam Jurisdictionis admittẽdam eſſe. Quod & Zaſio placet, *in paratitl. Digeſtor. commun. dividund. num.* 10. Sed vide Dn. Theodoricum, *ſupr. dict. loc.* & me ſuprà, *Diſſertat. 1. de Iur. Rer. cap 2. num.* 8.

III. Alia non inelegans quæſtio ſuccedit: an delinquentem, in alterius territorium fugientem, ibidem in continentia apprehendere liceat, quod vulgò die Nacheyl vocare ſolent? Et id affirmatur: ex receſſu Imperij, *de Anno* 1555. §. Würde ſich aber bey einem / *&* §. *ſeq.* Reichs Abſchi dt / *de Anno* 1559. §. vnd haben vns demnach / *ad fin. &* §. *ſeq.* Diſſentit Zaſius, *ad l. ult. num.* 10. *ff. de Iuriſdict.* Hackelmannus, *Diſputat.* 4. *theſ.* 14. Petreius, *concluſ. criminal.* 20. Gail, *libr.* 1. *de pac. public. cap.* 16. *num.* 25. Mynſingerus, *centur.* 2. *obſervat.* 28. Quamvis enim alibi repertus, ad petitionem Judicis eius loci, ubi delictum patratum eſt, cum cautione remittatur: tamen hoc non impedit, quò minùs in continenti, delinquẽtem aſſequi, & in alieno territorio capere queã. Tùm demùm enim, à Judice loci peti poteſt, ut is fugientem capiat, & in locum delicti eum ſiſtat, ſi ille perſecutionem ſemel effugit, *argum. l.* 18. §. 11 *ff. de damn. infect.* Nec obſtat, quòd Actum, Imperium, vel Juriſdictionem concernentem, exercere nequeo in territorio alieno. Undè nec citatio in territorio alieno executioni mandari poteſt, ut Ummius docet, *Diſputat ad proceß.* 5. *num.* 60. Nam nos verſamur in caſu, quo actus in uno territorio cœptus, & in alieno demùm completus fuit; quod propter Jus vicinitatis nemo poteſt, vel debet denegare. Et conceditur etiam jure in diviſibilitatis ejuſcemodi actus. Aliud eſt; ubi actus Juriſdictionalis in alieno territorio, initium capit: quod fieri nequit, niſi ab eo, qui habet Juriſdictionem. Sed, anne liceat malefactorem capere in territorio alieno? conſuluit Dn. Georgius Everhardi, *tom.* 1. *conſil.* 13. Sichardus, *conſil. criminal.* 4. *in cauſâ Civitatis Noribergenſis,* ubi ait, hoc quandoque ex Privilegio licere. Item an in territorio vicino, permiſſum ſit, pignora capere, diſquirit Georgius Everhardi, *tom.* 1. *conſil.* 11.

IV.

Digitized by Google

IV. Diſputari hîc itidem poſſet, de illâ politicâ, & admodùm eleganti quæſtione: an liceat hoſtem continuatâ fugâ capere, in territorio alieno? Et quidem quamvis, ut jam dixi, liceat delinquentem perſequi, & capere in territorio vicino; ſi nempè perſecutio fuerit cæpta in territorio permiſſo: & etiam attendendum ſit ad principium licitum, non ad illicitum finem, *l. quod ait*, ubi Bartolus, *ff. ad Leg. Iul. de adulter.* Et tamen hoc fallere ait Albericus Gentilis, *libr. 2. de Iur. bell. cap. 22. & libr. 1. Hiſpanic. advocation. cap. 5.* in hoſte. Ait enim, alienum territorium ſecuritatem præſtare, & mutato territorio, mutari poteſtatem. Pariter, ut is, qui confugiat in Eccleſiam, tutus ſit, ex veriori & magis communi opinione, quam teneat Clarus, *§. fin. quæſt.* 30. Decianus, *libr. 6. prax. criminal. cap.* 28. Sed ut fatear, quod res eſt; vix approbare hanc deciſionem queo. Nec quoque puto, pacem violari, ſi quis hoc in caſu ingrediatur territorium vicini, manu armatâ. Jus enim & neceſſitas defenſionis, nullum limitem, ſeu terminum agnoſcit, omnique injuriâ caret. Et ſic defendere me poſſum in loco Sacro, aut Sancto, quem nos Burgfriðt appellitamus. Nec etiam bellum gerere actus aliquis Juriſdictionalis eſt, quem in alieno territorio gerere nō licet. Quippè bellum ſuſcipitur vi Juriſdictionis, quatenùs ſubditi ad id cogi poſſunt: non quò ad hoſtes, in quos nobis nulla Juriſdictio exiſtit. Et quod adhuc majus eſt, ex eodem fundamento defendere Belgæ nituntur; quòd interdùm non excurrunt ſolùm, ſed & munitiones extruunt, in Imperij Romani ſolo: quia nempè id fiat hoſtis offendendi, non alterius territorij violandi cauſsâ, quod & libro ſingulari aſſeruerunt. Sed ſanè is, qui habet territorium, prohibere poteſt, ne quis vi armatâ, etiam hoſtis perſequēdi cauſsâ, territorium ſuum ingrediatur, *argum. §. fera, Inſtit. de rer. diviſ.* At alia eſt quæſtio, an alterius hoſtem receptans, pro hoſte, paciſque violatore ſit habēdus? Hâc etiam occaſione quæritur de tranſitu, per alienum territorium, cum captivo: Ob Einer / Einem andern die durchführung ſeiner Maleficanten geſtatten müſſe? Quod Dn. Bidembachius affirmat, *quæſt. nobil.* 11. cùm nemo prohiberi debeat viâ publicâ uti, *l. 11. C. de ſervitutib. & aqu.* Adeoque per alienum agrum ire, ſit de Jure divino, ac naturali: *can. omnes, diſtinct.* 1. ita ut injuriâ afficiatur, qui prohibetur viâ publicâ uti, *l. 13. §. ſi quis, ff. de injur. l. 2. §. ſi quis in mari, ff. ne quid in loc. public.* Sic ut regulariter non audiri debeat delinquens, ſi in alterius territorio exiſtens, ad Jus provocet; nam ibi Judicium finiri debet, ubi eſt cœptum, *l. ubi cœptum, ff. de Iudic.* Nec dici poteſt, in Juriſdictione turbari eum, cujus territorium hâc ratione tranſitur. Nam in Juriſdictione, tantùm captura, & ſententia, ac ſupplicium inſpicitur: inter-

Digitized by Google

medij actus negliguntur. Ut in terminis noſtris decidit Wehnerus *conſil.Francon.92.à princip.* & eum ſequutus Reinkhing, *libr.1.claſs.2. ad fin.fol.mihi* 287. *& ſeq.* Nec obſtat, ſi dicamus; quòd Juriſdictio cohæreat territorio, & Judex terrere captivum, id eſt, duci mandare non poſſit, niſi in ſuo territorio, *l.fin.ff.de Iuridict.* cùm ſub Jure ducendi, & Jus cogendi comprehendatur, *l.ille à quo, §.1 ff.ad Senatusconſ. Trebell.* Et tamen Pomponius reſpondet, *in l.pupillus, §.territorium, ff.de verbor.ſignificat.* huic objectioni, dum ait; quòd territorium ei, cujus non eſt, tantùm prohibeat Jus ſubmovendi, id eſt capiendi, non captivum ducendi. Sic ſcribunt communiter omnes, non eſſe illicitum, portare frumentum per locum, de quo tamen illicitum ſit id exportare, Clarus, *§.final.quæſt.*82. Certum etiam ait Decianus, *libr.6.pract.criminal.cap.* 28. quòd ſi quis captus ducatur per cœmiterium Eccleſiæ, eum non ideò tutum fore, ſed indè abduci poſſe. Conducit hûc, quod reſpondet JCtus, *in l.1.§.1.ff.de mort.inferend.* Qui inferendi mortuum Jus habent, non prohibentur inferre. Prohiberi autem inferre videtur, ſive in locum inferre prohibeatur, ſive itinere arceatur. Diſſentit tamen Eraſmus à Chokier, *tractat.de Iuridict.ordinar.in exempt.part. ult.quæſt.* 98. Sed tamen in ferè ſimili quæſtione, an ſcilicèt hoſtem, vel res hoſtiles captas ducere liceat per territorium alienum? magis in eâ ſententiâ ſum, ut fieri id non poſſit: quam opinionem etiam Albericus Gentilis defendit, *libr.1.Hiſpanic.advocat.cap.* 6. Et differentia prioris, ab hâc quæſtione ea eſſe videtur: quòd aliud ſit, ducere malefactorem per territorium alienum; aliud hoſtem, ſed amicum eius, per cujus ducitur Regionem: cùm apud fœderatos Jus poſtliminij vigeat, *argum.l.7.ff.de jur.poſtlim.* hoſtis item non eſt malefactor, ſeu criminoſus publicus, ratione omnium: ut adulter, homicida, &c. qui communi odio prægravantur. Ergò cùm captivus pervenit ad terram fœderati, ibi liber fit; & ſic captivus duci nequit. Sic & Bodino, alijsque atteſtantibus, in Galliam qui ducitur ſervus, ibi recuperat libertatem ipſo Jure. Aliud itidem eſt, quòd liceat perſequi hoſtem, in alienum territorium fugientem: nam id favorabile eſt, propter periculum præſens, caloremque pugnæ adhuc durantem, ac ita Jus defenſionis ibi militare videtur: cumque privatus, omni territorio carens, ſe defendere queat in loco quocunque; cur hoc publicæ defenſioni denegatum eſſet? Sed hoſtem, resque ducere hoſtiles: non ita immediatè ad defenſionem ſpectat. Nec quis permittere debet; ut amici vel fœderati ſubditi bona per ſuum territorium taliter ducantur.

V. Alia adhuc quæſtio occurrit non inelegans, nec à noſtrâ materiâ alienâ; de quâ memini, à nonnullis aliquãtùm fuiſſe dubitatum: an Ma-

Digitized by Google

an Magiſtratus aliquem poſſit relegare, ultrà territorium ſuæ Juriſdictionis? Verbi gratiâ, an Rector cujuſdam Academiæ, non ſolùm excludere aliquem poſſit è numero Studioſorum; ſed & ut ex Urbe diſcedat, jubere? Item, an jure defendi poſſit; quòd delinquentes cogũtur, nonnunquàm ſecedere trans Rhenum, &c. Daß ſie müſſen vber den Rhein/oder vber die Thonaw ſchwören; daß man Sie an den Türcken ſchickt. Pro parte negante pugnat *l. fin. ff. de Iuriſdict.* Nec enim Rector territorium habet, ſed tantùm Privilegiatam Juriſdictionem. Ergò putari poſſit, præcipere ei non licere, quò minùs aliquis maneat in territorio alieno; ubi is, qui hâc ratione præcipiendo Jus dicit, nullam Juriſdictionem habet. Sic itidem dici poſſet, in Württembergico, verbi gratiâ, Ducatu, per ſententiam nemini injungi poſſe, ne cis Danubium verſetur: cùm infinita loca cis Danubium ſint ſita, quæ huic Ducatui non ſunt adnexa. Et tamen affirmans ſententia, non praxi & uſui ſolùm, ſed & veritati juris conſona, ac comprobari mihi viſa fuit aliquando, *per l. 1. §. 13. ff. de offic. præfect. urb.* ubi reſpondet Jureconſultus, præfectum Urbi, ab Italiâ relegare potuiſſe: & etiam delinquentem, à Provinciâ ſuâ removere. Cùm tamen præfecto Urbi, non niſi de criminibus, intrà centeſimum milliarium perpetratis, cognoſcere licebat, *dict. l. 1. §. 4 ff. de offic præfect. Urb.* Territorium præfecti Urbi, cēteſimo milliari circa Urbem finiebatur; & tamen potuit totâ Italiâ removere: imò præcipere, ne delinquens in ſuâ Provinciâ extrà Italiam ſitâ, commoretur. Nõ quidem me movet, *dict. l. fin ff. de Iuriſdict.* haud enim præfectus Urbi, vel alij in propoſitis hypotheſibus ſententiam pronunciantes, extra territorium Jus dicunt: cùm ſententiam ferunt in Urbe, vel in loco ordinario, ſibique deputato; licèt pronuncient de aliquâ aliâ Regione. Ut Antonius Faber, *ad dict. l. 1. ff. de offic. præfect. urb. in rationalib.* obſervavit. Sic in domicilio ſuo, propter rem alibi ſitam conventus (nam in arbitrio actoris eſſe ajunt, ubi agere velit) ſententiæ contra ſe latæ cogitur parere, etiamſi ea concernat rem extra territorium Judicis locatam. Et item *ad l. 7. § 10 ff. de interdict. & relegat.* quæ omninò aliud vult, ut & ibidem Bartolus docet; putavi ſatisfacere poſſe, quæ habet Volcmarus Heſs. *dict. Diſputat. de for compet. theſ.* 17. Sed nunc in eâ ſententiâ ſum, ut putem, non jure, ſed conſuetudine ſolùm hanc opinionem obtinere. vide me, *in Diſputat. ad 1. libr. Digeſtor.* quam meus Johannes Jacobus Wagnerus, me Præſide defendit, *theſ.* 10.

VI. Corollarij vice ſubjungo. In montanâ Regione, non plùs ædificari vel creſcere poſſe; quàm in ejuſdem plano; nec enim integra alicujus montis ſuperficies, plures arborum radices capere poteſt

Digitized by Google

ipſâ baſi. Ita, ut non plures uſus adferant cultoribus, in mõtibus agri, quàm in campis. Quod latè docet Johannes Villalpandus, *in egregio apparatu Vrbis ac Templi Hieroſolymitani, tom. 3. part. 2. libr. 1. cap. 6.* Et attingit Alſtedius, *in Element. Mathemat.* ut & affinis ac amicus meus Daniel Mœglinus, *in decad. poſit. Mathematicar.* Arbores quippè & herbæ, niſi impediantur, ad angulos rectos ſe erigũt; non quidem pavimenti, cui inſiſtunt, ſed Horizontis: undè plura grana in monte, quàm in ſubjacente plano ſeri; non tamen multiplicari poſſunt.

CAPUT IV. & Ultimum.

De Republicâ, & Civitate: ſeu Univerſitate perfectâ.

EX hiſce ſocietatibus & rebus, Civitas propriè ita dicta, ſeu Reſpublica conſtituitur. Cumque populus definiatur cœtus civilis, & univerſalis hominum, communis ſalutis causâ conſociatus; itaque populus & Civitas, propriè dicta, inter ſe non differunt. Quippè populus, ideò Græcè δῆμος dicitur, à δέω ligo; quòd certis legibus ſit colligatus, & omnes ordines hominum, ex quibus Reſpublica cõſtat, complectatur. Timplerus, *libr. 1. politicor. cap. 4. quæſt. 2.* Populus ergò, Reſpublica & Civitas, à Collegio differt; ut Collegium ſit collectio perſonarum, Reſpublica familiarum ſimul & Collegiorum. Etiam magna inter Urbem, aliasque Univerſitates, & ipſam Civitatem eſt diſcrepantia: quâ de re Timplerus, *dict. libr. 1. politicor. cap. 6. quæſt. 3.* & Angrimus Jonas, de Islandiâ, *libr. 1. cap. 7. fol. 58.* videri poſſunt; ut & ea, quæ dixi, *libr. 1. politicor. cap. 1. num. 11. verſ. 4.* Quippè Civitas non mœnibus ijſdem, & areâ definienda, indeque Cæſar Helvetiam totam, unam Civitatem adpellavit. Sic Cicero Tuſculum, Romanâ Civitate contineri dixit. Sic & Cenſorinus apud Appianum Carthaginenſium Legatis reſpondit: ſe Urbem Carthaginis deleturum, nõ Civitatem. Hoc item reſpectu, Imperator Antoninus, omnes homines liberos, Monarchiæ Romanæ finibus comprehenſos, Cives Romanos eſſe juſſit.

II. Civitas ſi ἐκ τοῦ ποσοῦ, ſeu ratione magnitudinis conſideratur; ſimplex alia, alia compoſita vocari poteſt; vide Hœnonium, *Diſputat. politic. 11. & 12.* aliter Dn. Elſsvvych, *Diſputat. politic. 2. theſ. 14. &c.* Interdùm Pagana eſt Civitas; ubi omnes omnium Civium familiæ planè ruri degunt, pagosque inhabitant: (qui modus antiquiſſimus eſt.)

Non

Non enim neceſſe eſt, ut Civitas mœnibus & muris ſit cincta, Velſtenius, *decad.4.theſ.1.* Et talem Civitatem habuit olim antiqua Germanorum gens, ut jam ſuprà dictum. Et vide multis hâc de re diſſerentem Marquardum Freherum, *orig. Palat. part.1.cap.5.* Willichium, *ad Taciti Germaniam cap.21.* Angrimum Jonam, *libr.1.de Islandiâ, cap.6. à princip.* Johannem Textorē, *in præfat.* Der Naſſawiſchen Chronick/ *fol.* 10. Ac talis itidem adhuc hodiè eſt in Pagis Helveticis, Vri/ Schweitz/ Vnderwalden/ Appenzell/ Glariß. Interdùm Civitas Urbica eſt; ubi omnes unius Reipublicæ Cives, in unâ Urbe habitant. Johannes Scopa, *Syllog.4. collectan.cap.28.in Theſauro Critico Dn.Gruteri,tō.1.fol.* 930. Et talis Reſpublica noſtris temporibus eſt Raguſa, Geneva, Luca, &c. Nec enim in latifundijs, neque in perſonis, aut mœnibus Civitas ſubſiſtit, vel Regnum; ſed in Civium omnium cœtu, ſub ejuſdem Imperij poteſtate ſummâ. Bodinus, *libr.1.de Republic.cap.2.* Julius Bellus, *in Hermete politico, fol 27.&c.* Dn.D. Lanſius, *Diſcurſ.de Lege Regiâ.* Ego *tractat.de Appellation cap 1.num.4.fol.* 13. Plus enim & minus, non mutant genera rerum. Sic ex Hiſtoriâ Moyſis, *Geneſ.cap.14.verſ. 1.& 2.* ac etiam Joſuæ adparet, quòd olim ſingulis Urbibus, ſinguli Reges, ſive Monarchæ imperitârint. Ita Joſua occîdit unum & triginta Reges in Paleſtina. *Ioſue.cap.12.verſ.24.* Sed tamē ferè eſt, ut putem, quòd unus dominabatur eis. Ita enim dicitur, *ibid.cap.11. verſ.11.* Aſor antiquitùs inter omnia Regna Principatum tenebat. Et *cap.13.verſ.30.* cuncta Regna Og, Regis Baſan. Quin & in exercitu Agamemnonis, multos fuiſſe Reges, memorat Homerus, parvis Inſulis imperitâtes. Sic & olim Arabiæ ſingulis Civitatibus, ſinguli fuerunt Reges. Bernardo Aldrete, *libr.1 de varias antiguedad.cap. 8.fol.117. ex Strabone.* Et ita vanum eſt commentum Juriſtarum, politices ignarorū, quòd dicunt; Regem habere debere decem Civitates, Lācellottus, *Templ.Iudic.fol.mihi* 471.

III. Quemadmodùm autem Reſpublica in uno oppido, vel pago exiſtere poteſt: ſic vera Civitatis nomen haud amittit Imperium, ſeu Reſpublica cōpoſita: tametſi per vicos, Urbes, municipia; ac Provincias, hinc indè à ſeipſis diſperſi ſint Cives, ſejunctisque ſedibus degant. Tholoſanus, *libr.1 de Republic cap 1.§.9* & vide me *libr 1.politicor.cap 1.num.* 40. At hîc quæritur; An feliciores futuræ ſint politiæ, ſi adhuc ſingulæ Urbes, à ſingulis Regibus adminiſtrarentur, quàm nunc ſunt, quando ab uno homine, multæ Provinciæ & Regna gubernantur? ubi diſtinctionem Keckhermanni, *libr.1 politicor.fol.* 21. adhibendam puto. Hucque pertinet, quòd Divus Thomas (ut refertur à Simanca, *libr 3 de Republic.à princip.*) ſcribit: communitas Civitatis omnia continet, quæ ad vitam hominis neceſſaria ſunt. Itaque

eſt perfecta communitas, quantùm ad merè neceſſaria. Tertia communitas eſt Regni, quæ eſt communitas conſummata: ubi enim eſſet timor hoſtium, non poſſet per ſe una Civitas ſubſiſtere, &c. Concordia Urbium faciliùs ſarta tecta conſervatur, ab Imperio uno; fortius eſt id, quod latè ſeſe extendit; modò non ſuâ magnitudine laboret. Sic commendatur Status Imperij Romani; eò quòd is Imperiũ unum exiſtit, & tamen multas habet Reſpublicas ſubalternas. Quamvis ex opinione nonnullorum, Germania, ut & Italia fortior eſſet; ſi magis foret unita. Arniſæus, *relect. libr. 2. cap. 2. ſect. 7. num* 18. *& c. fol.* 234. Libertas reputatur, ſub magno vivere Principe: parvi domicelli, ut ſe potentes eſſe demonſtrent; multò ſunt iniquiores. Perez. *in aphoriſm. fol.* 57. *num* 69. Exemplum noſtrates Nobiles præbere poſſunt; quorum ſubditi lubentiùs plerunque Principibus ſubjecti eſſent. Sic major fuit ubique libertas, cùm Imperium Romanum, nondum tot Regulos haberet. Cominæus, *libr.* 7 *cap.* 2. *fol. mihi* 606. Et diſſolutâ Monarchiâ, Cameræ, Imperatoriſque auctoritate prorsùs extinctâ; Oligarchiam metuunt nonnulli: nec aliter verò Imperator auctoritatem ſuam tueri poſſe videtur; quàm ſi faveat Civitatibus liberis, libertatique legitimæ ſubditorum mediatorum: & non impediat conſcientiarum libertatem. Interim tamen non ſemper bonum eſt Civitati, magno Imperio uniri. Quâ ratione Luſitanico Regno, diſſuadet cum Caſtilano Imperio conjunctionem, Amadæus de Ponte, & etiam Antonius Bagnaſacus, *in conſil pro Sabaudo, in causâ Luſitanicâ ſcriptis.* & vide Diſcurſum meum, *de Incrementis Imperiorum cap* 5. *num.* 4.

IV. Ratione quoque quantitatis, alia Reſpublica potentior & ſublimior eſt alijs. Et quidem magnitudo Reipublicæ ſeu Civitatis, non multitudine hominum, ſed potentiâ definienda & metienda eſt, Ariſtoteles, *libr.* 7. *politicor. cap.* 4. Timplerus, *libr.* 1. *politicor. cap* 7. *quæſt.* 3. Ex potentiâ & magnitudine inſigni alicujus Imperij, oritur amplitudo, & ſuprema Majeſtas; quam vulgò Theologi Monarchiam appellant: quæ eſt Imperij ſuperioris prædominatio, ad quam cætera omnia reſpiciunt. Utque Monarchicus dicitur Status, unus ubi dominatur; ita latiore hoc in ſignificatu, Monarchiam appellitant, potentiſſimum aliquod Imperium, quod κατ' ἐξοχὴν quaſi μοναρχεῖν; ſeu ſolùm imperare videtur. quòd colunt & ſuſpiciunt, cujuſque Majeſtatem comiter obſervant cætera Regna minora. vide Tilemannum, *Diſcurſ. de quatuor Monarch. contra Bodin. & Diſputat. Digeſtor* 2. *theſ.* 11. *volum.* 1. Velſtenium, *decad* 7. *theſ.* 1. Kirchnerum, *Diſput de Republic.* 1. *theſ.* 6. *& ſeq* Ea Monarchia, vel etiam in populari Statu cōſiſtere poteſt: quâ ratione Romani, jam tempore Antiochi ſe rerum Dominos

vocàrunt,

Digitized by Google

vocârunt, teſte Livio. Et ſic hodiè quoque Imperium Romanũ, quod *libr.1.politicor.cap.8.&c.* mixtis Statibus aggregavi, Monarchia nominari poteſt. De hocque Imperio mundi univerſali, cum Carthaginenſibus internecino bello diſceptârũt olim Romani. Huc Silius Italicus reſpexit, *à princip. libr.1.*

— Gens Cadmæa ſuper Regno certamina movit.

Et hâc etiam ratione, Athenienſes, poſt Siculos devictos, Orbis Principatum ſibi pollicitos fuiſſe, memorant Hiſtorici, Thucydides, & alij. Ejuſmodi verò ſublimia Imperia, nõ ſolùm vulgus Hiſtoricorum, ſed & Dionyſius Halicarnaſſęus quatuor nominat: Aſſyriorum, Perſarum, Græcorum & Romanorum, de quibus Sleidanus, *in tract. de quatuor Monarch.* & Reineccius, *in hiſtor. Iuliâ.* Goldaſtus, *politic. Imperial. part. 8. per tot.* Eaque Deus ſingularibus ex cauſſis, excitare hactenus ſolitus fuit. Et de cauſsâ ac occaſione magnitudinis Romanæ, vide Aldrete, *libr.1. cap.2.* Haud verò approbare poſſumus, quòd quidam talium Summorum Imperiorum, certa confinxerunt Jura: hucque referunt poſtulationem aquæ & terræ, apud Herodotũ, *libr. 7.* & ſi quæ ſimilia recenſet Kirchnerus, *Diſputat.3 Corollar.2* Namque hæc Tyrannica ſunt potiùs inſtituta, quàm Jura: ex opinione illâ provenientia, Wer Stärcker iſt/ ſchiebet den andern in Sack. Illuſtris Enenckelius, *ad libr.5. Thucyd. fol.617.* Quę non rectâ ratione orta; ſed à Nimrodo, potente illo Dominatore initiũ ſumpſerunt. Undè etiam Imperia talia, beſtijs monſtroſis adſimilantur; in Daniele & Apocalypſi. Sic etiam Darius ac Xerxes, à Cois aquam & terram petentes, repulſam tulerunt: cùm eos ipſos ſe impetentes, ſimiliter mortales eſſe viderẽt Coi. In Epiſtolis Hippocratis, *Epiſtola Coorũ ad Artaxerxem.*

V. Talem Monarchiam, attribuit ſibi hodiè Turcarum Imperator: vocat enim ſe *Sultan Olem*, id eſt, Dominus mundi: Hebraicis nẽpè verbis. Namque *Scholat* eſt imperavit, *& Scholtan*, Dominium, Dominatus. Daniel. *6. & 7.* At *Olam* inter alia denotat etiam mundum. Duret. *hiſto. des langues, fol.487.* Et etiam ad imitationem Conſtantinopolitanorum Imperatorum, nominat ſe Regem Regum. Bodinus, *libr.1. de Republic. cap.9. ad fin.* Quemadmodùm à Perſis hoc itidem acceperunt, & uſi ſunt Parthi. vide Briſſonium, *de Regn. Perſar. Princip.1. fol.3. &c.* Sed eam Monarchiam, Turcæ haudquaquàm competere puto, Velſtenius, *decad.7. theſ.7.* Jacobus Martinius, *centur.1. Diſputat.8. theſ.10.* Eſt enim potiùs deſtructor, quàm Monarcha: Et commun proverbio ipſimet dici ſolent: *Che dove il cavallo de gli Ottomanni pon i il piede, in quel paeſe non vi naſce più herba.* Theſoro politico, *relat. d. Cõſtantinopoli, part.1. fol.121.* Majoremque ipſo Turcarum Rege, Perſa-

 rum.

Digitized by Google

rum Imperatorem eſſe ajunt. Guyon, *tom.3. des divers. leçons. libr. 4. cap.6.& 8.*

VI. Ut & nec è re Chriſtianâ eſſe, Politici plerique cenſent, ſi talis Monarchia, noſtro ſeculo concederetur Hiſpano: Kirchnerus, *Diſputat. politic. 3 theſ.7.* quod tamen ſuadet Andreas Hoius, *Orat. ſingular. de novâ apud Europaeos Monarchiâ, habitâ Duaci, & quæ jam inſerta eſt politicis Imperialibus Goldaſti, part.26.* Addatur Auctor deß Sermen blaſerß *fol.67. &c.* ubi in laudem Hiſpanorum liberè excurrit: huicque Monarchiæ conſtituendæ media ſuggeſſit Campanella, *tractat. ſingular.* Hancque ut deformarent, exoſamque & ſuſpectam redderent Monarchiam, Diſcurſum Galli contexêre; ubi deducitur ſigillatim, quo jure, quâve injuriâ poſſideat ſua Regna Hiſpanus, *inſertum tom.5. des memoires de la Ligue fol.683.* Hincque eo fine Navarræ occupationem injuſtam etiam pronunciant paſſim. vid. Hotomannus, *in bruto fulmine.* Louys Servin. *tom.2. d. plaiodoyes, fol.1.* Julien Peleus, *hiſt. de Henry le Grand: libr.1. à princip.* Eoque fine ad bellum Hiſpanis inferẽdum, ſcriptis admodùm aculeatis Henricum IV. Galliæ Regem promovere ſategerunt multi, vid. Le Soldat François. Le Chevalier Frãçois. &c. Et item jam olim Franciſcus I. maluit Turcarum creſcere vires, quàm potentiam Auſtriacorum: & perſuadere Imperij Statibus conniſus fuit; ad Turcica bella Imperatori ſubſidia non eſſe ſubminiſtranda. vid. Orat. Guilhelmi Bellaij, pro Johanne Vaivodâ, Ungariæ à quibuſdã poſtulato Rege: quæ juncta eſt *à l'Epitome de Gaules ejusd. auct.* Ac pariter Siciliæ & Neapoleos nomine, litem movent Hiſpanis Galli. vid. Paſquier, *libr.7. des recherch. cap.52.* Incrementa itidem Hiſpanorum, citò Venetis fuêre ſuſpecta: primique ij fuiſſe vidẽtur, qui quod illorum eſſet intentum, fuerint ſubodorati; Cominæus, *libr.7. cap.2 fol. mihi 600.* & adhuc invidioſè eam traducunt. Plura item de affectatâ Hiſpanicâ Monarchiâ, habet *tomus 8. d. Mercure François. fol. 346.* Dn. Goldaſtus, *in politic. Imperial. Latin. dict. part.26. & in Germanic. part.17.* Et ſigna temporum, à me olim præcipiti fervore collecta, *Diſſertat.2. num.7 8. & 17.* Politica etiam adhibent adverſarij Hiſpanorum argumenta: Aiunt, Imperij Hiſpanici magnitudinem, nimis magnam, nec ſatis Legibus, moribus, Imperio, &c. unitam; locorum item ſpacijs diſtractam: & eius propterea gubernationem mirè eſſe impeditam. Trajanus Boccalini, *centur.2. ragguagl.47.* Per Caſtella & manu militari, eaque ſatis exiguâ, continere ſua Regna; quòd prudẽtiores ſolent improbare. Aiunt etiam, quòd

——*Tantus fatum conatibus obſtet,*

& ſemper ſit obſtiturum; ſi non vanus conjectator eſt Boccalini, *cap.*

10. *dei*

10. *del piedra d. paragone.* Moliri equidem dicuntur Hiſpani Germanici Imperij cum eorum Regnis conjunctionem : ſed nolunt eorum adverſarij, in Propheticis monumentis inveniri veſtigia potentiæ tãtæ, ad finem mundi. Et tamen hodiè, neceſſariam eſſe talem aliquam Monarchiam; ſuadet Michaël Piccartus, *Orat.* 15. ac vide meũ Diſcurſum Germanicum, Ob zu wünſchen/ daß alle Chriſtliche Herrſchafften/ einem Einigen Oberhaupt vnderworffen wären/ Campanellæ tractatui *de Monarchiâ* ſubnexum. Sic & Prudentius, *libr. 2. contra Symmach.*

—— Nec enim ſit copula Chriſto
Digna, niſi implicitas ſociet mens unica gentes.

Sed ſemper hoc mente tenendum eſt: aliter contrarioque modo, DEUM gubernare ſuos; ac mundo videtur,

Gottes Art/
Iſt der Welt Widerpahrt.

Ideoque hiſce de rebus fruſtrà diſputari.

VII. Conjunguntur tandem, etiam ipſæ Reſpublicę non ſolùm fœderibus; quemadmodùm noſtro tempore Helveticæ & Hanſeaticæ Civitates ſunt copulatæ: ſed & alijs vinculis, quale hodiè eſt inter eas Reſpublicas, quæ eandem Religionem profitentur, quale item exiſtit inter omnes Chriſtianas Reſpublicas; & quale olim erat inter Græcos, Amphictionum Concilio adhuc vigente.

Plato Hipp. Majo.

Τοιαῦτα τὰ ἡμέτερά ἐστιν, οὐχ οἷα βούλεταί τις, ἀλλ' οἷα δύναται.

Detineo ſtudiis animum, falloq; labores,
Experior curis & dare verba meis.
—— Quæro miſerarum oblivia rerum:
Præmia ſi ſtudio conſequar iſta, ſat eſt.

In Diſcurſum Novum

CHRISTOPH. BESOLDI, JC. F.O. De Jure Academiarum & Antiquitatibus Tubingenſis Academiæ,

Mnemoſynon

Sub Fonte Vitæ

Fons ſalientis aquæ, fons vitæ Academia noſtra eſt
Suevica, quam poſuit diâ Eberhardus ope

Quondam contactu ſacro, dum viderat antè
Tempore quam antiquo preſſerat ipſius humum,
Chriſtus & apta homini (modò ſit) veſtigia cuivis,
Liquerat ad quoſvis hoſpitis apta pedes.
Velleris Heroas Phryxæi dignus ut inter
Sit dux hoc ſolum nobile propter opus!
Dignus, & in medio ſeu cœlo luceat altus.
Sol ſeu fraterno lumine Luna micet,
Pareat huic, rabidas deponens ſubditus iras,
Ad ſomnum medium det ſine fraude ſinum!
Nam ſine morte per hunc vitales poſſumus hauſtus
Sumere & huc nectar hauſimus uſq; merum.
Ex hoc Sueviaco vitai fonte perennis,
(Pontia nec potuit cuiquam aconita dare
Et fontem niveum turpare paluſtribus undis
Atque lacunales reddere Damon aquas)
Quà ſtat Relligio & ſtabit cum numine virgo.
Hîc & in amplexus non ruitura malos.
Quà tenet atque tenebit ad uſq; Aſcræa nepotes
Noſtros juſtitium præpete jure ſuum.
Quà valet atque valebit ut olim (namque quis auſit;
Ambigere?) incolumi corpore diva Salus.
Quà ſapit & ſapiet ſemper Sapientia rerum
Plus Stagirita plus ſene vel Samio.
Quà vel opes promit linguarum, promet & illas,
Græcia ut in media Suevide ſit, Latium,
Gallia, ſacra Palæſtina ac ſit reddita luci,
Chaldæa, Italia, & cum Syria, Arabia,
Quodque Hiſpanus habet linguæ, ſit flexile plectrum,
Quaſq; alias non eſt carmine dicere opes.
Quà rapit exceſſus in ſacros noſtra Poëſis.
Et veniens cœlo Spiritus intus agit.
Hauſimus, &, duplicis quia fons cum murmure venæ
Nobilis eſt, hauſit tot juga Semideûm
Extera pars ſimul, ut ibi les percepta tot hauſtus
Se & populum divinâ inde refecit ope.
Inclute fons! ſuperâ per te nos arce magiſter
Potores dulcis nectaris uſq; facit.
Ad tua me ſitiens fons ſiſto marmora ſancte,
Simq; tua quovis tempore potor aquæ!

Pumice:

Pumice ego aridior per te ſim, quem colo totus
Fiamq; humore ipſo madido uvidior!
Propter te ſiccem madidas in carmine pennas
Sæpius Alpinâ laude Poëta tuus.
Vivida doctrina & virtutis vivida ſit vis,
Semper ut eſt, per te nullibi mors noceat!
Qui te nugaces ludos facit omnis habetor
Improbus, indignus ſitq; fluore tuo!
Occupet hunc mala vis! nec ſit qui tollere poſſit,
Sanari epotâ vix queat Anticyra!
Auree fons qui te bibit, hunc cerygmate dignum
Dicimus æterno perpetuiſque metris,
Hic per te memori, fons, nomine tangat olympum,
Atque hunc poſteritas omnis in ore ferat!
Hic ſit, ut es ſemper nitidus argenteus undis,
Argento potior totus amore tui!
Huic etiam, exiguâ quanquam ſuperaddere noſtra
De Lauru gratas ſtat ſine morte vices.
Ebrius ille tuo ſit flumine! & indole clarus
Ingenij divini indole judicij!
Millenos inter (meritò!) caput exſerit unus
Hîc quoque deque tuâ munera fruge capit
Beſoldus cum Sole & Luna neſcius umquam
Solvi, dum cœli machina firma manet
Et nivea probitate manus cum divite morum
Fons in te cordis ſimplicis uſque fide.
Quam eruit hîc praeundo fideliter omne! vetuſtas
De te quod forſan redderet in cinerem;
Et facit enumeres multam, cum pluribus undam
Perpetuo rythmo tu quoque dulcis aquas.
Frigore deque tuo arentes levet undique fauces,
Ad te quem peregrè diſſita terra tulit;
Et tua cæruleas ad aquas cœli addere poſſis
Flumina, fons vitæ, perpetuas ad aquas.
Auree fons ad eas argentee fons flue! fontes
In pelagus dum alij ſe exonerare ſolent.

L. M. Q.

Ioan. Sebaſtianus Wielandus.

Gloria ſola DEO, *ſoli tibi Gloria* CHRISTE,
Spiritui Sancto, Gloria ſola DEO.

Diſſertationum Juridico-politicarum

FINIS.

ELENCHUS OMNIUM CAPITUM,
quæ in Diſſertationibus hiſce Juridico-politicis ordine pertractantur.

DISCURSUS I.

De Jure & Diviſione Rerum.

Cap. I. *Primam ac Summam Rerum Diviſionem proponit, & de rebus communibus agit fol.* 1.
II. *Aliam Diviſionem Rerum exhibet, ac de Rebus publicis, in ſpecie ita dictis tractat.* 9.
III. *De Rebus Vniverſitatis.* 18.
IV. *De Rebus privatis.* 20.
V. *De Rebus Sacris, Sanctis, Eccleſiaſticis, atque Religioſis.* 32.

Diſſertationis II. De Jure Familiarum.

Cap. I. *De Familiâ quatenus ſumitur pro domo. fol.* 44.
II. *De Familiâ, prout ſumitur pro gente.* 50.

Diſcurſus III. De Jure Collegiorum.

Cap. I. *De Definitione, uſu, & utilitate Collegiorum. fol.* 51.
II. *De Iure Collegiorum.* 55.

Diſſertationis IV. De Jure Academiarum.

Cap. I. *Orationes V de Vitâ, Rebus geſtis, & Obitu Inclyti Ducis VVürttembergici, Eberhardi Barbati, de Iubilæo item & Encomio Academiæ Tubingenſis, ac denique Privilegia Vniverſitatis Scholaſticæ continens fol.* 64. 81. 91. 121. 145. & 180.
II. *De Academiarũ neceſſitate, antiquitate, origine, & decremẽto.* 187.
III. *De Rebus & perſonis Academiam conſtituentibus.* 197.

IV. De

IV. *De Gradibus honorum Scholaſticorum.* 204.
V. *De Studioſis.* 215.
VI. *De Iuriſdictione Academiarum.* 219.

Diſcurſus V. De Jure Univerſitatum.

Cap. I. *De Varijs Vniverſitatum ſpeciebus: Caſtro ſcilicèt, pago, vico, oppido, Suburbio, metropoli, Provinciâ. fol.* 224.
II. *De Nominibus ac ſitu pagorum, Vrbium, aliarumq; conſimilium Vniverſitatum.* 234.
III. *In genere de Iure Vniverſitatum pertractat.* 239.
IV. *De Adminiſtratoribus Vniverſitatum.* 241.
V. *De Bonis Vniverſitatum.* 245.
VI. *De Contractibus Vniverſitatum.* 249.
VII. *De Delictis Vniverſitatum.* 252.
VIII. *De Iuriſdictione Vniverſitatum.* 256.

Diſſertationis VI. & Ultimæ.

De Jure Territoriorum.

Cap. I. *Quid ſit Territorium? fol.* 264
II. *De Diſcontinuatione, & finibus territoriorum.* 266
III. *Varias de finibus territoriorum Diſceptationes complectitur.* 270.
IV. *& Vltimum, de Republicâ, & Civitate, ſeu Vniverſitate perfectâ.* 276.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google